DISPENSATORIUM UNIVERSALE, IN COMMUNEM NOSTRIS TEMPORIS ACCOMODATUM...

Christoph medico Mayr (medico)

DISPENSATORIUM

UNIVERSALE,

IN

USUM COMMUNEM

NOSTRIS TEMPORIBUS

ACCOMODATUM.

DISPENSATORIUM UNIVERSALE,

IN

USUM COMMUNEM NOSTRIS TEMPORIBUS ACCOMODATUM.

REDEGIT ET EDIDIT

CHRISTOPHORUS MAYR,

MEDICINAE DOCTOR,

OLIM

VARIORUM NOSOCOMIORUM MEDICUS SECUNDARIUS, AC QUONDAM S. S. CAES. REG. APOST. MAJ. STATUS MILITARIS MEDICUS SUPREMUS ET MAGNI NOSOCOMII MILITARIS VINDOBONENSIS MEDICUS PRIMARIUS, COLLEGII MEDICI VINDOBONENSIS SODALIS.

PARS I.

Nisi utile sit, quod agimus, stulta est gloria nostra. TERENTIUS.

Non ergo sequor priores, facio, sed permitto mihi et invenire aliquid et mutare et relinquere. Non servio illis, sed assentio. SENECA.

VIENNAE ET LIPSIAE,

SUMTIBUS FRANCISCI JOSEPHI RÖTZEL BIBLIOPOLAE.

M.DCC.XCVIII.

Nec satis est eum nosse, hoc vel illud medicamentum, hac vel illa virtute pollere, huic illive morbo esse idoneum, hac vel illa dosi usurpari: necesse est praeterea ut medicamina inter se distinguere, legitima a spuriis discernere, vetusta et effoeta rejicere, recentia et integra seligere norit; ne imperitorum herbolariorum, seplasiariorumve inscitia, ne dicam fraude, deceptus Toxicum pro Pharmaco aegris suis propinet.

GEOFFROY M. m. in Edit. Praeloquio.

PRAEFATIO.

Rem sane gravissimam et maximi momenti in exercenda Praxi clinica esse Dispensatorium bene concinnatum, nemo dubitabit. Omnibus enim notum est, quam necessaria sint Pharmacopolia rite constituta, quam magna pars felicis Praxeos et salus aegrotorum inde dependeat. Si in his errores committuntur, per Pharmacopolam Medico et per hunc aegrotis communicantur, irreparabili saepe vitae discrimine; cives vero servare, civiumque numerum augere, princeps Medicorum studium est. Nunc autem progressus eximii et Experimenta in Chemia et Pharmacia recentissima confirmata nos invitant ad emendationem tam in Medicamentorum selectu quam in eorundem compositione et praeparatione instituendam.

Haec inprimis fuit ratio, cur in Editione ultima Pharmacopoeae austriaco-provincialis de anno 1794. *viri eruditissimi ac in arte consummati Medicaminum multorum Apparatum aut contraxerint aut mutaverint, multa superflua omiserint ac novis observationibus comprobata substituerint et hanc Pharmacopoeam tam egregie emendaverint. Idcirco nil magis commodum et majoris emolumenti esse, putabam, quam si usum hujus Pharmacopoeae magis extensum, communem et universalem redderem, ut haec tam Urbibus majoribus regiis, quam minoribus ruralibus ex omni parte suf-*

fici-

ficiat, ac ut Medici aut Chirurgi ex prioribus Editionibus nihil amplius desiderare possint, nec Pharmacopolae juxta tria Dispensatoria Medicamina in suis Officinis praeparandi et conservandi coacti sint.

Propterea ex tribus dictis Dispensatoriis ea collegi, quae in Praxi clinica necessaria ac utilia videbantur, addidi simul omnia, quae ab hoc tempore in Chemia et Pharmacia hucusque noviter detecta ac confirmata erant cum satis ampla, dilucida et exacta Praeparata elaborandi methodo, adjectis simul cautelis necessariis; singulorum Medicaminum simplicium exactam descriptionem et classificationem systematicam juxta Systema naturae et in usum medico-practicum horum classificationem juxta vires generaliter receptas; certos characteres et signa, quibus ab aliis similibus distingui possint; varias horum species, naturam, proprietates, signa et notas probitatis ac adulterationis; vires Medicaminum breviter notatas et horum dosin; inter simplicia simul addidi Aquas minerales et Thermas celebriores; in usum Urbium minorum ruralium quoque, inter Medicamenta praeparata et composita extemporanea quasdam Formulas medicinales. Quae omnia quidem in libris Materiae medicae et Pharmaciae inveniri possunt, sed hic in libro, quo Pharmacopola et Medicus quotidie utitur, collecta et selecta non inutiliter esse putabam.

Praeterea ex Dispensatorio Lippiaco celeb. SCHERF novissimo ab hoc tempore edito ob praestantiam eximiam doctrinae pharmaceuticae in hoc contentae, plurima, quae in praecognoscendis Dispensatorii hujus continentur, iisdem ferme verbis egregii viri huic Dispensatorio universali inserere non dubitavi. Hoc enim ad felicitatem

hu-

humani generis augendam non multum facit, utrum quis sit inventor doctrinae, an vero ab aliis acceperit, nobis sufficit ea eruditio, quae civium sanitati, adeoque Reipublicae felicitati commoda promittit.

Dispensatorium hoc universale in duas partes divisum est, quarum prima *Materiam medicam simplicium Medicaminum,* secunda *praeparata et composita tam* officinalia*, quam* extemporanea *exhibet. In concinnando hoc omnem operam adhibui, ut Medicamina, selecta, usu multiplici comprobata, contenta sint, hinc potius Pharmacopoea selecta nominari potuisset, cum tamen Urbibus majoribus regiis et minoribus ruralibus dicatum fuerit, universale nominavi; omnia inefficacia omittenda esse putabam, inter medicamenta plura ejusdem virtutis ea eligenda, quorum virtus intensitate reliqua simplicia superat, omnia nauseosa praecipue ex Regno Animali omittenda; in usum Urbium majorum ubi plures adsunt Officinae pharmaceuticae tot efficacia Medicamina simplicia praecipue ex Regno vegetabili et minerali retinenda, composita vero quantum possibile est pauciora adsint, et haec majori simplicitate et majori incorruptibilitate emineant; composita pariter ac praeparata juxta recentissimas observationes chemicas et pharmaceuticas emendata sint; praeterea in Urbibus praecipue majoribus omnia ea adsint in Officinis pharmaceuticis, quae Medicamentorum colorem, odorem et saporem gratius reddere possunt, verbo Medicamenta simplicia, composita et praeparata methodo ac ordine supra memorato disposita et descripta ibidem inveniantur. Hinc Dispensatorium hoc universale nulla ulteriori explanatione indigere videtur.*

In

In hoc enim Dispensatorio omnia ea collecta et selecta reperiantur, quae Medico ac Chirurgo in officiis suis defungendis necessaria videri possint. Interim tamen praevideo immo expecto, fore ut nimis severum judicem me appellent non pauci, nec deerunt quidam, praecipue hodierno tempore, qui nimis curtam supellectilem pharmaceuticam proponunt, paucissimis remediis omnes morbos sanari posse contendunt, et non solum superflua, sed et utilissima in Praxi Medicamina ex Dispensatoriis proscribere volunt, quod nimium; inter duo extrema medium tenuere beati. Arduus sane labor est Dispensatorium universale concinnare; si vero quis forsan dubitet, difficile pensum hoc esse, hunc rogo, ipse vires experiri velit atque periclitari, quid humeri valeant.

Non vero is ego sum, qui me solum huic operi perfungendo parem aut eum etiam autumaverim, qui tot capitum diversis sensibus satisfacere et in universum omnibus placere possit. Tantum abest, me meo solum in hac re indulsisse genio, ut multo magis magno studio aliorum prudentum et expertorum virorum auxilia quaesiverim, praecipue in hoc arduo negotio optima scripta chemica et pharmaceutica virorum eruditissimorum ac clarissimorum, meque, ex eorum eruditione probisque consiliis, ita instruere studuerim, ut inde a privato mei ipsius judicio saepe ad spem consequendi plurium prudentum assensus ascenderim.

Fore igitur spero, ut cupiditas mea bene merendi ex opusculo praesenti satis eluceat; ceterum nolim quis existimet, me huic operi faciendo, accinctum esse, ut inanem gloriam aucuparer, solus enim veritatis amor et communis utilitatis studium, ad has partes suscipiendas impulerunt,

et

et si hoc eruditis non displicuerit, maximum praemium mihi erit; doctorum virorum etiam monita gravissima rationibus fulta, exoptatissima mihi erunt, judices enim rerum peritos et aequos pro merito magni facio, censuras vero inanes, quae jactitant, ut hodie saepius fieri solet, magnam eruditionem, revera autem ignorantiam produnt, aut quae malevolentiam quandam et invidiam redolent, sperno. In magnis voluisse sat est.

Optandum tamen esset, ut membra quaedam Collegii Medici Vindobonensis de tempore ad tempus nova in Praxi clinica detecta exactius rimarentur, et quae maximi momenti sunt, tanquam Supplementum hujus Dispensatorii universalis suo tempore promulgare vellint, ut hoc omni suae aetati et tempori adaptatum maneat, simulque adderent monita a censoribus probis ac doctis in artis emolumentum et Dispensatorii perfectionem facta ac quae dies postera emendabit et augebit. Haec sunt, quae dicenda habui. Scripsi Vindobonae Mense Martio 1796.

Mit der Aufnahme der Wissenschaften findet jedes einzelne Theilgen der erkennten Natur seine Bestimmung. Die Nachwelt wird die Sammlungen unserer Akademien auseinander reissen, von neuen zusammen ordnen, kleiner und nützlicher machen.

JOHANN GEORG ZIMMERMANN.

Die philosophische Pharmakologie enthält die Kenntnis von den Pflichten der Pharmacie. Sie lehret das Beste derselben suchen und unterscheiden, und zeigt den Weg, welcher am sichersten dazu führet. Niemand wird dahero seine Pflichten zu unterscheiden wissen, wenn er sie nicht kennt; und eben so wenig die rechten Mittel anwenden können, um dazu zu gelangen.

JOHANN JACOB BINDHEIM.

PRAENOSCENDA.

SECTIO I.

Von den Pflichten und Obliegenheiten eines Apothekers.

ANMERKUNG.

Mancher möchte vielleicht fragen: hat denn der Apotheker besondere Pflichten, und wenn er welche hat, verdienen sie wohl, daſs sie besonders abgehandelt werden? wir werden dies einsehen und finden, wenn wir den Leitfaden nachgehen, den uns die Natur der Sache an die Hand giebt. Der Apotheker hat alle Pflichten des ehrlichen und rechtschaffenen Mannes auf sich, die Pflichten des Mannes, der Akuratesse, richtige Kenntnisse mit Güte des Herzens und Rechtschaffenheit des Wandels geschickt zu verbinden weiſs; kurz, er muſs praktische Philosophie üben. — Der Umfang der Apothekerpflichten ist grösser als manche vielleicht glauben dürften. Der Apotheker hat zwar nichts um das Krankenbett zu thun, ist aber in der Entfernung für dieses so wichtig, als es der Arzt in der Nähe immer seyn kann. Da ihm diejenigen Mittel zu Befehl stehen, wodurch Krankheiten vertilgt, und die Gesundheit erhalten werden kann, so ist der eigentliche Gegenstand desselben, diese Mittel gewissenhaft, kunstmässig, und nach wissenschaftlicher Erkenntniſs zu bereiten. Und wie kann der Arzt auch wohl sich einen zuverlässigen und glücklichen Ausgang versprechen, wenn der Apotheker nicht der Mann ist, der er ganz seyn soll, d. h. nicht weise, nicht rechtschaffen und nicht gewissenhaft genug ist. Es werden dahero diese Pflichten dem *Dispensatorium* in deutscher Sprache einverlei-

bet, damit sie der Apotheker täglich vor Augen, und dadurch desto weniger Gelegenheit sich zu entschuldigen habe.

§. I.

Die Errichtung und Besorgung der Apotheken soll nur rechtschaffenen Männern, von deren Gewissenhaftigkeit und Treue man überzeugt ist, erlaubt und anvertrauet werden; denn selbst der geschickteste und gelehrteste Apotheker, wenn er in Anschaffung der Arzneyen und in Verfertigung der Recepte nicht treu und rechschaffen handelt, ist der öffentlichen Gesundheitpflege und der Ehre der Arzneykunst schädlicher und nachtheiliger, als ein minder geschickter, der sich aber bestrebt, die besten Arzneyen anzuschaffen, und die Recepte ordentlich und gewissenhaft zu verfertigen. Dahero sagte einst der berühmte Herr WESTRUMB: „ Alle Apotheker-Visitationen helfen nichts, wenn nicht eigener Edelmuth und eigene Rechtschaffenheit den Apotheker antreibt, ein ehrlicher Mann zu seyn. " Alsdann mufs aber auch der Apotheker edelmüthig behandelt werden.

§. II.

In der Officin soll das hieländische *Dispensatorium* doppelt, *eines* zum Gebrauche, das *andere* nebst allen noch herauskommenden den Apotheker selbst, oder das Apothekerwesen überhaupt betreffende Rescripte oder Verordnungen und die Apothekertaxe nebst ihren Revisionen an einem besondern Orte beständig vorhanden seyn und aufbewahret werden. Ueberdies soll auch jeder hieländische Apotheker verbunden seyn, die k. k. privilegierte Wienerzeitung, weil in dieselbe die das Medizinalwesen betreffenden und ihm zu wissen nöthigen Verordnungen oder Nachrichten inseriret werden, von künftigen Jahr an zu sammeln und gehörig aufzubewahren. Ausser diesem soll auch jeder Eigenthümer einer hieländischen Apotheke sich ein genaues und gutes *Herbarium vivum* verschaffen, und es jedes Jahr vermehren und ergänzen. Es ist die Gewohnheit derjenigen Apotheker allerdings tadelswürdig, die einheimischen Vegetabilien schon getrocknet zu kaufen oder zu verschreiben, weil hierunter der Anfänger nämlich der Lehrlinge die Gelegenheit einbüsset, sie kennen zu lernen. Vielmehr sollten die Apotheker sich angelegen seyn

las-

lassen, diejenigen Pflanzen in ihren eigenen Gärten in gehörigen Boden anzupflanzen, die durch die Kräutermänner oder Weiber der öftern Verfälschung oder Verwechslung unterworfen, wovon sie sich aus den k. k. botanischen Garten die wahren Pflanzen zu verschaffen hätten, da ohnehin von diesen Gattungen der Pflanzen in den Apotheken eine kleine Quantität verbraucht wird. Es wäre allerdings zu wünschen, daſs die medizinische Fakultät unter denen Kräuterlieferanten, Kräutersammlern und Kräuterweibern eine Ordnung machen möchte, so, daſs nach einiger Zeit auch zu dieser Lieferung nur geschickte und verständige von der medizinischen Fakultät geprüfte Leute diese Lieferungen unternehmen dürften; zum Beyspiele Gärtner aus dem botanischen Garten etc. Die Besitzer der Stadtapotheken sollen sich überdies noch zu ihrer Vervollkommnung, Sicherheit, Ehre, und zum Unterrichte ihrer Lehrlinge ein gedrucktes Kräuterbuch mit ausgemalten Kupfern anschaffen, und in ihrer Apotheke aufheben, wozu ihnen vor jetzt die *Zornischen Icones Plantarum officinalium* oder das *Blackwellische Kräuterbuch*, oder *Nicolai a Jacquin celeberr. Chem. et Botanic. Professoris emeriti Opera botanica*, oder *Oederi Icones Florae Danicae*, *Havn.* 1761. *fol. etc.* empfohlen werden.

§. III.

Alle Gifte, oder heftig wirkende Arzneyen, welche im *Dispensatorium* und in der Apothekertaxe mit grossen liegenden oder Cursiv - Buchstaben gedruckt, nemlich der Titel derselben, müssen von allen andern Arzneyen abgesondert, und in besondern beständig verschlossenen Schränken, in einer eigenen Kammer und unter eigenen Beschluſs des Herrn oder des Provisors aufbewahret werden. Ausserdem sollen die Gifte vermittelst eigener elfenbeinernen Löffel und Waagschalen von Cocus, Porzelain oder Elfenbein abgewogen und in Mörser von Glas, Serpentinstein oder dergleichen Materien abgerieben werden, und diese Löffel, Waagen und Mörsel dürfen nie zu andern Sachen, sondern bloſs für die Gifte gebrauchet werden. Es werden auch hieher die meisten Praeparata Antimonialia und Mercurialia, wie auch alle heftig wirkende Arzneyen gerechnet.

§. IV.

Jeder Apotheker, er sey Herr oder Provisor, soll auf einen Eid verbunden seyn, alle seine Kenntnisse und jede Sorgfalt anzuwenden, dafs seine Officin beständig mit ächten und unverdorbenen sowohl einfachen als zusammengesezten und zubereiteten Arzneymitteln versehen sey. Die Apotheker sollen, da die Materialisten nach Verschiedenheit des Preises verschiedene Sorten verkaufen, jedesmal sich die Arzneymittel von vorzüglicher Güte anschaffen, und nur diese in keinem Fall irgend eine schlechtere dispensiren oder an die Kranken geben; sie sollen also alle Arzneymittel, sie mögen Nahmen haben wie sie wollen, sobald selbige verdorben, veraltet sind, oder ihre Kraft verlohren haben, bey grosser Verantwortung wegwerfen und nicht mehr brauchen.

§. V.

Damit die Apotheker von der Güte, der Unverdorbenheit und dem Alter ihrer Arzneymittel sich selbst und auch den Aerzten und insbesondere bey der Visitation Rechenschaft zu geben im Stande sind: sollen sie *ein besonderes Buch* halten, in welches sie nebst beygefügten Dato genau aufzeichnen müssen: *woher* und von *wem* sie jedes einfache Mittel erhalten, und *wann* und von *wem* die zusammengesezten oder zubereiteten Arzneymittel verfertiget, und in den kleinen Vorstadt - oder Landapotheken, *wo* und von *welchen Städtischen Apotheker* sie erkauft, oder im Fall der durch das Examen erworbenen Befugnifs dazu, wenn sie *von ihm selbst* verfertiget worden. Dieses Buch sollen sie bey der Visitation vorlegen.

§. VI.

Jeder Besitzer oder Eigenthümer einer Apotheke in einer Hauptstadt mufs *alle* in dem *Dispensatorium* angegebenen oder vorgeschriebenen einfachen und zusammengesezten oder zubereiteten Arzneymittel, der Besitzer oder Vorsteher einer kleinen Vorstadt - oder Land-Apotheke aber nur die mit folgenden Zeichen ⊙ bezeichneten in gehöriger Menge und Güte vorräthig haben, doch soll ihm nicht die Menge des Vorraths, sondern die Güte und Aechtheit desselben zum Verdienst angerechnet werden. Die in dem II. Theile des

des *Dispensatoriums* angegebenen Arzneymittel soll der *Eigenthümer* oder der *Provisor* der Apotheke in einer Hauptstadt selbst zubereitet haben, und zwar jedesmal nach der in dem *Dispensatorium* gegebenen Vorschrift, und nicht selbe aus Gewinnsucht von Fabriken, Laboranten, oder Materialisten kaufen, ohne sich zu bekümmern wie selbe bereitet worden, wie es bisher öfters zum grösten Nachtheil des Arztes und Kranken geschehen. Aber die Eigenthümer oder Provisoren der kleinern Vorstadt- oder Landapotheken sollen die im II. Theil des *Dispensatoriums* angegebenen Arzneymittel aus denen Hauptapotheken der Hauptstädte sich anzuschaffen und zu kaufen verbunden seyn, jedoch um einen wohlfeilern Preis als in der Taxordnung bestimmt ist, es sey denn, dafs sie selbst solche nach der im *Dispensatorium* gegebenen Vorschrift zubereiten wollen und können und sich auf die gesetzmässige Art die Erlaubnifs dazu verschafft haben. Es soll denen Apothekern zwar nicht verbothen seyn, in ihren Officinen mehrere und andere einfache oder zubereitete Arzneymittel vorräthig zu haben, aber die vorgeschriebenen müssen in diesen Apotheken niemahls fehlen. Auch hat jeder Arzt das Recht, von den Apothekern zu fordern, dafs sie für seine Praxis sich dieses oder jenes neue oder in das hieländische *Dispensatorium* nicht aufgenommene einfache oder zubereitete Arzneymittel anschaffen. Allein man hofft von jedem Arzt, dafs er dieses Recht nicht mifsbrauchen und unnöthige oder zu vielerley dergleichen Arzneymittel fordern werde, widrigenfalls, auf eingegangene Beschwerden, nach eingezogenen Gutachten der medizinischen Fakultät oder Sanitätsräthen, den unzeitigen Anmassungen der Aerzte Schranken gesetzet werden sollen.

§. VII.

In jeder Apotheke soll sowohl in Rücksicht der Gefässe als auch der Werkzeuge die äusserste Reinlichkeit beobachtet werden und alles vor dem äussern Zugang der Luft und vor Staub gesichert seyn. Alle gewürzhaften und flüchtige Theile enthaltende Arzneymittel aus allen drey Naturreichen sollen *ganz* und nicht in Pulverform in erwärmten wohlverstopften Gläsern aufbewahret, alsdann erst gepulvert werden, wenn sie verschrieben werden; salzige, in der Luft Feuchtigkeit anziehende und die höchstflüchtigen, geistigen oder öhlichten Arzneyen auf die vorsichtigste und festeste Art aufbewahret wer-

werden. Alle Gefässe, Schachteln, Kisten sollen mit deutlichen Buchstaben beschrieben und in ihre gehörige Reihe gestellet seyn, das Anbinden der beschriebenen Zettel und das Beschreiben der Tekturen der Gefässe wird hiedurch untersagt. Alle sauren, salzigen, öhlichten, fettichten Arzneymittel sollen nicht in kupfernen, zinnernen, oder andern metallischen Gefässen, sondern in gläsernen, steinernen oder porzelainen Gefässen aufbewahret werden. Die Reinlichkeit mufs sowohl bey Bereitung und Zusammensetzung der Arzneyen im Laboratorium, als auch in den Apotheken jederzeit aufs höchste getrieben, und nirgends versäumet werden. Die Maasse, Waagschalen, messingene Pulverkapseln, Mörser, Pillenformen, Pfannen, Seichetücher u. d. müssen nach jedesmaligen Gebrauch sogleich wiederum gereiniget werden. Zu sehr stark riechenden Arzneyen, besonders zum Bisam, mufs ein besonderes Geschirr oder Mörser gehalten werden. Die Gläser müssen, ehe Arzneyen eingegossen werden, aufs genaueste nachgesehen und ausgespühlet werden. Papier, worinn schon ein Pulver bereits enthalten oder nur aufgeschüttet gewesen, mufs nie mehr zu einem andern gebraucht werden; denn der Geruch des einen, wenn z. B. Biesam darunter gewesen, wird leicht dem andern mitgetheilet. Beym Reiben der Pulver lege man jederzeit einen ungebrauchten Bogen Papier unter dem Mörsel, damit, wenn vielleicht unter dem Reiben etwas überfallen sollte, man selbiges nicht vom Tisch aufsammlen dürfe. Pillen, die nicht leicht Gold oder Silber annehmen wollen, zu behauchen, Gläser mit den Fingern ausstreichen, die papierene Kapseln zum Einschütten der Pulver mit dem Munde aufzublasen, und die Stöpfel zu den Arzneygläsern zwischen den Zähnen weich zu kauen, ist ekelhaft. Alle sauren, salzichten, fetten, und öhlichten Arzneymittel sollen nicht in kupfernen, messingenen, zinnernen, oder andern dergleichen metallischen Gefässen zubereitet, gemischt, oder receptiret werden; Extracte, zumal diejenigen, welche erdichte Salze in sich halten, sollen nicht in kupfernen oder messingenen Gefässen, sondern in Gefässen, die aus ächten Zinn bestehen, oder in eisernen, die inwendig ächt verzinnet sind zubereitet, und ihnen die gehörige Consistenz durch das Abdämpfen in gläsernen oder porzelainenen Gefässen gegeben werden.

§. VIII.

§. VIII.

Die Apotheker sollen die in ihre Apotheke einlaufenden Recepte oder Präscriptionen nach den Ingredienzen und nach dem Gewichte genau und pünktlich nach den Gesetzen der Kunst verfertigen; noch viel weniger sollen sie aus Eigennutz, oder weil sie das vorgeschriebene Mittel so eben nicht vorräthig haben, statt der verschriebenen oder verordneten Mitteln andere *unterschieben* oder *substituiren.* Im Fall ein Ingredienz, welches verschrieben worden, nicht vorhanden seyn sollte, sollen sie solches sogleich demjenigen, der das Recept verschrieben, anzeigen. Höchst strafbar aber ist die gefährliche Gewohnheit einiger Apotheker, Medikamenten und Präparate ohne abzuwägen nach den Augenmafs zu verkaufen oder gar vorgeschriebene Arzneyen nach den Augenmafs zuzubereiten. Sie sollen ihren Lehrlingen die Verfertigung der Recepte nicht ohne besonderen Nothfall anvertrauen, und insbesondere sollen die Apotheker oder Provisoren jedes Recept oder jede Präskription, in welcher *heftig wirkende Arzneymittel* verschrieben sind, damit nicht etwa durch Unwissenheit oder Unvorsichtigkeit gefehlet oder Schaden verursachet werde, bey eigener Verantwortung deshalb, *selbst* und mit der möglichsten Genauigkeit verfertigen.

§. IX.

Die Recepte sollen in der Ordnung, in welcher sie ankommen, ungesäumt verfertiget werden. Jedoch sollen diejenigen, unter welche der Arzt oder Wundarzt *cito* oder *statim* geschrieben hat, ohne allen Zeitverlust gemacht und vorzüglich befördert werden; wenn der Apotheker auf irgend einem Recept ein oder mehrere Worte nicht völlig gut lesen oder verstehen könnte, oder zweifelhaft seyn sollte, was darunter verstanden wird, oder wenn er vermuthet, es möchte irgend eine unrichtige Dosis bestimmet oder sonst ein Fehler im Recept begangen seyn, so soll er dieses mit aller Bescheidenheit ohne Lärm dem Arzte, der das Recept verschrieben alsogleich selbst anzeigen und die nöthige Auskunft darüber einholen, damit der Arzt nicht durch eine laute, vielleicht ungegründete, oft nur einem unwissenden Apotheker gerecht scheinende Beschuldigung in einen unverdienten Verdacht falle. Die Signaturen der Arzneyen sollen genau von dem Recept abgeschrieben werden, und der Signaturzettel nicht

an die unrechte Arzney gebunden werden. Es soll der Apotheker auf jedem Signaturzettel das *Datum*, wann er die Arzney verfertiget, wenn es abgetheilte Pulver sind, die *Zahl der Dosen*, und auch den Preis der Arzeney mit Zahlen schreiben, er mag sie gegen baare Bezahlung oder auf Rechnung verabfolgen lassen.

§. X.

Alle Apotheker sollen wie die Kaufleute ein *paginirtes Buch* unter dem Nahmen *Receptenbuch* halten, in welches sie alle Recepte mit *heftig wirkenden Mitteln oder Giften*, nebst dem Nahmen des Arztes oder des *Verschreibers* derselben oder des *Bürgen* dafür, oder *desjenigen*, *der das Recept gebracht* und die *Arzney abgeholt hat*, des *Kranken* und *seines* Wohnorts, das *Datum* und den *Preis* des Recepts ab - und einschreiben müssen, das Recept mag bezahlt oder auf Rechnung geschrieben werden; dies Einschreiben soll der Besizer der Apotheke oder der Provisor thun, da es sich ohnehin seltner ereignet, dafs dergleichen Recepte verschrieben werden, und es soll jedesmahl an dem Tage geschehen, wo das Recept verfertiget worden. Die übrigen *gewöhnlichen Recepte* sollen rückwärts des Buchs in eigenen, nach dem Alphabeth des untergeschriebenen Nahmen, abgetheilten Fächern aufbewahret werden. Wird ein Recept von neuem gemacht, oder widerholt, worzu aber der Apotheker immer *schriftliche Verordnung* des Arztes erhalten mufs, so braucht nur unter dem gehörigen Datum bemerket zu werden: das Recept vom ersten Datum sey ganz oder halb repetiret worden. In dieses *Receptenbuch* mufs der Apotheker auch alle *namentlich geforderten heftig wirkenden Mittel*, die zu irgend einen *andern Zweck* als Arzneygebrauch aus der Apotheke geholet werden, und vorzüglich *alle Gifte* mit dem *Nahmen der Käufer*, den *Datum*, den *Nahmen der Person*, die sie abgeholet oder wodurch sie der Apotheker hingeschickt, *das Gewicht* und der *angegebene Zweck* oder *Gebrauch* derselben, mit Beziehung auf die zu numerirende und wohl aufzubewahrende *Verabfolgungs-Scheine* (§. XIII.) einschreiben. Dies Receptenbuch mufs bey jeder Visitation vorgeleget werden.

§. XI.

§. XI.

Was den sogenannten Handverkauf betrifft, so bleibt dieser denen Apothekern erlaubte Handverkauf unschädlicher Arzneymittel frey, und zu dem Ende wird allen dergleichen Mitteln, welche aus der Hand oder ohne Recept auf blosses Fordern oder Verlangen einer Person verabfolget werden dürfen, in dem *Dispensatorium* ein grosses V, (*vendibile*) beygesetzet werden; dergleichen Arzneyen sollen in der Apotheke ihren eigenen Platz einnehmen, um aller Irrung dadurch vorzubeugen. Alle übrigen Mittel oder Arzneyen darf der Apotheker nie ohne Recept (§. X.) und insbesondere die schlafmachenden Mittel nicht Hebammen, Kindswärterinnen oder Säugammen verabfolgen lassen. Würde aber irgend ein Künstler oder ein Handwerker eine Apothekerwaare nicht zum Arzneygebrauch, sondern zur Anwendung in seinen Kunstgeschäften oder Gewerbe aus der Apotheke fordern, so darf ihm zwar solche, wenn er ein bekannter Mann ist, und der Gebrauch dieses Mittels für sein Metier, und daſs er solches treibe, dem Apotheker wissend ist, verkauft und gegeben werden; allein *der Nahme des Käufers*, des *Mittels* und das *Gewicht* desselben muſs in das Receptenbuch (§. X.) eingeschrieben werden.

§. XII.

Bey dem Verkaufe offenbarer *Gifte*, die im *Dispensatorium* mi *grossen liegenden* oder *Cursiv Buchstaben* gedruckt, nemlich der Tit tel derselben, soll jeder Apotheker höchst vorsichtig zu Werke gehen; er soll an Niemanden *Gift* verkaufen, es sey denn, daſs es von einem hieländischen Arzt oder berechtigten Amtswundarzt, welche alsdann für den rechtmässigen Gebrauch desselben haften müssen, mit seines Namens Unterschrift verschrieben oder verlangt würde, oder daſs die Person, welche es fordert, ein Künstler oder Handwerker, der das *Gift* zu seinen *Kunst - oder Handwerksgeschäften* braucht, die auch dem Apotheker wohl bekannt wären, und ihm über den Empfang des *Gifts* einen *Schein* aushändigte, worinn das *Datum*, das *Gewicht*, und der *Gebrauch des Giftes* bestimmet seyn muſs; wollte ein Bürger oder Landmann *Gift* aus der Apotheke haben, so muſs derselbe dem Apotheker einen von seiner competenten Obrigkeit ausgestellten, und mit dem öffentlichen Siegel unterzeichneten

 ten

ten *Schein* bringen. An unbekannte oder fremde Personen darf der Apotheker kein *Gift* geben, da allen Kaufleuten und Materialisten, wie auch allen Krämern auf das schärfeste sollte verboten seyn, *Gifte* weder für Künstler oder Handwerksgeschäften, weder in Grossen weder in Kleinen zu verkaufen. Der weisse und rothe Arsenik soll als Heilmittel betrachtet aus allen Apotheken vor immer entfernet bleiben, und in keiner derselben aufbewahret werden. Da aber einige Arbeiter diesen zu ihren Gewerb nothwendig gebrauchen, so solle es blos jenen wenigen Handelsleuten, die ohnehin das gefährliche Schiesspulver verkaufen, auch *allein* erlaubt seyn, den Arsenik als das stärkeste *Gift* unter eben gemeldeten Bedingnissen zu verkaufen, unter welchen dem Apotheker erlaubt ist die übrigen *Gifte* zu verkaufen. Der Apotheker darf eben so wenig auch für bekannte Personen und gegen einen Schein, *Gift* an Diensthothen, Kinder, oder andere dergleichen Personen verabfolgen lassen, sondern derjenige, so es verlangt, muss es selbst abholen, oder der Apotheker ist gehalten, es ihm durch eine sichere Person zuzuschicken. Auch soll der Apotheker oder Provisor das *Gift* jedesmahl selbst wohl einpacken, versiegeln, und auf das Päckchen mit grossen Buchstaben *Gift* schreiben.

§. XIII.

Die Apotheker sollen sich alles Ausforschens und Fragens nach den Umständen und Zufällen der Kranken enthalten, und sollten sie von denen so die Arzneyen holen oder Recepte bringen gefragt werden, so sollen sie selbe an den Arzt verweisen. Sie sollen auch diesen Leuten niemals die *Wirkung* der Arzneyen erklären oder bekannt machen. In Fällen, wo gegen Krankheiten, deren Bekanntmachung dem Kranken auf irgend eine Art nachtheilig werden könnte, Arzneyen verordnet und verfertiget werden, soll der Apotheker, der Provisor, die Gehülfen oder sogenannten Subjecta und die Lehrlinge, bey grosser Verantwortung die genaueste Verschwiegenheit beobachten. Ueberhaupt wird hiemit den Apothekern auf das ernstlichste aufgetragen, dergleichen in ihre Apotheke einlaufende Recepte nicht von andern Personen einsehen, und viel weniger Abschriften davon nehmen zu lassen. Auch sollen sie sich aller innerlichen oder äusserlichen Curarten, eigenmächtiger Dispensation der Arzneyen und ärztlicher Besuchung der Kranken schlechterdings enthalten.

§. XIV.

§. XIV.

Die Apotheker sollen sich alle Mühe geben, mit allen zur Medizinalverfassung gehörigen Personen in guter Eintracht zu leben, der Medizinischen Fakultät, den Aerzten und insbesondere denen Medizinalräthen oder sogenannten Sanitätsräthen und dem Physicus loci alle Achtung und Folgsamkeit beweisen, sich streng alles Kritisirens oder Tadelns der Recepte enthalten, sich den Apothekervisitationen der dazu aufgestellten *Aerzte*, *Medizinal* - oder *Sanitätsräthe*, des *Landphysikus*, oder *Physicus* zu jederzeit unterwerfen, und ihm, ſo wie auch *jedem Arzt*, jedes Mittel, das derselbe untersuchen oder prüfen will, willig vorzeigen; selben das Laboratorium, die Materialkammer, den Kräuterboden etc. öffnen, und ihre Bücher (§. V.) und (§. X.) zur Einsicht vorlegen. Auch sollen die Apotheker keine heimlichen Kunstgriffe oder Bestechungen anwenden, um sich wiederrechtliche Protektionen, Empfehlungen, oder Nachsichten gegen Fehler, Mängel oder Vergehungen zu verschaffen.

§. XV.

Die Apotheker sollen einen ordentlichen und moralischen Lebenswandel führen, sich vor Trunkenheit und andern sittlichen Fellern hüten, Tag und Nacht willig und bereit seyn Arzneyen wegzugeben, oder die eingeschickten Recepte zu verfertigen, und so viel es thunlich ist, sollen die Eigenthümer der Apotheken oder Provisoren fast immer selbst in der Apotheke oder Laboratorium zugegen seyn; sie sollen sich durch fleissige Lesung Naturkündiger, botanischer, pharmazeutischer und chemischer Schriften, durch eigene oder andern nachgearbeitete Versuche, durch Ansammlung eines *Herbarii vivi* und durch Rathfragen der Aerzte bey ihnen aufstossenden Zweifeln und bey ungewöhnlichen unter der Zubereitung chemischer Arzneymittel vorfallenden Erscheinungen oder Wahrnehmungen täglich mehr Kenntnisse und Einsichten zu erwerben und ihre Geschicklichkeiten noch mehr zu vervollkommnen suchen.

§. XVI.

Die Apotheker sollen sich bey Verkaufung oder Berechnung der Arzneyen oder der verfertigten Recepte (die Berechnung der für ar-

arme Kranke abgegebenen Arzneyen ausgenommen, welche sie nach ihrer eigenen Erklärung um den *vierten* Theil wohlfeiler geben) genau nach der bekannt gemachten Apothekertaxe richten, die Arzneyen oder Recepte *weder höher*, noch um sich mehreren Abgang zu verschaffen, oder zum Nachtheil eines andern Apothekers, *geringer*, als in der Taxe bestimmet ist, verkaufen oder in Rechnung bringen. Bey Berechnung oder Verkaufung solcher Arzneyen, die nicht im *Dispensatorium*, folglich auch nicht in der Taxordnung befindlich sind, sollen sie die Billigkeit obwalten lassen, und Niemanden übertheuern. Da die Einkaufungspreise verschiedener Arzneywaaren die in der Apothekertaxe zur Nachricht des Publikums künftig mit einem † bezeichnet werden sollen, zu Zeiten steigen oder fallen, so sollen die Apotheker zur *Beförderung ihres eigenen Bestens*, alle Jahr und jedesmal wenigstens sechs Wochen vor Michaelis denen *Medizinalräthen* oder *Sanitätsräthen* und dem *Physico loci* nebst beygelegten *Preiskouranten diejenigen Arzneyen* anzeigen, welche im *Einkaufspreis* eine *Veränderung* erlitten haben, und zugleich ihre *Vorschläge* beyfügen, in wie weit der Preis dieses oder jenes Arzneymittels abgeändert werden könne. Hiernach werden die Medizinal - oder Sanitätsräthe und die Landphysici nach Maſsgabe der Medizinalordnung, ihre Vorschläge zur Revision der Apothekertaxe, jedes Jahr an die Medizinische Fakultät einschicken, welche darüber entscheiden und die Revision zur allgemeinen Nachricht in die K. K. privilegierte Wienerzeitung abdrucken lassen wird. Da man aber alle diese billige Pflichten von den Apothekern zum allgemeinen Besten mit Recht fordern kann, so sollen selbe hingegen auch von aller Beeinträchtigung in ihrer Kunst geschützet werden; dahero soll allen Materialisten, Laboranten, Parfumeurs etc. und jeder Privatperson, auch jenen die bisher mit Erlaubniſs Arcana verkauften, aller innerlichen und äusserlichen präparirten und zusammengesetzter Arzneyen Verkauf auf das schärfeste verbothen seyn, und die dawider handelnde unnachsichtlich mit Geld oder Leibesstrafe bestrafet werden. Dahero wäre es zu wünschen, daſs eine eigene Civil - Sanitätscommission wie ehedem aus alten erfahrnen und patriotisch gesinnten Mitgliedern der Medizinischen Fakultät und einigen Räthen zusammengesetzet würde, die ohne von einer andern Stelle abzuhangen, alles was das Sanitätswesen betrifft, zu besorgen und zu leiten hätte.

SEC-

SECTIO II.

Von den gebräuchlichen chemischen und pharmazeutischen Figuren oder Zeichen, deren man sich von Alters her als einer Abkürzung des Schreibens um Arzneyen, Operationen, Instrumente, Gewichte u. d. zu bezeichnen bedienet hat.

Es ist allerdings nothwendig diese Zeichen beyzubehalten, besonders damit Lehrlinge sich immer einen festeren Begriff davon machen, theils bey Lesung der chemischen und pharmazeutischen Bücher, in welchen selbe öfters, besonders aber bey den chemischen Verwandtschafts - und Wahlanziehungstafeln vorkommen, nicht immer erst nöthig haben nachzuschlagen; sie sind aber auch nothwendig, um die Recepte zu verstehen, in denen sich Aerzte wegen Abkürzung des Schreibens und auch manchmal wegen Vorurtheil der Kranken, die oft für eine Medizin, wenn sie ihnen bekannt ist, einen unbilligen Abscheu tragen, die doch der Umstand oder die Krankheit nothwendig erfordert, oder wenn die Krankheit nicht jedermann soll bekannt werden, dieser Abkürzungszeichen nothwendig bedienen müssen. Es wird dahero eine kurze Anzeige der gewöhnlichsten nach der neuen *Bergmannischen* Art nicht überflüssig seyn.

Es sind folgende:

🜊	Acetum, Acidum vegetabile, *Essig*, *Gewächssäure*.
🜋	Acetum destillatum, *destillirter Essig*.
†	Acidum in genere, *Säure im allgemeinen*.
† ⊕	Acidum Acetosellae, *Sauerkleesäure*.
△	Acidum Aereum, *Luftsäure*.
† ⚲	Acidum Benzoe, *Benzoesäure*.
† ⌓	Acidum Boracis, *Boraxsäure*.
† C	Acidum Citri, *Citronensäure*.
†f	Acidum formicarum, *Ameisensäure*.
† ⦶	Acidum Nitri, *Salpetersäure*.
† ⦶ ♧	Acidum Nitri phlogisticatum, *phlogistisirte Salpetersäure*.
† ⚴	Acidum Phosphoricum, *Phosphorsäure*.
† ⊛	Acidum Sacchari, *Zuckersäure*.
† ⊖	Acidum Salis communis, seu Acidum muriaticum, *Kochsalzsäure*.
† ⊖ ♧	Acidum Salis dephlogisticatum, *dephlogistisirte Salzsäure*.
† ⦶⦶	Acidum Succini, *Bernsteinsäure*.

Aci-

🜊 Acidum Tartari, *Weinsteinsäure.*
🜊 🜖 Acidum Vitrioli, *Vitriolsäure.*
🜊 🜖 🜍 Acidum Vitrioli phlogisticatum, *phlogistisirte Vitriolsäure.*
🜁 Aer, *Luft.*
⁂ Aether, *Aether.*
O Alumen, *Alaun.*
ā ā ā Amalgama, *Verquickung.*
ā ā Ana, *gleich viel.*
♁ Antimonium, *Spiefsglanz.*
🜄 Aqua, *Wasser.*
🜅 Aqua fortis, *Scheidwasser.*
🜄P Aqua pluvialis, *Regenwasser.*
🜆 Aqua regia, *Goldscheidwasser.*
∴ Arena, *Sand.*
☽ Argentum, Luna, *Silber.*
o—● Arsenicum, *Arsenik.*
ooo Auripigmentum, *Operment.*
☉ Aurum, Sol, *Gold.*
B. ∴ Balneum arenae, *Sandbad.*
B. M. Balneum maris S. Mariae, *Wasserbad.*
B. V. Balneum vaporis, *Dampfbad.*
⏏ Borax, *Borax.*
🜞 Calx, *Kalk überhaupt.*
🜞 va Calx viva, *lebendiger Kalk.*
🜞 m. C. M. Calx metallica, *metallischer Kalk.*
🝫 Camphora, *Kampfer.*
♋ Cancer, *Krebs.*
🝎 Caput mortuum, *Todtenkopf.*
C. B. Carduus benedictus, *Kardobenedikt.*
🜞 Cineres clavellati, *Pottasche.*
🜞 🝗 Cinis, *Asche.*
🜓 Cinnabaris, *Zinnober.*
C. C. Cornu Cervi, *Hirschhorn.*
🝄 Crystalli, *Krystallen.*
♀ Cuprum, Aes, Venus, *Kupfer.*
♌ 🝪 Destillare, *destilliren.*
D. in 2plo. Detur in duplo, *es werde doppelt gemacht.*
D. in p. aequ. Dividatur in partes aequales, *es werde in gleiche Theile getheilet.*

Fer-

♂ Ferrum, Chalybs, Mars, *Eisen.*
F. Fiat, *es werde gemacht.*
V Fixum, *feuerbeständig.*
⊖♁ Hepar Sulphuris, *Schwefelleber.*
Hb. ℍ Herba, *Kraut.*
△ Ignis, *Feuer*, *Wärmstoff.*
Incid. inc. Incidenda incidantur, *was zu zerschneiden ist werde zerschnitten.*
Inc. et 9t. Incisa et contusa, *nachdem alles zerschnitten und zerstossen worden.*
♁ Kobaltum, *Kobold.*
🜃 Lapis, *Stein.*
L. a. Lege artis, *nach den Regeln der Kunst.*
M. Ψ Magnesia alba seu muria, *Bittersalzerde.*
♁ Magnesia nigra seu vitriariorum, *Braunstein.*
ϺP Massa pilularum, *Pillenmasse.*
⊠ Menstruum, *Auflösungsmittel.*
☿ Mercurius vivus, *Queksilber.*
☿ Mercurius praecipitatus, *niedergeschlagenes Queksilber.*
☿♎ Mercurius sublimatus, *äzender Queksilbersublimat.*
M. f. d. s. Misce, fiat, detur, signetur.
ϺR Mixtura, *Mischung.*
⦶ Nitrum, *Salpeter.*
Ol. Oleum, *Oehl.*
°°° Oleum aethereum, *ätherisches Oehl*, *wesentliches Oehl.*
p. d. Per deliquium, *an der Luft zerflossen.*
♧ Phlogiston, *Brennstoff.*
♄ Plumbum, Saturnus, *Bley.*
Praecipitare, *niederschlagen.*
pp. Praeparare, *praepariren.*
Pulvis, *Pulver.*
q. l. Quantum lubet, *so viel als beliebig.*
q. p. Quantum placet, *so viel als gefällig.*
q. s. Quantum satis, s. sufficit, *so viel als zureichend ist.*
q. v. Quantum vis, *so viel du willst.*
℞ Recipe, *nimm.*
Regulus, *König.*
6 𝒮 Retorta, *Retorte.*
ʃʃ Saccharum, *Zucker.*
⊖ Sal, *Salz.*

⊖ Sal alcali aeratum, *mildes Laugensalz.*
⊖v Sal alcalinus fixus aeratus, *mildes fixes oder festes Laugensalz.*
⊖^ Sal alcalinus volatilis aeratus, *mildes flüchtiges Laugensalz.*
⊖vp Sal alcalinus purus causticus, *äzendes Pflanzen-Laugensalz.*
⊖vmp Sal alcalinus mineralis causticus, *äzendes Mineral-Laugensalz.*
⊖^p Sal alcali volatile causticum, *äzendes flüchtiges Laugensalz.*
⊖✱ ⊖(Sal Ammoniacus, *Salmiak.*
⊖ Sal medius, *Mittelsalz.*
⊖S. Sal Sedativus, *Sedativsalz.*
⊖♀, ♀ Sal Tartari, *Weinsteinsalz.*
□ Sapo, *Seife.*
S. A. Secundum artem, *nach der Kunst.*
♌ Spiritus, *Geist.*
🜈 Spiritus Vini, *Weingeist.*
🜈R Spiritus Vini rectificatus, *rektifizirter oder nochmahl abgezogener Weingeist.*
🜈Rss Spiritus Vini rectificatissimus, *höchst rektifizirter Weingeist.*
♃ Stannum, Jupiter, *Zinn.*
S. S. S. Stratum super stratum, *schichtweise übereinander.*
S. M. Substantia metallica, *metallisches Wesen.*
♎ Sublimare, *sublimiren.*
🜍 Sulphur, *Schwefel.*
🜿 Tartarus, *Weinstein.*
🜃 Terra, *Erde.*
🜃 Terra aluminosa, *Alaunerde.*
🜃 Terra argillacea, *Thonerde.*
🜃 Terra calcarea, *Kalkerde.*
🜃 Terra gypsea, *Gypserde.*
🜃 Terra ponderosa, *Schwererde.*
🜃 Terra silicea seu vitrescibilis, *glasachtige Erde, Kieselerde.*
🜃 Terra foliata, *geblätterte oder Blättererde.*
℞ Tinctura, *Tinctur.*
⊕ Viride aeris, *Grünspan.*
ↄ—o ✕ ✕ Vitrum, *Glas.*
ↄ—o ♁ Vitrum Antimonii, *Spiesglanzglas.*
ↄ—o ♄ Vitrum Plumbi, Saturni, *Bleyglas.*
🜖 Vitriolum, *Vitriol.*
🜖 ♀ Vitriolum Cupri, coeruleum, Veneris, *Kupfervitriol.*
🜖 ♂ Vitriolum Ferri, viride, Martis, *Eisenvitriol.*

Vi-

⊕X	Vitriolum Zinci, album, *weisser Vitriol, Gallizenstein.*
A	Volatile, *flüchtig.*
⊡	Urina, *Urin.*
♉.W.	Wismutum, *Wismut.*
X. ♉ Z.	Zincum, *Zink.*

SECTIO III.

Von den Gewichten und Maafsen der Apotheker.

Man bedient sich der Gewichte, sowohl zu trocknen als flüssigen Sachen, die niemals in denen Apotheken gemessen, sondern allezeit gewogen werden sollen; denn die flüssigen Arzneyen sind im Gewicht sehr verschieden, so wiegt z. B. eine Maafs Wasser gemeiniglich 40 Unzen, eben so viel Weingeist wiegt 32 Unzen, eben so viel gemeiner Honig 57 Unzen, eben so viel Baumöhl 30 Unzen, derohalben ist das Messen der flüssigen Arzneyen niemals richtig und sicher.

Das Apothekergewicht mufs den möglichsten Grad der Richtigkeit haben, und immer höchst reinlich gehalten werden, und alle hieländische Apotheker sollen sich des zementirten Wiener Apothekergewichts bedienen. Es sollen keine Mensurirgläser im Allgemeinen statt finden, auch sollen nicht blofs kupferne oder messingene Waagschaalen, sondern, vorzüglich zum Abwiegen der alkalischen und sauren Salze, Wagschalen aus Elfenbein, Knochen, Cocusschalen, Porzellain oder andern dergleichen Materien, eben so sollen, ausser den gewöhnlichen messingenen Löffeln zu demselben Zweck noch elfenbeinerne oder porzelainene vorräthig seyn. Die Handmörsel zum Anstossen und Mischen salzichter oder mineralischer Pulver, der Pillen, und dergleichen dürfen nicht aus Messing oder Eisen, sondern aus Agat, Glas, Marmor oder Serpentinstein bestehen; und alle diese Werkzeuge müssen beständig rein und trocken gehalten werden.

Ein medizinisches Pfund ℔j (libra medica), hält zwölf Unzen oder vier und zwanzig Loth.

Ein bürgerliches Pfund ℔j (libra civilis), hält sechzehen Unzen oder zwey und dreyssig Loth.

Die Unze ℥j (uncia), hält acht Drachmen oder Quentchen.

Die Drachme oder das *Quentchen* ʒj (drachma) hält drey Skrupel oder sechzig Gran.

Der Skrupel ℈j (scrupulus), hält zwanzig Gran.

Das Gran gr. j (granum), dieses wird ein Pfefferkorn schwer geschätzt. Wenn daher halbe oder viertel Grane vorgeschrieben werden; so werden diese Körner in die Hälfte oder in vier Theile gespalten.

Bey Kräutern wird statt Ein Bund F j (Fasciculus), besser eine Unze, statt Eine Handvoll M j (Manipulus), besser eine halbe Unze, statt Ein Pugill P j (Pugillus), besser eine Drachme bestimmt verschrieben.

Die Anzahl von Früchten oder gewissen einzelnen Stücken, als Mandeln, Feigen, Gelb vom Ey, pfleget man durch No. 1. No. 2. u. s. w. anzuzeigen.

Das medizinische Gewicht wird am besten durch folgende Tabelle erkläret.

Medizinisches Gewicht.

	Libra una.	Libra semis.	Uncia una.	Uncia semis.	Dra. una.	Dra. semis.	Scrup. unus.	Scrup. semis.	Gran. unum.
Gr. Granum. *Ein Gran.*	—	—	—	—	—	—	—	—	1
℈ ß Scrupulus semis. *Ein halber Skrupel.*	—	—	—	—	—	—	—	1	10
℈ j Scrupulus unus. *Ein Skrupel.*	—	—	—	—	—	—	1	2	20
ʒ ß Drachma semis. *Eine halbe Drachme.*	—	—	—	—	—	1	1½	3	30
ʒ j Drachma una. *Ein Quintel.*	—	—	—	—	1	2	3	6	60
℥ ß Uncia semis. *Eine halbe Unze.* 1 *Loth.*	—	—	—	1	4	8	12	24	240
℥ j Uncia una. *Eine Unze.* 2 *Loth.*	—	—	1	2	8	16	24	48	480
℔ ß Libra semis. *Ein halbes Pfund.* 12 *Loth.*	—	1	6	12	48	96	144	288	2880
℔ j Libra una. *Ein Pfund.* 24 *Loth.*	1	2	12	24	96	192	288	576	5760

Verhältniſs der Gewichte.

20 Gr. sind gleich	— Unze	— Drachme	1 Skrupel	— Gran.
30	—	—	1	10
40	—	—	2	—
50	—	—	2	10
60	—	1	—	—
70	—	1	—	10
80	—	1	1	—
90	—	1	1	10
100	—	1	2	—
200	—	3	1	—
240	½	—	—	—
300	—	5	—	—
400	—	6	2	—
480	1	—	—	—
500	1	—	1	—
600	1	2	—	—
700	1	3	2	—
800	1	5	1	—
900	1	7	—	—
1000	2	—	2	—

Bey den flüssigen Arzneyen, wie schon gemeldet worden, soll man sich immer wegen Verschiedenheit ihres spezifiken Gewichts des Apothekergewichts und nicht der Mensurirgläser bedienen; bloſs soll deren Gebrauch bey Infusionen und Dekokten erlaubt seyn.

Mens. I. Mensura una, *eine Maaſs*, hält vier Quart oder Seidel.

Mens. ½ Mensura dimidia, *eine halbe Maaſs*, hält zwey Quart oder Seidel.

Quart. Quartarius, *ein Quart oder Seidel*, hält beyläufig zwölf Unzen, oder ein Pfund.

Cochl. I. Cochleare unum, *ein Eſslöffel voll*, hält beyläufig eine halbe Unze.

Gtt. I. Gutta una, *ein Tropfen*, hält beyläufig ein Gran.

EX-

EXTRACTUM TABELLARE

EXPERIMENTORUM *BRISSONI*, AD GRAVITATEM SPECIFICAM VARIORUM CORPORUM DETERMINANDAM.

In hac Tabula gravitas specifica Aquae destillatae aut pluviae, quarum Pes cubicus 70 libras ponderat, pro 10000 recipitur, et gravitas aliorum corporum in temperatura 14 graduum supra gradum glaciei juxta Thermometrum Reaumur comparata fuit.

1 Pes cubicus.	Gravitas specifica.	Pondus absolutum.			
		libra.	uncia semis.	drachma.	granum.
Aqua destillata	10000	70	—	—	—
— pluvia	10000	70	—	—	—
— Sedlizensis	10174	71	6	3	$54\frac{1}{6}$
— Seydschützensis	10187	71	9	3	$33\frac{1}{3}$
— Selterana	10035	70	7	3	$21\frac{1}{3}$
— Spadana	10009	70	1	—	$\frac{5}{6}$
Salis communis unciae duae in libra aquae	10790	75	16	3	50
— unciae sex in libra aquae	12038	84	8	2	$2\frac{1}{2}$
— Ammoniaci unciae duae in libra aquae	10339	72	11	3	45
— quatuor unciae et drachmae duae 45 grana in libra aquae	10635	74	14	—	$57\frac{1}{2}$
— Tartari unciae duae in libra aquae	10845	75	29	1	$7\frac{1}{2}$
— unciae quatuor in libra aquae	11575	81	1	—	$5\frac{5}{6}$
Sodae alicantinae unciae duae in libra aquae	10483	73	12	—	$45\frac{1}{6}$
— unciae tres in libra aquae	10632	74	1	—	$16\frac{2}{3}$
Salis mirabilis Glauberi unciae duae in libra aquae	10438	73	1	—	$26\frac{2}{3}$
— unciae quatuor in libra aquae	10795	75	18	—	$19\frac{1}{6}$
Salis Seignetti unciae duae in libra aquae	10584	74	1	3	$15\frac{5}{6}$
— unciae quatuor in libra aquae	11068	77	9	3	$56\frac{5}{6}$
— Sedlizensis unciae duae in libra aquae	10593	74	4	3	20
— unciae quatuor in libra aquae	11082	77	18	1	$28\frac{1}{3}$
Nitri unciae duae in libra aquae	10702	74	29	—	$59\frac{1}{6}$

1 Pes cubicus.	Gravitas specifica.	Pondus absolutum.			
		libra.	uncia semis.	drachma.	granum.
Sacchari Saturni unciae duae in libra aquae	10700	74	28	3	$11\frac{2}{3}$
Vitrioli Martis unciae duae in libra aquae	10629	74	12	3	35
— Veneris unciae duae in libra aquae	10763	75	10	3	39
— Zinci unciae duae in libra aquae	10677	74	23	2	$35\frac{5}{6}$
Spiritus Vini communis	8371	58	19	—	25
Alcohol	8293	58	1	2	$31\frac{2}{3}$
Naphtha Vitrioli	7369	51	24	2	$49\frac{1}{6}$
— Nitri	9088	63	19	2	$50\frac{5}{6}$
— Aceti	8664	60	20	2	$56\frac{2}{3}$
Acidum Vitrioli	18409	128	27	2	$57\frac{1}{2}$
— Nitri	12715	89	—	—	$38\frac{1}{3}$
— Salis	11940	83	18	2	$14\frac{1}{6}$
Acetum destillatum	10095	70	21	1	$7\frac{1}{2}$
— concentratissimum seu Alcohol Aceti	10626	74	12	—	$54\frac{1}{3}$
Acidum Phosphori	15575	109	—	3	$11\frac{2}{3}$
Liquor Salis Tartari, seu Oleum Tartari per deliquium	14594	102	5	—	$13\frac{1}{3}$
Spiritus Salis Ammoniaci causticus	8970	62	25	1	$7\frac{1}{2}$
Oleum Terebinthinae	8697	60	28	—	$30\frac{5}{6}$
— Caryophyllorum	10363	72	17	1	15
— Cinnamomi	10439	73	2	1	$20\frac{5}{6}$
— Olivarum	9153	64	2	1	5
— Amygdalarum dulcium	9170	64	6	—	$19\frac{1}{6}$
— Lini	9403	65	26	1	5
Serum lactis clarificatum	10193	71	11	—	$56\frac{5}{6}$
Lac vaccinum	10324	72	8	2	$18\frac{2}{3}$
Aer atmosphericus	125625	—	2	3	184320
— dephlogisticatus	126696	—	2	3	253440
— fixus	186161	—	4	—	489600
— inflammabilis	09911	—	—	—	639360
— nitrosus	130179	—	2	3	578080
— hepaticus	253929	—	5	2	541440
— alcalinus	65358	—	1	1	616320
Resina communis	10886	76	6	6	$52\frac{2}{3}$
— Pini	10727	75	2	2	$23\frac{1}{3}$
Sandaracha	10920	76	14	14	$19\frac{1}{6}$
Mastix	10742	75	6	—	50
Styrax	11098	77	21	3	$48\frac{1}{2}$

1 Pes cubicus.	Gravitas specifica.	Pondus absolutum.			
		libra.	uncia semis.	drach-ma.	granum.
Benzoe	10924	76	14	3	$54\frac{1}{6}$
Camphora	9887	69	6	2	55
Resina elastica	9335	65	11	—	10
Gummi Ammoniacum	12071	84	15	3	$36\frac{2}{3}$
Olibanum	11732	82	3	3	$52\frac{1}{2}$
Myrrha	13600	95	6	1	$35\frac{5}{6}$
Gummi Arabicum	14523	102	21	—	$36\frac{2}{3}$
Gummi Tragacanthae	13161	92	4	—	15
Cera flava	9648	97	17	—	$36\frac{2}{3}$
— alba	9689	67	25	2	$39\frac{1}{6}$
Sebum	9419	65	29	3	$25\frac{5}{6}$
Butyrum	9423	65	30	3	$\frac{5}{6}$
Sulphur nativum	20332	142	10	1	$28\frac{1}{3}$
Sulphur fusum	19907	139	10	3	$46\frac{2}{3}$
Gummi Asphaltum	11044	77	9	3	$25\frac{5}{6}$
Oleum Petrae	8783	61	15	3	$34\frac{1}{6}$
Naphtha	8475	59	10	1	$35\frac{5}{6}$
Ambra	9263	94	26	2	$39\frac{1}{6}$
Succinum flavum	10780	75	14	2	$52\frac{1}{2}$
Aurum purum fusum non malleatum	192581	1348	2	—	$34\frac{1}{6}$
— malleatnm	193617	1355	10	—	50
Argentum purum fusum non malleatum	104743	733	6	1	$45\frac{1}{3}$
— malleatum	105107	735	23	3	$53\frac{5}{6}$
Platina cruda in granis	156017	1092	3	3	$14\frac{1}{6}$
— fusa depurata	195000	1365	—	—	—
— malleata	203366	1423	17	3	$56\frac{5}{6}$
Cuprum fusum	77880	545	5	—	$29\frac{1}{6}$
Cuprum malleatum seu in fila ductum	88785	621	15	3	$21\frac{2}{3}$
Ferrum fusum	72070	504	15	2	$43\frac{1}{3}$
Ferrum in bacculis	77880	505	5	—	$29\frac{1}{6}$
Stannum anglicum purum fusum	72914	501	12	2	$56\frac{2}{3}$
— malleatum	72994	501	30	2	$37\frac{1}{2}$
Plumbum fusum	113523	794	21	—	$36\frac{2}{3}$
Regulus Zinci	71908	503	11	1	$34\frac{1}{6}$
— Wismuthi	98217	687	18	3	$23\frac{1}{3}$
— Kobalthi	78139	546	26	2	$37\frac{1}{2}$
— Antimonii	67021	469	4	2	$49\frac{1}{6}$
Hydrargyrum seu Mercurius vivus	135681	949	24	2	$10\frac{5}{6}$
Mercurius calcinatus per se	108710	760	31	—	10
— praecipitatus ruber	83992	587	30	—	50

TABULA

sistens copiam Salium neutrorum et mediorum, quam uncia una Aquae destillatae, in temperatura decem graduum supra o seu Zero Thermometri Reaumuriani, solutam tenere potest.

Uncia una Aquae solvit

Salia lixiviosa.

- Salis Tartari 7 drachmas.
- Lapidis caustici 1 unciam.
- Sodae depuratae 6 drachmas.
- Alcali volatilis sicci 5 drachmas.

Salia media terrestria.

- Salis amari Anglici 5 drachmas.
- Terrae ponderosae salitae 1 drachma, 1 scrupulum.
- Calcis salitae 1 unciam, 1 drachmam.
- Aluminis crudi 1 unciam, 30 grana.

Salia neutra.

- Tartari vitriolati 30 grana.
- Salis mirabilis 3 drachmas et 20 grana.
- Nitri depurati 1 drachma et grana 30.
- — rhomboidalis 3 drachmas.
- Salis digestivi 2 drachmas.
- — Ammoniaci 3 drachmas.
- Sodae phosphoratae 3 drachmas.
- Terrae foliatae Tartari 7 drachmas, 30 grana.
- — — Tartari crystallisat. 5 drachmas.
- Tartari Tartarisati 3 drachmas.
- Salis Seignetti 4 drachmas.
- Cremoris Tartari 3 grana.
- — — solubilis 6 drachmas.
- Boracis venetae 24 grana.

Salia metallica.

- Mercurii nitrosi 2 drachmas; durante solutione vero aliquid Calcis albae separatur.
- — sublimati 30 grana.
- Vitrioli Martis 2 drachmas.
- Salis Martis 7 drachmas.
- Florum Salis Ammoniaci martialium 4 drachmas.
- Tartari emetici 3 drachmas.
- Vitrioli Cupri 2 drachmas.
- — Zinci seu albi 3 drachmas.
- Sacchari Saturni 4 drachmas.

TABULA SOLUTIONIS SALIUM IN AQUA.

8 unciae Aquae solvunt	in calore juxta Thermometrum Fahrenheitianum									
in gradu caloris	40—42	47	50	75	104	122	125	144	200	212
	u. d. g.	u. d. g.	u. d. g.	u. d. g.	u. d. g.	u. d. g.	u. d. g.	u. d. g.	u. d. g.	u. d. g.
Flores Benzoe									—1, 20	
Sal Succini			——40							
— Tartari			4, ——							
— Sodae	2, 4, —									
— volatile Cornu Cervi	1, 4, —									
Tartarus vitriolatus	1, 4, —									
Sal mirabile Glauberi			2, 6, 24							1, 7, 32
— — calcinatum								3, —56		
Selenites artificialis								1, 5, 52		
Alumen	4, 4, —		—1, 12							—— 8
— calcinatum	1, 4, —							1, 6, 16		
Sal Sedlizense	3, 4, —		6, 3, 12							
— — calcinatum								2, 4, 46		
Vitriolum Martis	9, 4, —									
— Cupri	9, ——					8, ——				
— Zinci	3, 6, —			8, ——						
— Argenti										
Nitrum prismaticum	4, ——									——44
— cubicum								3, 6, 40		
Plumbum nitratum							8, ——			
Argentum nitratum				8, ——						1, —24
Sal commune	3, 1, 20									
— gemmae	3, 4, —									
— Ammoniacum			2, 7, 28							
Saturnus cornuus								2, —56		
Mercurius sublimatus			—4, —							—2, 8
Sal commune calcinatum										2, 2, 28
Terra foliata Tartari			3, 6, 40							3, 1, 16
Saccharum Saturni	1, 2, —					8, ——				
Aerugo crystallisata										
Tartarus crudus			——32							1, 4, 48
Borax	—4, 40									
Saccharum Thomaei			6, ——					1, 4, 48		
Cremor Tartari	—4, —									
Tartarus tartarisatus			3, 4, 16							—4, 36
Sal Seignetti	3, ——			8, ——						
Saccharum purum		8, ——								

SOLUBILITAS SALIUM MEDIORUM IN SPIRITU VINI.

Spiritus Vini ad has solutiones adhibitus per repetitas destillationes leni calore depuratus, et sine omni additamento paratus tam fortis erat, quantum possibile. Vitrum, quod exacte unciam unam Aquae destillatae capere poterat, hujus Spiritus drahmas sex et grana quinquaginta quatuor capiebat, et Mercurius in Thermometro Reaumuriano erat in 10 gradu supra 0 seu Zero.

Sa-

Salia ante solutionem cautissime exsiccata erant et Aqua crystallisationis penitus orbata. Singulo Sali in phiala vitrea uncia semis Spiritus Vini adfundebatur, phiala fuit clausa, et in balneum arenae posita, Spiritus Vini sensim ad ebullitionem calefactus fuit, et adhuc ebulliens filtrabatur. Dein ad refrigerandum sepositus fuit, ad observandas crysallos, quae ita nasci possunt, et tandem penitus evaporatus fuit, et omne Sal residuum, collectum et ponderatum fuit.

In Spiritu Vini non solvuntur:

Tartarus vitriolatus,
Sal mirabile Glauberi,
Sal Ammoniacum secretum Glauberi,
Selenites,
Vitriolum Argenti,
Vitriolum Mercurii,
Vitriolum Cupri,
Vitriolum Martis,
Sal commune,
Luna cornua.

Uncia semis Spiritus Vini solvit:

Nitri	—	℥ß	4	grana.
Nitri cubici	—	—	15	—
Nitri flammantis	—	—	108	—
Nitri calcarei	1	—	—	—
Argenti nitrati	—	—	84	—
Cupri nitrati	—	—	48	—
Salis digestivi	—	—	5	—
Salis Ammoniaci	—	—	24	—
Salis Ammoniaci fixi	1	—	—	—
Mercurii sublimati corrosivi	—	—	204	—
Ferri acido Salis soluti	—	—	16	—

SECTIO IV.

REGULAE PRO PHARMACEUTICORUM VEGETABILIUM COLLECTIONE, SICCATIONE ET ASSERVATIONE.

I. Cultura, Plantarum virtuti medicae iniqua est; Plantae agrestes et sylvestres ideo in collectione hortensibus praeferendae sunt.

II. Inter ejusmodi Speciei Plantas, eligendae quae ex solo sicco, elato vel montano germinant, virtute medica enim antecellunt in palludoso ac humido habitantibus.

III. Sic et Plantae ejusdem Speciei Aeri libero et radiis Solis expositae, prae in umbra et locis Sole privatis crescentibus colligendae sunt,

IV. Quaslibet Plantarum partes sereno semper coelo, neque pluvia neque rore madidas colligere Pharmacopoeum oportet.

V. Plantae et Plantarum partes insectis vel vermibus erosae, decoloratae et emarcidae rejiciendae sunt.

VI. Plantae et ipsarum partes ante exsiccationem ab omnibus impuritatibus ac heterogeneis caute expurgentur.

VII. In siccandis Plantis cautione opus est accurata, ne permutationi vel permixtioni Plantarum locus relinquatur, bene ergo quaelibet copia earundem Plantarum a copia aliarum satis remota maneat et tabula nomine Plantae inscripto distinguatur minime mobili.

VIII. Omnes Plantae indigenae earumque partes quolibet anno recentes colligantur et exsiccentur, et quaelibet ex collectione anni praeteriti reliquae abjiciantur. Omnes Plantarum partes odore volatili vel mox pereunte praeditae, minime in loculis apertis sed optime in ampullis terrestribus vel vitreis asserventur.

IX. Plantarum *Radices*, nonnullis, quae in delectu Radicum nostro indicatae leguntur, exceptis, ante Florum colligantur explicationem. *Annuae* Radices, antequam protrudant Caules et Flores, effodiantur. *Biennes* altero vere ante Caulis germinationem evellantur, defectu autem urgente etiam autumno primo, ast tunc post Foliorum et Caulium marcorem erui possunt. *Perennes* vere vel autumno ante Florum expansionem colligantur, exceptiones suo loco videndae. Notetur autem Plantarum Radices primo vere Caules pullulantium v. c. Radix Caryophyllata seu Gei urbani, simulac Terra solvitur, et earum quae hyeme edunt Flores, v. c. Radix Hellebori nigri, autumno ineunte effodiendas esse; Radices bulbosae maximam partem autumno, Caulibus emarcidis, colligendae, repentes et fibrosae autem v. c. Radix Graminis, vere ineunte. Radices Arborum et Fruticum etiam tempore verno, tamdiu lignum decorticari se sinit, evellantur.

X. Spongiosae, farinaceae, erosae, cariosae Radices, inprimis vero quarum Cortex plane exsuccus deprehenditur, in colligendo rejiciantur, integritas enim Radicum denotatur succulento ac toroso Corticum habitu.

XI. Probe Radices quisquiliis et impuritatibus solerti sed veloci in Aqua frigida purgentur ablutione, quae vero principiis aromaticis, fragrantibus ac balsamicis abundant lotione jacturam faciunt, sufficit si de leniter siccatis partes terrestres sordesque excutiantur. Fibril-

brillae Radicum, nisi usus medicus earum retentionem desiderat, rescindendae veniunt. Radices praegrandes et succulentae expurgatione peracta vel in taleolas dissecandae vel longitudinaliter diffindendae.

XII. Omnes Radices, inprimis vero fragrantes, loco calido Aere perflato, vel leni et cauto fornacis calore cito siccentur, ita vero ut caloris gradus repentine magnus evitetur, nec prius cistis immittendae sunt, quam cum exacte siccatae fuerint. Quaedam Radices cujus virtus siccatione perit v. c. Radix Armoraciae, in cella sabubulo sicco reconditae serventur.

XIII. Radices siccatae frigido sed siccissimo serventur loco ne mucorem vel cariem induant, *odore* autem praeditae *forti*, ut Radix Valerianae, *vitreis* includantur *vasis*.

XIV. Ad collectionem *Lignorum* et *Corticum* tempus vernum, quando Arbores et Frutices gemmascunt et frondescunt, est aptissimum, ac ex Arboribus capi debent junioribus ac vegetis.

XV. *Stipites* autumno ineunte resecentur, tunc Succo scatent efficaciori.

XVI. Modus siccandi et servandi Ligna, Cortices et Stipites, lichenibus ac muscis probe abrasis, modo siccandarum Radicum similis est.

XVII. *Turiones* et *Gemmae* vere primo, quando a partibus adhuc obvolutis turgescunt et ante Foliorum explicationem decerpendae.

XVIII. *Herbae* et *Folia* coelo sereno, rore nocturno exsiccato et vespertino nondum exorto colligantur.

XIX. Herbae Plantarum *annuarum* tempore Florum expansionis, *biennium* tempore verno ante Caulis proceritatem, et *perennium* ante Florum explicationem colligantur.

XX. Herba flaccida et flava rejiciatur, solummodo enim vegeta, integra ac recens vires possidet medicas.

XXI. Herbae vel calore Solis forti, in loco ab Aere perflato, vel foci communis, semper vero ea copia exsiccentur qua exsiccatio citissime fiat, color nativus perfectissime servatus indicium est virium per tostionem minime amissarum.

XXII. *Flores* optime ante plenissimam explicationem, saltem nuper expansi, colligantur, certe antequam Antherarum pollinem exploserint; simulac petala Florum delapsui enim proxima sunt, virtutis maximam partem perdiderunt et ad usum medicum inutilia evaserunt.

XXIII.

XXIII. Tempestate Flores decerpendi sunt siccissima, et postquam radii Solis rorem dissipaverint, ne in exsiccatione corrumpantur.

XXIV. Siccentur, quum color ac odor repente pereunt, eodem modo ut Herbae, semper quam fieri potest citissime.

XXV. *Fructus*, nisi ars medica difinite immaturos poscat, semper maturi, sed minime nimis maturi, decerpantur.

XXVI. *Semina* colligantur perfecte matura, sed minime quae sponte excidere.

XXVII. In loco Semina exsiccanda sunt ab Aere bene perflato, et ea quae capsulis, involucris etc. inclusa sunt et his munita siccentur et serventur.

XXVIII. Communiter ante usum medicum, delectus Seminum necessarius est, eo modo instituendus, ut Aquae immittantur frigidae et omne supernatans abjiciatur, fundum vero quod petit iterum siccandum et asservandum sit, quae immissio autem brevis fiat, ne maceratione partes extrahantur aromaticae.

SECTIO V.

REGULAE ET MONITA QUAEDAM DE LABORATORIO, INSTRUMENTIS, UTENSILIBUS ET RELIQUA SUPELLECTILE PHARMACEUTICA.

Pharmacopolium recte constitutum Laboratorio congruo, instrumentis, utensilibus et supellectile chemica armato, utique oportet esse instructum. *Laboratorium* optime in tabulato domus superiori ad praecavenda multa, ab uligine incommoda, poneretur, quod quidem apud nos nondum ubique fieri potest. Juxta Laboratorium *conclave* exstructum sit *siccissimum*, ergo non lapidibus sed ligno cinctum, et Aere semper purissimo repletum, quod receptioni et conservationi diversarum, chemico laboratori necessariarum rerum dicatum sit, quibus minime locus concedi potest in Laboratorio. Spatiosum sit Laboratorium ad minimum duodecim pedes longum et latum; solum ejus sit pavimentum, vel lapidibus stratum, ex quibus etiam parietes exstructi sint, ita, ut omnino tutum sit ab incendio. Ei Aeris accessus et lumen clarum conciliari debet per fenestras, nimium aútem fenestrarum inprimis oppositarum, ob flatum aurae, nocivum est. Instructum praecipue sit camino pro furnis locandis satis amplo, fumosque optime determinante, cujus inferior pars, fumum recipiens, repando pyramidiformi hiatu patula et pro numero et magnitudine fornacum satis larga sit, superior autem sive tectum Laboratorii transcendens canalem formet solummodo sesqui vel duos pedes amplum, qua amplitudine etiam aliquot pedes ultra sum-

summum domus fastigium protendatur, minime tamen recto sed parum flexo itinere eousque productus. In altitudine hiatus camini conveniente series uncorum muris infigenda est, quibus apparatus utensilium minorum metallicorum suspendatur. Parietibus Laboratorii repositoria et scrinia sint affixa, ad reponendam aliam pharmaceuticam supellectilem mechanicam. In angulo quodam Aquae ductio cum alveo et emissario suo utinam exstrui possit, circa quam claves muris infigendi, ad suspendendum varium lavatorium apparatum. Laboratorii in medio collocata sit mensa convenientis amplitudinis, in qua omnes praeparatorii labores, pulverisatio, solutio, mixtio, filtratio, praecipitatio etc. fieri possunt. Aliis in locis consentaneis ponendi sunt lignei trunci ad imponenda mortaria majora. Praecipue et semper in Laboratorio vigeat ordo et mundities summa; quodlibet instrumentum mundatum suo loco, post usum ejus, est restituendum; omnibus solutionibus et laborum chemicorum productis eductisque in lagenis vel alio modo servandis schedulae, quibus nomen inscriptum, alligandae vel affigendae, vel apellatio fasciculo inscribenda est. Ut memoranda statim et convenienter notari queant Laboratorium, omnino minime carere debet instrumentis et charta scriptoria.

Instrumenta et Utensilia et Supellex chemica mechanicis Operationibus pharmaceuticis dicata, quae Laboratorium habeat parata in primis sunt:

§. I. *Ad comminutionem et pulverationem:*

1. *Incisoria*, *a*) culter longus ac rectus tabulae ligneae durae trochlea stabilitus, (*Schneidemesser*); *b*) culter falcatus manubriis ligneis cum asse sua sectoria (*Wiegemesser*).

2. *Limae* et *Scobinae* chalybeae (*Feilen und Raspeln*).

3. *Mortaria varia*, *a*) mortarium amplum ferreum cum pistillo ferreo ad contundendas Radices, Cortices etc.; mortaria majora ex Aurichalco, Cupro vel Aere e Pharmacopoliis plane exulanda sunt. *b*) Mortarium majus lapideum cum pistillo ligneo ad conquassandas Herbas et Fructus. *c*) Mortaria minora ex Aurichalco, ad parandas emulsiones et ad alios labores Aurichalcum minime afficientes; *d*) mortaria minora vel laevigatoria (*Reibschaalen*) vitrea, cum pistillis suis ad pulveranda Salia et praeparata mineralia et *e*) mortaria sive laevigatoria variae magnitudinis praecipue e lapide serpentino vel e marmore parata cum pistillis suis, ad pulveranda et miscenda friabilia medicamina ac pharmaceutica.

4. *Saxum laevigatorium* e porphyrite cum cursore suo (*Praeparirstein*) ad laeviganda inprimis mineralia mediante Aqua.

5. *Perforata* vel *Cola* ex lamina ferrea probo Stanno obducta confecta (*blecherne Durchschläge*) ad percribrandos Pulveres vegetabiles crassiores vel Species.

6. *Cribra varia a*) Cribra majora ex assulis constructa (*Spansiebe* ad segreganda pulverulenta et mutilata ab integris et ad siccationem Herbarum Florum etc. *b*) Cribra minora diversae subtilitatis ex setis equinis vel camelinis, vel ex textu tenuissimo sericeo parata, et, ad dispersionem evitandam, fundo et tecto coriaceo instructa (*Haar - und Florsiebe*), ad percribrandos Pulveres tenuissimos et ad trajiciendos terendo Succos vegetabiles. Usus Cribrorum ex filis metallicis, praecipue aurichalceis, constructorum plane prohibitus est.

7. *Pixis lignea cum inserto incerniculo* ex duplicato linteo subtilissimo confecto, ad percribrandum pollen sive Alcohol pulverum.

§. II. *Ad colationem, filtrationem et ad separationem partium solidarum a fluidis vel graviorum a levioribus.*

1. *Pressoria* sive *Prela* majora et minora, Prela sint rotunda et tribus instructa trochleis, in longis enim et angustioribus ac binis solummodo praeditis trochleis, saccus uno vel altero e latere excedit; laminae etiam sunto orbiculatae, et inferior margine sursum flexo et rostro exstructa sit, ex quo liquidum expressum sine Preli contactu possit defluere. Ad Prela etiam pertinent sacculi, quibus exprimenda includantur, qui vero, pro horum diversitate, ex linteo, cannabino, vel laneo panno forti confecti sint, et saepius pro qualibet expressione sacculus novus parandus est; jam adhibiti sacculi autem, quodsi alter eorum usus licitus esset, ante quemlibet usum novum, solertissime abluendi sunt.

2. *Colatoria* plura, sive panni majores et minores lintei, cannabini et lanei (*Seihetücher*) semper mundissimi servandi.

3. *Manicae Hippocratis* (*Filtrirhüte*); sacculi pyramidiformes ex coactili vel panno laneo denso et albo confecti.

4. *Corbes* variae magnitudinis *pro filtro*, ex pennis anserinis, vel bacillis ligneis conflati. (*Filtrirkörbe*).

5. *Tenacula* vel *Sustentacula;* lignea in formam quadratam figurata, pro sustentandis colatoriis. (*Tenakel*).

6. *Infundibula vitrea* variae amplitudinis at diversae rostri longitudinis, et nonnulla, pro retortis, rostro incurvato instructa.

7. *Infundibula separatoria vitrea*, (*Scheidtrichter*) quorum venter ovi, cujus vertex parvo foramine perforatus est, figuram habet, et ad utrumque latus ansa praedita ad separanda Olea et Naphthas ab Aqua.

8.

8. *Syringae vitreae* (*Glasspritzen*) ad eundem usum.

9. *Ligulae* (*Schaumlöffel*) ad impuritates in decoctionibus saccharinis, melleis, et variorum Succorum a superficie removendas.

10. *Vitrum*, praevia excandefactione et exstinctione subtilissime *pulveratum*, et *arena* optime *elota*, quae ad acria, chartam corrodentia filtranda, infundibulo vitreo ingerantur.

11. *Copia chartae bibulae*, cum *albae* sive typographicae, tum *cinerei* coloris ad filtranda liquida spirituosa et aquosa.

§. III. *Ad digestionem, solutionem, inspissationem, evaporationem et coctionem.*

1. *Pro digestorio et apparatu balnei arenae* adhibetur furnus catini sub §. IV. 8. memorandus.

2. *Balneum Mariae, sive Maris* (*Wasser - oder Marienbad*) paratur cavo sive ergastulo furni catini vel etiam vesicae imponendo ahenum cupreum vel ferreum convenientis amplitudinis. Quodsi materiam tractandam includit digestor sive cucurbita, haec vasa prius circulo plumbeo, qui ea praestet immobilia, funiculorum ope instruantur et in fundo aheni, postea Aqua communi implendi, coronae stramineae, imponantur; si autem materia inspissanda vel evaporanda est, pro ejus qualitate cacabus inspissatorius ferreus No. 3. vel cacabus stanneus No. 4. aheno balnei Mariae, prius Aqua communi repleto, ita immittatur, ut margo cacabi margini aheni incumbat, venter autem Aquae immersus sit. Tunc ignis in foco eo usque augeatur, donec Aqua semper ebulliat, minime vero marginem aheni transsiliat; Aqua autem per ignem in vapores acta, subinde per affusionem novae portionis restituatur.

3. *Cacabus inspissatorius stanneus, vas inspissatorium* (*Eindickungspfanne*). Cacabus convenientis magnitudinis, ex Stanno anglico purissimo confectus, fundo quidem ventricoso ast quodammodo planiori, margine plano latiori et ad utrumque latus ansa instructus.

4. *Ahenum sive Cacabus* utique ex *probo Stanno indico vel anglico* paratus, (*zinnerner Kessel*) figura sed amplitudine cacabi inspissatorii. Hicce cacabus pro solutione, majori inspissatione et coctione materiarum, quibus acidum inest, summe necessarius.

5. *Phialae sive matracia* (*Phiolen*) variae amplitudinis, fundi, et plani et convexi. Vasa vitrea, quae non discrepant a cucurbitis (§. IV. 11.) nisi collo arctiore et longiori, ubique cylindrico; sueto more etiam cucurbitae phialis substituuntur.

6. *Patinae sive patellae evaporatoriae vitreae* (*gläserne Abdampfungsschaalen*) variae amplitudinis. Vasa vitrea, fundo planissimo, margine duos solummodo vel tres digitos alto nonnihil repando, quae patellis similis figurae ex lamina ferrea confectis, luti ope inserta sunt. Quae insertio vel patinarum vitrearum loricatio sequenti paratur modo: latus externum patinae vitreae obducitur, ad crassitiem tertiae partis pollicis, luto ex pulverum boli rubrae et talci veneti partibus anaticis cum vernice ex Olei Lini et Lithargyrio cocta composito, patella tunc ferrea luto adhuc humido firmiter adjungitur et praeterea filo ferreo margini patinae vitreae annectitur. Patina evaporatoria sic loricata ignem sustinet etiam nudum.

7. *Digestor vitreus* (*Cullens Digestor*). Lagena ex vitro viridescente parata, cum epistomio vitreo arctissime claudente; cucurbitae similis, ast collo multo breviori et angustiori, parietibus tres quadrantes pollicis crassis. Qui digestor primo in calida postea in fervida Aqua bene calefiat, tunc ad quinque sextas partes cum menstruo et materia digerenda repleatur ac epistomio suo vitreo, charta subtili vestito, et cum filo solido metallico in collo adstricto clausus, balneo Mariae immergatur, ita ut vix digestoris collum ex Aqua promineat, et balneum per nonnullas horas ebulliat.

8. *Ahena et Cacabi ex Cupro parati et intus probo Stanno anglico vel indico incrustati*, diversae amplitudinis. (*Kupferne Kessel und Pfannen.*) Maximum ahenum dimidiam ad minimum capiat amphoram vinariam. Inprimis praesto sit ahenum ad balneum Mariae, ergo ergastulo furni catini consentaneum. Minora etiam in promptu sint, quae viginti, duodecim, sex, quatuor, duas et solummodo unam capiant Aquae libram, quorum alia, inprimis minora habeant fundum planum, alia ventricosum, et minora pro ansa instructa sint manubrio longo ferreo. Nulla res salsa in ahenis vel cacabis cupreis solvi vel coqui debet.

9. *Nonnulla ahena ferrea fusione confecta*, et viginti librarum et decem capacitatis, intus optime laevigata et contra rubiginem solertissime conservanda.

10. *Ollae ferreae* fusione paratae, fundo plano Aquae libras et triginta et octodecim capientes.

11. *Ollae* plures *testaceae* diversae capacitatis, et Confluentiae vel Waldenburgi paratae.

12. *Sartagines* plures *testaceae planae*, et diversae amplitudinis, Confluentiae vel Waldenburgi confectae.

13. *Patellae porcellanicae*, *planissimae*, diversae magnitudinis.

§. IV.

§. IV. *Ad desillationem sive abstractionem.*

1. *Furnus vesicae.* (*Blasenofen*). Fornax stabilis ex lateribus situ horizontali collocatis et luto exstructa. Amplam fornacum et hujus et aliarum descriptionem scopus non concedit, concinna enim solummodo Instrumentorum et Utensilium enumeratio traditur.

2. *Vesica destillatoria* (*Destillierblase*) ex bractea cuprea compaginata, interne Stanno indico vel anglico genuino obducta. Latitudo ejus propemodum sit profunditati aequalis, collo sive orificio instructa sit satis amplo, ita ut amplitudini vesicae ferme aequet.

3. *Alembicus* sive *capitulum vesicae* (*Blasenhut*) ex Stanno indico vel anglico purissimo paratum, orificio vesicae aptum et figurae coniformis acutae, ex cujus inferiori parte, sine omni eminentia sed plane tubus parvus conoideus emittitur, rostrum nuncupatus. Optime hoc capitellum extus vase quodam circumdatum est aeque alto, quod caput aethiopis (*Mohrenkopf*, *Hutabkühler*, *Kühlkessel*) apellatur.

4. *Tubus refrigeratorius* (*Kühlröhre*) longus ac rectus minime ex Cupro sed ex Stanno puro anglico vel indico confectus.

5. *Refrigeratorium* (*Kühlfafs*). Dolium integri vel dimidii Oxhoft capax, in fundo instructum canali emissario, obturaculo mobili claudendo, quod Aqua frigida repletur et a tubo refrigeratorio oblique percurritur.

6. *Tubi intermedii vitrei* (*gläserne Vorstösse*) cylindri cavi in altero autem extremo paulum convergentes, dimidium vel integrum pedem longi, in medio in ventrem dilatati ibidemque tubulo instructi.

7. *Excipula sive recipientia vitrea* (*Vorlagen*) majora et minora, quorum nonnulla in latere parvum tubulum emittant, epistomio mobili obturandum.

8. *Furnus catini* sive *furnus digestorius*, sive *balneum arenae* (*Kapellenofen, Sandbaad*). Fornax furno vesicae similis, cujus ergastulum autem a catino occupatur.

9. *Catinus* (*Kapelle*) ex Ferro fusione paratus, ergastulo furni catini aptissimus, margine extrinsecus reflexo, quocum furno innititur, uno latere autem in orbem dimidium exsecatus, ut collum retortae in destillatione extra protendi possit; hujus orbis margo etiam reflexa sit. Qui catinus arena repleatur siccissima et bene percribrata.

10. *Retortae vitreae* variae magnitudinis et sphaerae oblongae pyriformis, (*englische Retorten*) et sphaerae orbicularis. Prima species adhibetur, quando destillatur materies, quae facile intumescit et elevatur; secun-

da vero saepissime in usu habetur. Collum cujuslibet retortae minime ex medio ventris sed a suprema sphaerae apice productum sit, et in origine sua spatiosum et aperturae liberae. Retortae etiam in promtu sint, ex quarum ventre tubus parvus cylindricus exit, epistomio mobili claudendus, quae retortae nuncupantur *tubulatae* (*Tubulatretorten*). Quaelibet retorta omnibus in locis aequalis sit crassitiei, et nullis bullis, lapillulis vel concrementis conspurcata. Quo tenuior retorta, eo constantior sustinet vim ignis.

11. *Cucurbitae vitreae* diversae amplitudinis, et fundi plani et fundi convexi. Quarum sphaerae diameter pedem dimidium non explet *Cucurbitae separatoriae* (*Scheidkolben*) nominantur; si vero pedem dimidium quidem, minime autem integrum transcendit, stricte *Cucurbitae* appellantur, in quibus diameter a pede uno ad duos usque assurgit *magistrales* (*Herrenkolben*) nuncupantur. Quarum amplitudo duos pedes superat recipientis majoris nomine (*Ballons*) veniunt; hae quandoque octoginta et ultra libras Aquae capere possunt; raro tamen tanta magnitudine adhibentur, nisi ad siccam destillationem substantiarum animalium et vegetabilium, ubi materies in excipulum non forma fluida, sed forma vaporum valde elasticorum transcendit. Praeterea cucurbitae uti retortae ubique ejusdem sint crassitiei et puritatis.

12. *Alembici vitrei* (*Glashelme*) cucurbitis in destillatione vel abstractione adglutinandi, aptae amplitudinis et ubi in rostrum transeunt sine ulla eminentia; rostrum sit neque nimis tenue, neque nimis angustum.

§. V. *Ad lutandas vasorum destillatoriorum commissuras et loricationes necessarias variis in laboratorio opus est rebus.*

1. Ad claudenda orificia cucurbitarum, phialarum et aliorum vasorum adhibetur vesica suilla vel bubula probe madefacta, quae funiculo adstringitur et in digestione calida acu perforatur.

2. Ad claudendas commissuras alembici et excipuli in destillationibus varia suadentur luta. In destillationibus aquosis et spirituosis commissurae segmentis vesicae bubulae vel suillae madefactae, vel chartae, vel lintei glutine ex amylo et Aqua cocto illiti lutantur et lutum funiculo circumdatur. Quodsi autem vapores penetrantes et corrodentes destillandi sunt, adhibetur lutum sapientiae, ex Albumine Ovi cum Aquae parte aequali ad solutionem usque conquassato et cum Calce in Aere dilapsa et subtilissime pulverata, in pastam tenuem redacto, quod segmentis linteis illinitur. In destillatione vaporum acidorum, salinorum et corrodentium luta necessaria sunt unguinosa v. c. Argilla Terrae calcareae expers, bene siccata et subtilissime pulverata et percri-

cribata cum vernice pictoria per sedulam triturationem in mortario in pastam densam redigitur, quae pasta in magdalides formata congruas commissuris circumdatur et arcte oblinitur, postea segmentis linteis luto sapientiae illitis obvolvitur et totum lutamentum funiculo constringitur. Dictum lutum unguinosum in olla testacea clausa et in cella reposita diu conservari potest, et quo vetustius eo melius censetur. Pro luto unguinoso etiam commendatur Furfur Amygdalarum cum glutine scriniario in Aqua coctione soluto, in pastam tenuem redactum. Calx viva cum Albumine Ovi Aqua diluto, et Gypsum ustum cum Aqua vapores bene etiam cohibent acres.

3. Ad loricationem retortarum et cucurbitarum adhibetur lutum ex Terrae argillaceae tenerrime percribratae partibus decem, Lithargyrii optime pulverati partibus duabus, cum sanguine bubulo et Aqua in pastam tenuem redactis, cui adhuc pili vaccini concisi admiscendi sunt; quod lutum penicillo, stratum super stratum, vasi illinitur, ita ut novum stratum solummodo priori exsiccato obducatur, usque ad crassitiem pollicis. Ad loricanda furni catini portatilis interiora suadentur Argillae albae optime pulveratae partes duae, cum carbonum pulveratorum parte una et sufficiente quantitate Aquae communis in pastam tenuem mixtae, quae pasta penicillo forti superficiei internae illinitur et semi siccata malleolo ligneo conjungitur, tunc novum stratum inducitur et eodem modo conjungitur, quod ad debitam crassitiem repetatur; tandem nonnulla strata inducuntur ex Argillae partibus duabus et Arenae albae parte una cum Aqua in pastam redactis.

§. VI. *Ad fusiones, detonationes, tostiones, calcinationes, evaporationes et sublimationes.*

1. *Furnus anemius*, sive *fusorius*. (*Wind oder Schmelzofen*). Duplex praesto sit *a*) stabilis ex coctis lateribus et *b*) portatilis ex Ferro laminato exstructus et intus optime loricatus.

2. *Crucibula hassiaca* (*Hessische Schmelztiegel*, *Einsaztiegel*) variae amplitudinis in *Gros und Klein*-Almeroda confecta. Sint firma, densa, nullis maculis nigris conspurcata, sed ubique obscure fusca et ad pulsationem optime sonora.

3. *Conus fusorius* (*Giesspukel*) ex Aurichalco vel Aere campanarum paratus, intus optime laevigatus et in apicem tenuissimum terminatus.

4. *Ollae minores, cum operculo, testaceae* Waldenburgenses vel Confluentiae vel ex Ferro laminato paratae, ad tostionem.

5. *Lamina aurichalcea quadrata*, optime laevigata et tertiae partis pollicis crassa, ac pedem ad minimum longa ac lata.

6. *Spathulae ferreae* longiori manubrio praeditae.

7. *Cochlearia ferrea* longiori manubrio instructa ad immittendam crucibulo materiam.

8. *Patinae testaceae planissimae* minime vitreatae Waldenburgenses, vel Confluentiae.

9. *Forcipes ferreae*, quarum crurum extremitates circulum formant, pro eximendis ex igne crucibulis majoribus, et quarum crura extrema in arcum flexa sunt, ad crucibula parva igni tradenda et exinde auferenda (*Hebe- Tiegel- Schnabelzangen*).

§. VII. *Ad tractationem, formationem et praeparationem cum vasorum tum corporum pharmaceuticorum et ad facilitandos labores.*

1. *Circuli ferrei* (*Sprengeisen*) variae amplitudinis, qui probe candefacti ad avellenda cucurbitarum et retortarum vitrearum colla, adhibentur.

2. *Agitacula*, sive *pistilla lignea* ad conquassandas Herbas etc. et formanda Unguenta, Electuaria etc.

3. Spathulae eburneae, ferreae, et ligneae diversae longitudinis.

4. Cochlearia eburnea, vel ossea minora et majora.

5. *Coronae stramineae* (*Strohkränze*). Serta ex stramine plexa.

6. *Massae plumbeae in circulum ductae*, ad stabilienda vasa in balneo Mariae.

7. *Bacilli vitrei, testacei et lignei* diversae longitudinis et crassitiei ad versandas solutiones, mixtiones etc.

8. *Laminae corneolae* nonnihil convolutae, ad colligendos et distribuendos Pulveres.

9. *Forcipes carbonarii* (*Kohlenzangen*).

10. *Asciae carbonariae* (*Kohlenschaufeln*).

11.

11. *Pelves carbonariae* (*Kohlenbecken*).

12. *Folles majores et minores* (*Blasebälge*). Praesto etiam sint folles perpetuo efflatu conspicui, jam Lipsiae apud Voigtländer vendibiles.

13. *Flabella* (*Feuerwedel*).

14. *Forfices* majores et minores.

15. *Copia lagenarum vitrearum* (*Flaschen*) diversae amplitudinis, colli longioris et brevioris, orificii ampli et angusti, cum et sine epistomio vitreo.

16. *Vitra conservalia*, sive *cylindrica* (*Zuckergläser*) multa et amplitudinis diversae.

17. *Staterae* vel *librae* majores et minores, jugis optime Viennensibus semper vero accuratissimis. Staterae majores instructae sint lancibus planis, minores autem concavis. Lances majorum cupreae vel ligneae sint, minorum autem ex Aurichalco et ex Cornu vel Ebore confectae, inprimis librae ponderationi drachmarum granorumque destinatae, lancibus praeditae sint eburneis vel corneis. Summa cura adhibenda est, ne juga rubigine inficiantur, atque ut lances semper mundissimae sint.

18. *Thermometra Fahrenheitiana* et *Reaumuriana* Aere vacua ad examinanda fluida calidiora exactissima.

19. *Barometrum* optime notae.

20. *Machina pro pilulis formandis*, optime ex calybe parata.


21. *Apparatus Woulfianus* destillatorius compositus. (*Zusammengesezte Woulfische Destillationsgeräthschaft*. (vide hujus descriptionem in cel. GÖTTLING *Taschenbuch für Scheidkünstler und Apotheker auf das Jahr* 1796, *pag.* 39 *et sq. cum Tabulis aeneis.*) Magis amplam hujus descriptionem, (vide in cel. Profess. JOSEPHI FRANCISCI a JACQUIN *Lehrbuch der allgemeinen und medizinischen Chemie zum Gebrauch seiner Vorlesungen. Wien* 1793. 8. *a pag.* 215. *usque ad pag.* 243. *cum Tabula aenea.*)

22. *Apparatus Woulfianus ad captandas substantias aeriformes* ex solutionibus, ut et ad parandam Aquam aeratam seu Acido aereo saturatam seu Aquam mephiticam alcalinam a Domino GEORGIO GEIGER Pharmacopoeo Vindobonensi experto ac dexterrimo egregie emendatus fuit; quam utilem emendationem mihi libentissime communicavit, hinc etiam propriis suis verbis hic inserere non haesitavi. „ Saepius „ dicit, de simplificando ad confectionem Aquae mephiticae alcalinae „ Apparatu cogitabam. Omnes, quas hucusque vidi ad hunc finem

„ ma-

„ machinas, aut ipsam operantis non interruptam postulant praesen-
„ tiam, aut ob delicatam et nimis compositam Instrumentorum fabri-
„ cam metui periclitandi processus operatorem exponunt. Hinc Appa-
„ ratum in Tabula expositum, descriptum et emendatum excogitavi.
„ *Siphonem a* vitreum germanice *Heber* dictum mensuram dimidiam
„ tenentem sumsi, cujus tubus ad apicem in angustissimum diametrum
„ productus erat. Impleta *prima* lagena *b* ad unam octavam partem
„ Pulvere grosso Marmoris albi Aqua humectato, (aut quod melius so-
„ lutione saturata Cinnerum clavellatorum depuratorum Siphone repleto
„ et lagenae *primae* Oleo Vitrioli diluto ingesto); conjunxi hanc lage-
„ nam *primam b* ope tubi *d* cum *secunda* lagena *e* ubi Solutio Sodae
„ in Aqua facta contenta erat, hanc lagenam *e* eodem modo ope tubi *k*
„ cum *tertia* lagena *h* conjunxi, in qua aliquot unciae Solutionis Sodae
„ contentae erant. Orificium colli Siphonis *p* epistomio ita clausi, ut
„ minimus Aeris accessus perinde pateret, atque Siphonem ipsum Oleo
„ Vitrioli vulgari fusco tribus Aquae partibus diluto ad duas tertias
„ suae capacitatis implevi. Plerumque ad saturandas sex drachmas
„ Sodae in Aquae libris tribus solutas, sex unciae Olei Vitrioli vulga-
„ ris cum tripla copia Aquae dilutae requiruntur. Juncturas omnes,
„ excepto orificio *tertiae* lagenae *l* patente, pasta molli ex Furfure
„ Amygdalarum et pauco Amylo Melle subactis olevi. Depluebat sic
„ Oleum Vitrioli dilutum ex Siphonis orificio angustissimo *n* per gut-
„ tas in materiam solvendam in *prima* lagena in *c* contentam, sive
„ fuerit Pulvis grossus Marmoris albi pauca Aquae copia affusa hu-
„ mectatus, aut Solutio Cinnerum clavellatorum in Aqua facta Siphoni
„ immissa et vice versa Oleum Vitrioli dilutum lagenae *primae*; sic
„ Acidum aereum exinde evolutum transcendit per tubum *d* in *secun-*
„ *dam* lagenam *e* forma bullularum et se se conjungit cum Solutione
„ Sodae ibidem contenta. Haud diutius adstiti, post horas alium Si-
„ phonem plenum substituendo, ubi primum vacuum reperiebam. Sic
„ alternando procedebam, usque dum Liquorem Sodae, Acido aereo
„ seu carbonico supersaturatum gustavi." Verum videantur ea, quae Author hujus Dispensatorii de Examine Aquarum mineralium dixit et quae de determinando pondere Aeris fixi dicta sunt, patebit, longe exactius ex instituto simili Examine Aquae mephiticae alcalinae, quam ex fallaci signo gustus, copiam Aeris fixi contentam determinari posse. „ Cum plus justo caloris gradu Acidum aereum separetur, con-
„ sultius est, calidis anni temporibus *secundam* lagenam vasi refrige-
„ ratorio *f* Aqua frigida aut glacie repleto, durante processu impone-
„ re. Hinc et lagenulae, quae Aqua mephitica replendae sunt, epi-
„ stomio bene obturentur. Solutio in *tertia* lagena contenta etiam
„ Acido aereo sed debilius impraegnatur."

EX-



EXPLICATIO TABULAE.

a Est Sipho vitreus, cujus Tubus ad apicem in angustissimum diametrum *n* terminatur, *b* est Lagena vitrea cum duplici orificio subere clauso, per cujus medium *m* Sipho vitreus transit, *c* est materia solvenda ex qua Aer fixus seu Acidum aereum seu carbonaceum evolvitur; est enim vel Pulvis grossus Marmoris albi Aqua humectatus, vel saturata solutio Cinerum clavellatorum depuratorum, quae vero Siphoni infunditur et tunc *primae* Lagenae in *c* Oleum Vitrioli Aqua dilutum ingeritur, quod adhuc melius et etiam tum Acidum aereum purius evolvitur. *n* Est Oleum Vitrioli vulgare fuscum Aqua dilutum ex Siphone guttatim depluens. *d* Tubus vitreus, qui duas Lagenas conjungit, et per quem Acidum aereum in Lagenam *e* transcendit. *e* Est *secunda* Lagena cum duplici orificio, in qua continetur Solutio Sodae depuratae in Aqua facta Aere fixo saturanda; praeterea haec Lagena usque ad *g* Solutione repleta est, et in vas terreum cylindricum refrigeratorium *f* posita fuit, quod Aqua frigida aut Glacie repletum fuit. *o* Tubulus ad Aquam ex vase refrigeratorio evacuandam et renovandam. *k* Tubus vitreus, qui *secundam* lagenam cum *tertia h* jungit; *i* est Aqua pura, vel Solutio Sodae, quae etiam Acido aereo parumper impraegnatur; *l* orificium *tertiae* Lagenae apertum; *p* Collum Siphonis subere clausum, ita, ut minimus Aeri accessus pateat.

SECTIO VI.

REAGENTIA, QUAE AD EXAMINANDAM VARIARUM SUBSTANTIARUM PHARMACEUTICARUM AC MEDICINALIUM PROBITATEM ADHIBENTUR.

Haec in *Laboratorio* vel melius in *Conclavi* adjuncto semper parata sint, quorum praecipua et *Notis probitatis* in hoc Dispensatorio indicatis congrua hic enumerantur; omnia autem serventur in vitris epistomio vitreo et vesica bubula clausis contra accessum Aeris, loco sicco nec radiis Solis exposito.

1. *Spiritus Vitrioli concentratus* sive *Oleum Vitrioli rectificatum album.* (vide *Dispensat. Part. II*).

adhibetur

1) ad detegendum Acidum aereum in Aqua solutum; drachma una hujus ad uncias quatuor Aquae aeratae admista excitat bullas aereas et effervescentiam.

2) ad detegendam Terram calcaream et conjunctam hanc cum Acido Salis; nisi nimium Acidi Vitrioli addatur, semper aliquo tempore elapso Crystalli Selenitis in fundo vasis apparent.

3) ad detegendam Terram ponderosam, aut solutionem hujus in Acido Nitri, Salis, aut Aceti. Praecipitatur inde Spatum ponderosum album in Aqua indissolubile.

4) ad detegendum Acidum Nitri; instillantur aliquot guttae Olei Vitrioli in liquidum examinandum, quod dein calefiat; Acidum Nitri dum apparet et noscitur ex vaporibus, qui ascendunt.

2. *Spiritus Nitri fumans depuratus*, seu *Acidum Nitri concentratissimum purum.* (vide *ibidem*).

adhibetur

1) ad detegendum Acidum aereum in Aqua solutum.

2) prodit Hepar Sulphuris aut Aerem hepaticum Aquae admistum. Si Hepar Sulphuris contentum, per instillatum Acidum Nitri concentratum praecipitatur Sulphur et odor Ovorum puridorum excitatur. Si vero Aer hepaticus continetur, nihil praecipitatur, sed

sed Liquor plus vel minus turbidus fit, et odor Ovorum putridus non adeo fortis sed debilior percipitur.

3) adhibetur ad vires quorundam Reagentium temperandas.

3. *Aqua fortis duplex*, seu *Spiritus Nitri fortis.* (vide *ibidem*).

adhibetur ut Spiritus Nitri fumans.

4. *Acidum Salis concentratissimum purum*, seu *Spiritus Salis fumans depuratus.* (vide *ibidem*).

adhibetur ad Argentum, Plumbum, Mercurium et Bismuthum ex solutionibus in Acido Nitri factis inde praecipitandum tanquam Lunam corneam aut Saturnum corneum etc.

5. *Acidum Vini concentratissimum*, seu *Acidum Aceti concentratissimum*, seu *Alcohol Aceti.* (vide *ibidem*).

adhibetur

1) loco Acidi Nitri concentrati ad vires quorundam Reagentium temperandas.

2) ad detegendum Alcali volatile in quodam liquido contentum, si nempe suber hoc Acido madefactum aut tubus vitreus super hoc liquidum tenetur in quo Alcali volatile contentum, ascendet Alcali forma vaporis versus Acidum superius positum. Verum haec proprietas non solum Acido Aceti concentrato propria, sed est omnibus aliis Acidis communis.

6. *Acidum Tartari* quod paratur solvendo Acidum Tartari crystallisatum (vide *ibidem*) in portione anatica Aquae communis destillatae.

adhibetur

prae omnibus aliis optime ad detegenda Salia alcalina vegetabilia in fluidis contenta; dum hoc Salia alcalina aliis Acidis contentis aut penitus aut pro parte abripit et cum iis forma Cremoris Tartari praecipitatur. Si Sal alcali in magna copia contentum et Solutio concentrata sit, decomposito illico apparet, e contrario autem, praecipue, si Solutio valde diluta sit, praecipitatio primo post binos dies sequitur.

7. *Sal alcali vegetabile fixum purum aeratum*, sive *Oleum Tartari per deliquium*. (vide *ibidem*).

adhibetur quidem ad detegendum Acidum per effervescentiam inde natam, sed hoc etiam per alia Reagentia detegitur. Etiam inde praecipitantur Terrae et Metalla soluta.

8. *Sal alcali volatile aeratum*, sive *Spiritus Salis Ammoniaci aquosus*. (vide *ibidem*).

adhibetur

1) propter duplicem affinitatem ad praecipitandas Terras omnes ex fluidis.

2) ad detegendum Cuprum contentum per colorem coeruleum.

9. *Aqua Calcis vivae recens*. (vide *ibidem*).

adhibetur

1) ad detegendum Acidum aereum in Aqua contentum, si eadem quantitas Aquae Calcis ut Aquae aeratae additur, tunc Aqua turbida fit et Calx cum Acido aereo forma Lapidis calcarei praecipitatur. Verum cum Aqua Calcis etiam per Alcali vegetabile fixum aeratum praecipitetur et hoc Terram calcaream, magnesiacam aut martialem in Acido aereo solutam simul praecipitet, etiam Terram magnesiacam Acido Vitrioli junctam decomponat, hinc ex Examine per Aquam Calcis nihil certi concludere licet.

2) Aqua Calcis solutionem Mercurii sublimati colore rubro laterum tingit, et Mercurii solutionem in Acido Nitri colore flavo.

3) Aqua Calcis ebulliens inservit quoque juxta HAHNEMANN ad detegendum Arsenicum in liquido contentum, format enim Pulverem praecipitatum in Aqua difficulter solubilem, qui Oleo mixtus et carbonibus candentibus injectus, odore alliaceo sese prodit.

10. *Sal alcali vegetabile causticum solutum*, sive *Lixivium causticum vegetabile*. (vide *ibidem*).

adhibetur

ad detegendam Terram magnesiacam, sive in Acido aereo aut alio Acido solutam. Gutta una hujus solutionis aut granum unum hujus Salis prodit hanc Terram praecipitando hanc forma floccorum alborum.

11.

11. *Sal alcali volatile causticum*, sive *Spiritus Salis Ammoniaci causticus*. (vide *ibidem*).

adhibetur

1) ad detegendam Terram aluminosam, magnesiacam et martialem in liquido contentam, quas omnes inde praecipitat, et ultimam quidem ferme metallica forma.

2) detegit Cuprum contentum colore amoeno coeruleo.

12. *Solutio Terrae ponderosae salitae*, paratur solvendo Terrae ponderosae salitae (vide *ibidem*) drachmam dimidiam in Aquae communis destillatae uncia una.

adhibetur

1) optime ad detegendum Acidum vitriolicum liberum aut aliis commixtum; ubi dein hoc cum Terra forma Pulveris albi indissolubilis ad fundum praecipitatur et Spatum ponderosum format. Hoc etiam fit dummodo $\frac{1}{10000}$ pars hujus Acidi vitriolici in Aqua contenta fuerit; tamen si adeo parva quantitate inest, praecipitatio tardius contingit.

2) Si Hepar Sulphuris aut Aer hepaticus Aquae commixtus, Terra ponderosa colore ex rubro fusco praecipitatur.

13. *Solutio Argenti in Acido Nitri.* (vide *ibidem*). Paratur solvendo Crystallorum Argenti drachmam unam in Aquae communis destillatae uncia dimidia. Haec praeparatio cum calore alia phaenomena producit, quam si Solutio Argenti frigide paratur.

adhibetur

1) ad detegendum Acidum Salis liberum aut commixtum et Salia media muriatica, ubi tunc formatur Luna cornea, quae nullo modo solvitur in Acido Aceti et Nitri.

2) ad detegendum Acidum vitriolicum et Salia media vitriolica in Aqua soluta, quae hanc Solutionem Argenti praecipitant colore flavo, qui Pulvis flavus ab addito Acido Nitri post aliquot tempus albescit.

3) ad detegendum Hepar Sulphuris et Aerem hepaticum, tunc enim praecipitatum colorem nigrum habet.

14.

14. *Solutio Mercurii in Acido Nitri frigide parata; Mercurii nitrati* (vide *ibidem*) drachma una, solvatur in Aquae communis destillatae uncia dimidia.

Differt enim Solutio Mercurii in Acido Nitri *calide* parata ab illa *frigide* parata.

Haec frigide parata	*Illa calide* parata
non adeo acris et caustica,	multo magis acris et caustica
ab alcalino vegetabili Sale ex albo flavescente colore praecipitatur,	colore profunde flavo,
ab alcali volatili colore ex nigro fusco,	albo,
a Salibus vitriolicis mediis albo,	flavo,
a Salibus mediis muriaticis albo materiei caseosae forma.	albo et muci forma.

Solutio Mercurii in Acido Nitri *calide* parata

adhibetur

1) ad detegenda Salia media vitriolica Aqua soluta, tum praecipitatio fit colore flavo, qui color post aliquot tempus albescit, si pauca copia Acidi Nitri instillatur.

2) ad detegendum Hepar Sulphuris, tunc enim praecipitatio pro ratione quantitatis contentae fusco aut nigro colore contingit.

Solutio Mercurii in Acido Nitri *frigide* parata

adhibetur

1) ad detegenda Salia media muriatica in Aqua soluta, fit enim praecipitatio materiei albae caseosae, quae ab Aqua ebulliente colore non mutatur, sed solvitur.

2) ad detegenda Salia media vitriolica Aqua soluta, ubi materia granulosa alba praecipitatur, quae Aqua ebulliente in colorem flavum mutatur. Si liquidum tantum paucam copiam binorum horum Salium continet, praecipitatio primo post aliquot tempus sequitur.

3) ad detegendum Sal alcali vegetabile aeratum, ubi materia praecipitata flava sensim et sensim album colorem induit.

4)

4) talis Solutio Mercurii ab Alcali caustico flavescit, a Sale Sodae flavo colore praecipitatur, qui color sensim albescit; ab Alcali volatili ex nigro fusco, a Sale mirabili et Acido Vitrioli libero albo granulosa; detegit quoque Acidum Salis et Salia alcalina, Terram calcaream et magnesiacam Acido aereo solutam.

15. *Solutio Mercurii sublimati corrosivi aquosa.* Mercurii sublimati corrosivi (vide *ibidem*) drachma una solvatur in Aquae communis destillatae unciis duabus.

adhibetur

1) ad detegendum Sal alcali liberum in liquido quodam contentum; Liquor enim tunc colorem rubrum acquirit.

2) ad detegendam Terram calcaream aeratam et Terram magnesiacam, color tunc albus apparet.

3) Hepar Sulphuris Calcem Mercurii ex Mercurio sublimato corrosivo colore nigro et Aer hepaticus colore albo praecipitat.

16. *Solutio Plumbi in Aceto* vel solvatur Sacchari Saturni drachma una in Aquae communis destillatae drachmis duabus, vel adhibeatur Acetum Lithargyrii (*Disp. P. II*).

adhibetur

1) ad detegendum Acidum Vitrioli; hoc enim Plumbum Acido Aceti abripit et cum illo granulosa forma fere indissolubile ad fundum praecipitatur.

2) ad detegendum Acidum Salis, quod etiam Plumbo unitur et forma Pulveris albi crystallini in Aceto solubilis praecipitatur.

3) ad detegendum Sulphur, sive instar Hepatis sive Aeris hepatici forma sit, praecipitatur colore saturato aut plus diluto.

Quia vero Salia alcalina et Terrae Plumbi Calcem quoque decomponunt, hoc antea addito Acido Nitri impeditur, et dein Acidum Vitrioli aut Salis inde separatur.

17. *Spiritus Saponis.* Saponis alicantini rasi et in radiis Solis siccati unciae uni affundatur Alcohol Vini uncia una, sub crebra agitatione promoveatur per duodecim horas solutio; Spiritus Vini tertiam partem sui ponderis de Sapone solvit, solutio mox dicta tandem filtretur et servetur.

ad-

adhibetur

ad detegenda Acida et Salia media terrea et metallica in Aqua contenta; Spiritus Saponis enim inde decomponitur et copiosa materies flocculenta praecipitatur.

18. *Cuprum ammoniacum.* (vide *Disp. P. II*).

adhibetur optime ad Salia alcalina et Terras in Aqua contentas detegenda. Singula Cupro praecipitato colorem singularem viridem largiuntur. Sic Sal alcali vegetabile colorem profunde viridem Seladon dictum; Sal alcali minerale colorem dilute viridem pomorum dictum; Sal alcali volatile magis adhuc dilute viridem pomorum dictum colorem; Terra magnesiaca colorem profunde viridem pomorum dictum; Terra calcarea colorem ex flavo viridem, et Terra aluminosa colorem viridis Aeris similem. Cum vero nulla harum substantiarum sola in Aqua invenitur, hinc ex solo colore praecipitati nihil certi concludere licet.

19. *Aqua hepatica acidulata* (vide *Disp. P. II.*) seu Liquor Vini probatorius HAHNEMANNI (*ibidem*). Differt haec Aqua hepatica ab Hepate Sulphuris volatili seu Spiritu BEGUINI, quod haec fluida, quae Acidum liberum continent, non turbida reddat.

adhibetur praecipue juxta HAHNEMANN

1) ad detegendum Arsenicum in quodam liquido contentum, inde enim color flavus oritur. Per Acida hic color citius apparet, et per alcalina disparet.

2) ad eximinandum Vinum adulteratum. Si cochleare unum hujus Aquae Hepaticae 2 vel 3 unciis Vini additur, praecipitatur Plumbum contentum colore magis aut minus fusco pro majori aut minori quantitate Plumbi in Vino contenti. Hoc praecipitatum sive a Plumbo-aut alio Metallo contento oriatur non solvitur in ea quantitate Acidi adfusi, quae in alio casu hanc quantitatem Metalli solvendam sufficit. Si in Examine pauca solummodo quantitas Plumbi contenti detegitur et velimus determinare quantitatem hujus, tunc certa quantitas Vini examinanda usque ad remanentiam quartae aut octavae partis coquitur, et relinquitur in quiete donec frigescat, filtretur, et si turbidum apparet, instillatur Oleum Vitrioli donec non amplius albo colore turbidum fiat. Ponderatur praecipitatum exsiccatum, additur quantitas Vitrioli Saturni in fluido remanens et calculus subducitur. 143 grana hujus praecipitati quod est Vitriolum Saturni, juxta BERGMANN indicant 100 grana Plumbi metallici. In singulis 20 unciis liquidi remanet computandum granum unum Vitrioli Saturni.

Si

Si Vinum limpidum manet et coloris aequabilis, indicium est, quod nec Plumbo nec alio Metallo adulteratum sit, nisi quod forte Ferrum contineat, quod Tinctura Gallarum detegitur.

20. *Hepar Sulphuris volatile*, seu *Spiritus* BEGUINI;

Rec. Florum Sulphuris uncias quatuor, Salis Ammoniaci depurati et pulverisati uncias octo, exacte misceantur, postea addatur Calcis vivae optime libra una, miscela immittatur retortae amplae, in balneo arenae positae aut in furnum reverberii, cui adglutinetur excipulum magnum; administretur ignis initio lenis, ita ut guttae solummodo omni propemodum sexagesima horae parte destillent, postea autem ignis augetur et post 8 horas fundus catini candescat donec nihil amplius transeat in excipulum; sic obtinentur 4 unciae Tincturae ex flavo rubescentis in excipulo, quae in vitro exactissime clauso serventur. Ad initium colli retortae superius Sal Ammoniacus adhaeret et proxime aliquid Sulphuris; hoc sublimatum separatur, adduntur adhuc unciae duae Calcis vivae, et per repetitam destillationem obtinentur adhuc drachmae sex Tincturae non tamen adeo profunde coloratae, ut illa in prima destillatione obtenta.

adhibetur

1) ad detegendum Arsenicum in quodam liquido contentum, quod instillatione hujus Spiritus BEGUINI colore flavo aut rubro apparet.

2) Ferrum et Cuprum detegitur eodem modo et colore nigro apparet.

3) Terra ponderosa colore fusco apparet.

21. *Chamaeleon minerale.* Misceatur Magnesiae nigrae pulveratae uncia una cum Nitri depurati unciis duabus, mixta crucibulo candenti ingerantur et liquefiant; subinde bacillus testaceus massae fluenti immergatur et exinde inseratur in Aquam communem puram; Aqua si ab hac insertatione, imbuta fuerit colore amoeno profunde viridi, crucibulum ex igne auferatur et massa refrigerata in Pulverem redigatur subtilissimum, in vitro epistomio vitreo exactissime claudendum.

adhibetur

tanquam optimum Reagens ad detegendum Alcali volatile causticum. Si minima quantitas Acidi aerei continetur, per admixtionem Chamaelei color ruber oritur; si vero prorsus nihil hujus Acidi aerei adsit seu penitus Aere orbatum, manet color viridis.

22. *Acidum Sacchari.* Rec. Sacchari Canariensis pulverati uncias duas, immittantur cucurbitae vitreae arenae balneo imponendae et instillentur

 Spi-

Spiritus Nitri fortis unciae sex, ascensione vaporum rubrorum finita, miscela leniter decoquatur, usque dum colorem induerit castaneum, tunc admisceantur denuo Spiritus Nitri fortis unciae sex et coctio protrahatur, donec nullus amplius fumus ascenderit, et miscela omnem amiserit colorem. Miscela tum vasi vitreo planiori et ampliori ingeratur ibique crystallisationi committatur. Liquor Crystallis exortis tenuibus supernatans decantetur, et, ut dictum, denuo cum Acido Nitri misceatur, coquatur et crystallisationi committatur. Omnes obtentae Crystalli in sufficiente quantitate Aquae communis destillatae solvantur et postea debite iterum in Crystallos redigantur, quae inter chartam bibulam albam leni calore siccentur et in vitro optime clauso serventur. Hocce pro Acido Sacchari, etiam adhiberi potest Sal Acetosellae purissimum, quod tamen tardius contenta indicat.

adhibetur

optime ad detegendam Terram calcaream, cum qua majorem adhuc affinitatem habet, quam Acidum Vitrioli, et omnia reliqua Acida, hinc cum hac Terra unita forma Selenitis saccharati indissolubilis ad fundum praecipitatur, hinc minimam quantitatem Terrae calcareae praesentem indicat, ita ut etiam Gypsum decomponat et Acido vitriolico hanc Terram abripiat.

23. *Tinctura Gallarum.* Rec. Gallarum grosso modo contusarum unciam unam, Alcoholis Vini uncias quatuor, digerantur frigide in cucurbita clausa per duas dies sine omni calore; postea Tinctura fusca filtretur et servetur.

adhibetur

1) ad detegendum Ferrum in liquido contentum ut Alcali phlogisticatum; et etiam tunc Ferrum indicat, si in Aere hepatico solutum fuerit, quod Alcali phlogisticatum non prodit. Sed utilitate haec Tinctura Alcali phlogisticato in eo cedit, quod haec Ferrum solum indicet, non autem inde separare possit, quod autem solummodo cum Lixivio sanguinis bovini perfici potest.

2) detegit an Ferrum Acido aereo solutum sit in Aqua; si hoc sit, Aqua, in quo Ferrum Acido aereo solutum, ad remanentiam medietatis evaporatur, frigide filtratur, et dein Tinctura Gallarum instillatur, nulla mutatio observatur. Quod autem contingit, si Ferrum Acido minerali solutum sit.

Si pauca copia Ferri in Aqua contenta, tantum aliquot guttae hujus Tincturae ad magnam copiam Aquae instillantur; Ferrum tunc indicat per colorem purpureum plus minus dilutum.

24.

24. *Tinctura Laccae coeruleae*, sive *Heliotropii*.

Rec. Laccae coeruleae grosso modo pulveratae drachmae duae, sacculo immittantur linteo mundo et in patella porcellanea vel in vase vitreo cum Aquae communis destillatae unciis duabus superinfundantur, post quaedam temporis momenta sacculus infra Aquam leniter comprimatur, usque dum Aqua laete coeruleo imbuta fuerit colore. Tinctura veloci corruptioni obnoxia et tunc rubescens, saepissime recens paranda est. Segmenta Chartae albae Tincturae Laccae coeruleae saepius madefacta et ante quamlibet novam madefactionem in umbra exsiccata, usque dum saturate coerulea evaserint, sistunt *Chartam heliotropicam coeruleam* (*Lakmuspapier*). Una pars hujus Chartae coeruleae tinctae Aceto destillato madefacta inde *rubro* colore tingitur et exsiccatur in umbra.

adhibetur

1) ad detegendum Acidum; si nempe haec Tinctura Laccae coerulea Aquae instillatur, quae Acidum continet, haec rubro colore tingitur. Si solummodo Acidum aereum in Aqua contentum fuerit, tunc calefaciendo Aquam, cui instillata erat Tinctura Laccae, color ruber disparet et color coeruleus iterum apparet. Si color non obstante calefactione ruber manet, est signum Acidum contentum esse naturae fixioris.

2) Si Charta coerulea Aquae examinandae inseritur, et si haec rubro colore tingitur Aeri libero exponitur. Si nunc haec Charta rubra suum colorem in coeruleum mutat, est signum Aquam continere solummodo Acidum aereum, si vero color ruber manet, est signum aliud Acidum latere.

3) Charta coerulea Aceto tincta *rubra* nunc ab Aqua, quae Salia alcalina aut Terras Acido aereo solutas continet, colorem coeruleum iterum induit. Ut autem determinari possit, quaenam harum substantiarum colorem coeruleum Chartae iterum restituerit, evaporatur Aqua ad dimidium; inde enim Terrae ad fundum praecipitantur. Aqua post refrigerationem filtratur et examinatur adhuc semel cum Charta *rubra* Aceto tincta; et haec Charta, si Alcali fixum Aqua contentum, colorem coeruleum iterum acquirit.

25. *Tinctura Fernambucina*. Rec. Ligni Fernambuci rasi et a Pulvere adhaerente per repetitam ablutionem cum Aqua frigida purgati uncia una, coquatur in Aquae communis destillatae unciis octo, ad consumtionem circiter dimidii et Decoctum cum leni expressione coletur. *Charta fernambucina* eodem modo paratur ac *Charta heliotropica* (24). Una pars hujus Chartae Aquae destillatae inseritur in qua prius tantum Salis Tar-

tari depurati solutum fuit, ut inde colorem coeruleum acquirat et nominatur *Charta fernambucina coerulea*.

adhibetur

1) *Charta fernambucina rubra* ad detegenda Salia alcalina et Terras, quae in Acido aereo solutae sunt, tunc enim Charta coeruleum colorem induit. Ut autem determinari possit, an Sal aut Terra contenta sit, quae colore coeruleo Chartam tinxit, liquidum ad medietatem evaporatur, frigescat et filtretur. Inde Terrae ad fundum praecipitantur, et si Charta nunc non amplius ab hoc liquido colore coeruleo tingitur, est signum Terram Acido aereo solutam contentam fuisse, si vero contrarium contingit, Alcali indicat.

2) *eadem Charta fernambucina rubra* ab Acidis flavo colore tingitur, et addito Sale alcalino colorem rubrum iterum acquirit, hinc ad detegenda Acida adhibetur.

3) *Charta fernambucina coerulea* per Acida iterum rubra fit. Et ad detegendum an rubedo ab Acido Aereo dependeat, superius dicta evaporatio instituitur.

26. *Tinctura Radicis Curcumae.* Paratur ex Radice Curcumae pulverata, sine praevia autem ablutione, uti *Tinctura Fernambucina* (25). Chartae etiam Segmenta hacce Tinctura flavo colore imbuantur et semel ebulliant simul, dein Aere exsiccata serventur. Cum autem Pulvis Curcumae Chartae adhaereat et illam opacam reddat, inseritur post ebullitionem illico in Aquam frigidam, ut Pulvis inde abluatur et dein exsiccatur.

adhibetur

ad detegenda Salia alcalina et quidem securius quam *Charta fernambucina rubra*. Per Salia alcalina enim color flavus ex rubro fuscus evadit; a Terris in Acido aereo solutis vero non mutatur. Acida quoque hanc Chartam flavam non mutant, nisi, si concentrata sunt, flavum colorem pro parte destruunt.

27. *Alcohol Vini* sive *Spiritus Vini rectificatissimus tartarisatus* (vide *Disp. P. II*).

adhibetur

1) ad detegenda omnia Salia media vitriolica; si enim aequalis quantitas hujus Alcoholis ad fluidum examinandum instillatur, Salia haec praecipitat.

2)

2) Aliquo fluido largiori copia additum Alcohol praecipitat Salia neutra nitrosa et Acidi Salis communis.

3) Quia vero Spiritus Vini quaedam Salia solvit, quaedam non, hinc liquidum in quo haec solubilia et indissolubilia mixta sunt evaporatur ad siccitatem, et dein superaffuso Alcohole a se invicem separantur.

28. *Aqua communis destillata* (vide *Disp. P. II*). Quum vero Aqua communis destillata, nonnullis septimanis, puritatem suam amittit et ab Argenti et Plumbi solutionibus iterum turbetur, ad Examina chemica semper recens vel ex nonnullis diebus destillata adhibeatur.

Haec Aqua destillata communis *per Reagentia* non mutatur, hinc in Examine chemico ad varia solvenda et solutiones diluendas adhibetur.

29. *Sal Alcali phlogisticatum*. Secundum copiosa Experimenta celeb. WESTRUMB hoc optime ex sanguine bovino adhibetur et sequenti modo paratur. Sanguis bovinus recens in vase terreo plano igni imponitur, post aliquod tempus coagulatur. Aquosa pars tum separatur, et coagulum sanguinis in vase terreo plano supra ignem sub continua agitatione usque ad siccitatem evaporatur et dein in Pulverem grossiusculum conteritur. Ex libris septem et unciis octo sanguinis bovini circiter unciae sex Pulveris sanguinis exsiccati obtinentur.

Dein Nitri prismatici puri et Crystallorum Tartari partes aequales antea singula in Pulverem redacta inter se optime miscentur et per parvas portiones crucibulo ignito ingeruntur. Singula injectione oritur detonatio; nunc si totius quantitatis detonatio peracta, massa effunditur, et in vitro optime clauso, quia humidum ex Aere avidissime attrahit, servatur. Haec massa vocatur *Fluxus albus*.

Hujus *Fluxus albi* unciae duae cum octo unciis sanguinis bovini exsiccati et grosso modo pulverati miscentur, et in crucibulo haec miscela tamdiu calcinatur, donec nullus fumus exinde amplius ascendat, vel donec aliquid ex crucibulo hujus massae exemtum, in Aqua destillata solutum, et instillata solutione Argenti nitrati nullum praecipitatum nigrum, sed album oriatur. In hoc casu massa vasi terreo ingeritur, Aqua destillata solvitur, et Lixivum filtratur. Hoc Lixivium solet semper aliquam quantitatem Hepatis Sulphuris in se continere. Ut vero hoc Lixivium ab Hepate Sulphuris liberetur, coquitur cum uncia semis Schiferae albae tamdiu, donec cuticula appareat. Dein iterum filtratur et in locum frigidum seponitur. Nascentur Crystalli foliaceae splendentes, quae sunt *Sal Alcali phlogisticatum*, colliguntur Crystalli et inter chartam bibulam siccantur; hae Crystalli sunt optimae, quia materie colorante fere saturatae sunt. Ulteriori evaporatione Lixivii iterum obtinentur Crystalli, quae vero pauciorem quantitatem materiei colorantis continent. Hinc Sal alcali fixum ex his addito Spiritu Vi-

Vini ab Alcali vere phlogisticato separandum. Crystalli Salis Alcali phlogisticati dum ad liquidum examinandum adhibentur in tripla quantitate Aquae destillatae solvuntur. Hoc Alcali phlogisticatum a prima crystallisatione cum 200 granis Acidi Vitrioli Examini subjectum in 100 granis, 11⅗ grana Coerulei berolinensis continet; et 100 grana hujus Salis alcali per candescentiam dederunt 5⅝ grana Calcis Ferri attrahibilis. Si hoc Sal Alcali ad corpora examinanda adhibetur, semper prius magna copia Aquae destillatae solvendum. Si Liquor examinandus Ferrum in Acido aereo aut alio Acido solutum continet, ex Liquore examinando per instillatum hoc Lixivium orietur praecipitatum coeruleum. Si vero Ferrum solummodo Acido aereo solutum et si Liquor calefit, Acidum aereum avolet et Ferrum instar Terrae ochraceae fundum petet. Facto hoc sedimento, si Liquor dein examinatur de novo, per Lixivium nullum praecipitatum coeruleum amplius orietur. Si vero Ferrum in alio Acido solutum fuit, etiam post calefactionem Liquoris aut si Liquor parumper evaporatus fuerit, praecicipitatum coeruleum apparebit. Terrae, si Lixivium alcalinum materie colorante optime saturatum sit, et nullum Acidum Vitrioli contineat, ab hoc Lixivio alcalino non praecipitantur. Omnia Metalla vero, potissimum variis coloribus ab hoc Lixivio alcalino praecipitantur.

SECTIO VII.

MONITA QUAEDAM DE TEMPORIS PECULIARI OPPORTUNITATE PRO VARIIS LABORIBUS PHARMACEUTICIS.

1. Menses *Januarius* et *Februarius*, ob frigoris vigorem, elaborationi Naphtharum inprimis Nitri, Butyri Antimonii, Mercurii solubilis cinerei, Mercurii praecipitati albi, Crystallorum Argenti, Olei Animalis et Spirituum dulcificatorum, ac pulverationi Gummi-resinarum et Gummatum, idonei sunt et congrui. Fungus Salicis etiam hocce tempore hyemali adhuc colligi potest.

2. Tempestate benigna jam mense *Martio*, exspectatione autem certiori, Mense *Aprili* prospiciendum est, collectioni Corticis et Radicis Mezerei, Corticis Salicis, Hyppocastani, Ulmi, Ligni Juniperi, Radicis Ari, Asari, Caryophyllatae, Valerianae, Bardanae, Caricis Arenariae, Graminis, Taraxaci, Herbae Cochleariae, Fumariae et Tussilaginis, Florum Violarum, Succi Betulae, Gemmarum Populi balsamiferae, Turionum Pini; simul et Praeparata ex collectis Vegetabilibus recentibus elaboranda sunt v. c. Conservae et Spiritus Cochleariae, Aqua; Extractum Graminis, Turionum Pini, Fumariae, Taraxaci, Syrupus Violarum, Conserva Ari, Tinctura seu Essentia Gemmarum Populi balsamiferae, et ejusmodi Unguentum.

3.

3. Mense *Majo* et *Junio* suppleatur primo collectio et praeparatio vegetabilium, quae iniqua Mensis praeteriti tempestas fortasse morata est; tunc ratio etiam habenda colligendarum Radicum *annuarum* et Herbarum *biennium* et Herbarum inprimis Aconiti, Belladonnae, Cicutae et Hyosciami nigri. Colligantur et Formicae, Limaces, et Hirudines. E recens collectis Herbis elaborentur Extracta v. g. Extractum Cicutae, Aconiti, Hyosciami nigri etc. Paretur Spiritus Formicarum, Pasta Limacina, Aqua Florum Acaciae.

4. Mense *Julio* et *Augusto*, colligantur inprimis Herba Daturae et Digitalis purpureae, Fructus Juglandum immaturi, et praeparentur ex iis Medicamina praescripta. Praeterea colligendorum nunc tempus est Florum expansorum, Fructuum maturorum et plurium Herbarum. Elaborentur Aquae destillatae Chamomillae, Atriplicis foetidae seu Herbae Vulvariae, Hyssopi, Menthae Piperitae, Melissae, Florum Rosarum, Sambuci, Rubi Idaei, Cerasorum, Syrupi Cerasorum, Ribesiorum, Rubi Idaei etc. et tempus est Olea aetherea ex Herbis et Floribus destillandi et Infusa parandi.

5. Menses *September* et *October*, apti sunt collectioni Radicis Orchidis, Filicis, Ari, Graminis, Hellebori nigri, Stipitum Dulc-amarae, Fungi quercini et Fructuum et Seminum nunc maturorum, et horum Simplicium Praeparationi pharmaceuticae v. c. Conservae Ari, Syrupi Berberum et Rhamni cathartici, Tincturae Martis cydoniatae etc.

6. Mensium *Novembris* et *Decembris* labores Pharmacopoei, indigentiae et conditioni obsequuntur universae Rei pharmaceuticae; frigore jam vigente etiam Medicamina sub *Januario* et *Februario* dicta possunt elaborari. Inprimis autem Fungus Salicis est colligendus.

SECTIO VIII.

REGULAE ET MONITA QUAEDAM CIRCA VARIA PRAEPARATA ET MODUM HAEC CONSERVANDA.

I.

De Emplastris.

Emplastra solutione Calcis cujusdam Saturninae (Cerussae, Lithargyrii, Minii), in Oleo quodam expresso coctione elaborata *Saturnina* dicta, optime in cacabo cupreo fundi orbicularis non ventricosi, ad minimum subplani, omnibus angulis expertis elaborentur, ne Calx angulis accrescens et agitationis minime compos, partim insoluta remaneat, partim forsan in

in Plumbum reducatur. Pro formulis Emplastrorum saturninorum magistralibus adhuc observare lubet evaporandas esse prius plurimas Olei praescripti partes, antequam Calx saturnina addatur et ambustionem Olei Aquae affusione impediendam esse, ea autem cautione per totam operationem, ut nova Aqua semper affundatur, priusquam antea admixta penitus evaporata fuerit. Quodsi autem haec evaporatio nihilominus acciderit, sedulo ab instanti nova affusione cavendum est, ab Oleo enim fervente in halitus redacto, hujus partem aliquam ex cacabo, non sine magno Laboratoris periculo projectura est; quo in casu, qui ex ebullitionis cessatione et ex perpendiculariter ascendentibus vaporibus tenuioribus et ex defectu crepitationis guttarum Massae prunis instillatarum, quieteque deflagrantium dijudicari potest, cacabus illico ab igne removendus, refrigeratoque quodammodo Oleo, nova paulatim adfundenda est Aqua. Materies, durante coctione, spathula lignea continuo et sedulo agitari debet.

Si Lithargyrium praescriptum fuerit, Massa alba apparet, Minium praescriptum albescit quidem, sed ob defectum perfectae solutionis Emplastrum semper infuscatur. Emplastris saturninis, si durante eorum praeparatione, admixtio ordinata est aliarum materiarum, Cera et Sapo tum demum admisceatur, quando massa debitum acquisiverit consistentiam, Camphora autem, antea semper in Alcohole Vini solvenda, quando cacabus aliquod tempus ab igne remotus et massa refrigerationi vicina fuerit, reliqua autem ingredientia forsan praescripta secundum in elaborandis Emplastris *Cerodeis* mox dicendum ordinem sunt addenda. Optima proportio ad praeparanda Emplastra saturnina est, si ad partes duas Olei quatuor partes Cerussae in laminis purissimae, ad eandem quantitatem Olei Lithargyrii pars una, et ad unam et dimidiam partem Olei una pars Minii adhibetur. Ne autem haec Emplastra nimis fragilia sed tenacia et mollia fiant, circiter ad libram unam Emplastri uncia semis Cerae additur. Celeb. Pharmacopoeus SCHÖNWALD celerius et facilius Emplastra saturnina parare docuit; nempe Oleum coquatur ut omne humidum abigatur, et adeo fervidum fiat, ut ipsum Oleum evaporare incipiat, dein ab igne removetur, et Pulvis subtilissimus Calcis Plumbi sensim et sensim Oleo ferventi infunditur, continuo agitando; sic miscela valde intumescit et elevatur; durante agitatione Calx Plumbi solvitur et miscela consistentiam debitam Emplastri acquirit, dummodo proportio Olei et Calcis justa fuerit. Hac methodo celeriori simul obtinetur, ut Emplastrum non tam facile aduratur. *Emplastra Cerodea* sine ulla Calce plumbea, sed ex Cera, Resinis, Axungiis debitam consistentiam nacta in simili cacabo parantur. Primo simul liquefiant Cera, Resina, Oleum unguinosum, Axungia sive Sevum, tunc admisceantur, perpetua sub agitatione, praevia autem leni calefactione ordinatum Mel, Extractum, Decoctum, Mucilago, et Terebinthina, quo facto et mixtione perfecte facta, cacabus ab igne amoveatur ac Pulveres vel partim vel omnino in massa fervida solubiles statim, qui autem plane insolubiles sunt ut Pulveres Herbarum, Radicum etc. massae nonnisi quodammodo refrigeratae, ambo vero sub continua et forti agitatione addantur, omnes tamen Pulveres sint tenerrimi.

Re-

Resinae, Gummi-resinae et Balsama nativa, odore praedita, nunquam cum massa liquefiant, sed vel in forma et ordine Pulverum, vel melius, in Therebinthina super igne leni separatim soluta, miscelae nonnihil refrigeratae agitatione immisceantur solertissima. Ultimo et Emplastro fere frigefacto addantur tandem Olea aetherea, Crocus, Camphora et alia concreta sicca volatilia, vel subtilissime pulverata vel in Alcohole Vini soluta. Emplastra et Saturnina et Cerodea parata ac fere refrigerata *malaxantur* et ne manibus adhaereant saepe Aquae frigidae immerguntur, usque dum omnino aequaliter mollia evaserint; Emplastrorum autem mucilaginosas, gummosas vel alias in Aqua solubiles continentium partes immersio in Aquam, ne nimis saepe repetatur, ad evitandam partium dictarum elutionem. Notae probitatis Emplastrorum sunt, ut in frigore sicca et dura attamen ductilia sint, digitos minime inquinent, calore autem leni mollescant et admodum flexilia et illinienda evadant. Praeterea tenacia sunto et non solum corio vel linteo sed etiam cuti adhaerescant, inprimis vero optime et exactissime sint mixta. Emplastra serventur in loco frigido et partibus odoris vel volatilibus praedita involvantur vesica bubula.

2.

De Succis expressis et Extractis.

Ad *Succi* expressionem e *Fructibus acidis* et *acido-dulcibus*, Fructus colligantur maturitati admodum vicini, et a petiolis liberati, veloci ablutione in Aqua frigida, ab impuritatibus purgantur; Cortice Olei aetherei divite praediti, v. g. Fructus Aurantiorum et Citri ab eo liberentur et majores in taleolas dissecentur abjectis Seminibus. Quo facto in mortario ligneo vel lapideo semper vero pistillo ligneo, in Pulpam contundantur tenuem, quae per aliquot dies, in vase ligneo, testaceo vel vitreo tecto, in loco frigido v. g. in cella reponantur, ut partes liquidae a mucilaginosis separentur; ea tamen praecautione, ne temporis nimia mora Pulpa abeat in fermentationem. Postea sacculis includatur Pulpa ex forti linteo paratis, prelo submittatur optime purgato, cujus trochleae primo leniter, postea autem, Succo plurimo jam expresso, fortiter adigantur. Succus expressus in loco frigido per plures dies ad subsidentiam seponatur et deinde decantetur; quodsi autem eo statim egeret Pharmacopola, per pannum laneum coletur, sine praevia sepositione. Succus per annum conservandus a subsidentia decantatus per chartam bibulam filtretur, lagenis immittatur vitreis, et colli angustioris, quae praevia instillatione Olei Olivarum virginei, ita ut Succi superficies plane ab Oleo obducatur, optime claudi et in loco frigido vel cella reponi debent. Ad exprimendum *Herbarum* Succum, Herbae imminente Florum expansione ante Solis aestum colligantur et statim, separatis emarcidis et putridis partibus, in mortario ligneo vel lapideo pistillo ligneo in pultem conquassentur mollem; Herbis, quae ob qualitatem sicciorem vel tenaciorem in expressione parum largiuntur Succi, sub conquassatione paululum Aquae frigidae affundatur. Herbae conquassatae, exceptis ob partium volatilium jacturam Herbis aromaticis et odo-

ris, per noctem seponantur. Quo facto, massa pultacea sacculis ex linteo forti confectis ingesta, prelo committatur et omnis Succus primo leni, postea cum multiplice sacculi circumversione exprimatur pressu fortissimo, Succus expressus in vase testaceo vel vitreo vel ligneo per binas horas quiescat, postea a subsidentia fibrosa prosus decantetur.

Optime et plurime Succi Herbarum expressi ad *Extracta* adhibentur *innominata*, quae etiam *Succi inspissati* vel *condensati* sive *Extracta Herbarum e Succo* appellantur. Quarum ad praeparationem Succus Herbae expressus, simulac a subsidentia decantatus fuerit, *Cacabo inspissatorio Stanneo* (Sect. V. No. 3). vel etiam patinae evaporatoriae (ibidem No. 6). immittatur, balneo committatur Mariae, ibique sub crebra et inspissationis finem versus perpetua agitatione, ad consistentiam evaporetur Syrupi vel usque dum sub Lactis adhuc calore, lente et in filo fluat crassiori. Qui Succi inspissati lagenis ingerantur vitreis antea calefactis et optime Cortice subereo claudendis, quae, ad quantitatem Extracti parvam effundendam, breve per Tempus Aquae imponantur calidae. Haec *Extracta innominanda*, quodsi ad *plenariam siccitatem* inspissari debent, tempore calido et siccissimo immittantur patinae evaporatoriae sive patellae porcellanicae planissimae quantitas eorum conveniens, quae crassitiem tertiae pollicis partis non excedat; quo facto patella loco reponatur, ubi Aura sicca semper et continue super patellae immissum Extractum spiret v. c. in tabulato supremo arefaciente, quod optime Aeri pervium est et cujus fenestrae sive spiramenta in binis remotissimis et oppositis lateribus aperta sunt. Tempus vero ita siccum et calidum et Aurae perflatus tam vehemens sit, ut Extracti exsiccatio saltem intra quadraginta et octo horas absoluta sit. *Extractum* hocce modo *exsiccatum* in lagena antea calefacta et optime claudenda servetur. Granum unum *Extracti sicci* valet granorum duorum *liquidioris* virtutem. Infusa vel Decocta Vegetabilium siccatorum postea inspissata, etiam nuncupantur *Extracta* et pro eorum Menstruo aquosa, spirituosa, *vinosa* et *Gummi - resinosa*. Decoctum vet Infusum in Extracti formam redigendum praevia ad subsidentiam per duodecim horas sepositione et postea a sedimento decantatum immittatur Cacabo inspissatorio ex Stanno anglico puro (Sect. V. No. 3). vel patinae evaporatoriae vitreae (ibidem No. 6). vel inspissetur vel evaporetur crebra, et versus inspissationis finem, perpetua cum spathula lignea agitatione, optime in balneo Mariae ad consistentiam Terebinthinae vel Mellis crudi.

Eo efficaciora evadunt Extracta, quo minore inspissantur ignis gradu, gradusque 208—210 Fahr. semper sufficit. Coctio et inspissatio in Cacabis cupreis vel ferreis penitus interdicta est; particulae enim salinae Vegetabilibus innatae, Cuprum solvunt et Medicamentum reddunt nisi venenatum tamen suspectum; principium quod plurimis inest adstringens vasa etiam prohibet ferrea, quia Extractorum virtus exinde mutatur eorumque sapor et species depravatur. Consistentia Extractorum adhuc calidorum debita, est consistentia Terebinthinae vel Mellis crudi vel Syrupi crassioris, quae post eorum refrigerationem densior vel solidior evadit. *Extracta sicca*, quae igne forti ad consistentiam Massae Pilularis vel ad siccitatem usque de-

decocta sunt, ex Pharmacopoliis plane exulent, omni enim vi medicatrice sunt destituta. Attamen, Extracta Myrrhae, Radicis Rhei et Radicis Tormentillae ad siccitatem usque sunt inspissanda, alias enim mucorem inducunt, quae inspissatio autem prorsus in balneo Mariae est absolvenda. Omnia Extracta servanda sunt in vitris epistomio vitreo et vesica suilla clausis, portio eorum minor spathula angusta antea calefacta eximi, et major quantitas, praevia calefactione lagenae vitreae in Aqua calida, effundi potest. Extracta anno uno vetustiora plurimam virtutem amiserunt medicam, omnia igitur quovis anno recenter paranda sunt, inprimis vero *Extracta innominanda.*

3.

De aquosis et spirituosis destillationibus ac quaedam de Oleis aethereis, sive essentialibus, sive odoratis, sive destillatis.

1. Vegetabilia, quorum odor exsiccatione perit et comminutione exhalat recentia et integra ad destillationem adhiberi debent, quorum odor autem non adeo facile avolat, ea recentia quidem sed leniter siccata et concisa sunto. Succulenta prius conquassentur, Ligna et Cortices concidantur et Fructus ac Semina contundantur; ut Aquae magis odorae evadant, partes destillandae, antea cum Cineribus clavellatis miscentur, ita ut ad libram unam unciae tres Cinerum clavellatorum addantur. Hoc Sal enim cum Acido Plantarum conjungitur et Sal alcali volatile harum una cum Aqua et Oleo transcendit et odorem harum exaltat.

2. Utinam omnis *Aqua destillata* ex vasis vitreis abstrahi possit; et copia Aquae destillandae quodsi permittit, omnino e cucurbita vitrea destillatio fieri debet. Destillationes vero majores e vesica quidem instituendae, vesica autem ita capax sit, ut ejus dimidium solummodo a materia destillanda repleatur, intus puro Stanno anglico obducta et semper mundissima, capitulum autem et tubus refrigeratorius omnino ex probo Stanno anglico confectus sit. Ignis subministretur lenis et omni tempore ita moderandus, ut Aqua vix guttatim, nunquam autem in rivulo sed semper in vaporibus transcendat. Excipulum et Aqua in refrigeratorio nunquam calefiat. Destillatio continuanda est, quamdiu Aqua limpida, odoris et saporis aromatici, Plantae peculiaris transcenderit; post Aquae odorae transgressionem Liquor destillans acidulus sedulo abjiciendus est.

3. Olei guttulae innatantes Aquae destillatae diligenter auferantur. Aqua destillata turbida vel lactescens tractu temporis limpida evadit, particulis oleosis in ea haerentibus paulatim separatis, quae, si Aquae tunc innatant, etiam auferantur. Odor levis empyreumaticus fugatur, Aquam statim loco frigido seponendo vel in lagena vitrea chartaceo obturaculo leviter clausa, breve tempus exponendo Solis radiis.

4. Aqua destillata asservetur in lagenis vitreis optime obturatis, charta cerata et vesica suilla obligatis, quae in cella neque calida neque uliginosa reponantur.

5. Aqua solummodo odore ac sapore debito carens super idem Vegetabile cohobari potest.

6. Quo vetustiores Aquae abstractae, eo suavior earum odor evadit. Omnes autem tractu temporis odorem amittunt suum, acescunt et turbantur, tunc pro usu medico minime adhiberi debent, opus est igitur ut Aquae destillatae quovis anno recentes elaborentur. Conservationis causa Spiritus Vini admixtio nociva est.

7. Aquae abstractae in destillatione Oleorum aethereorum subsecivae, Oleo omni separato et lactescentia tractu temporis (3) fugata, optimae sunt notae.

8. In *destillatione spirituosa* omnes Regulae et Monita observentur sub 1. 2. 3. 4. dictà, et ignis gradus adhuc minor sit, Spiritus enim Aqua levior, citius in vaporibus ascendit.

Habetur adhuc alia methodus *Aquas destillatas* parandi, quae omni commendatione digna. Vesica usque ad quartam partem Aqua repletur, Herbae vel Flores in sacco satis largo inclusi in spatio vacuo vesicae ita suspenduntur, ut Aqua ebulliens, etsi aliquid in altum attolleretur, Herbas attingere non possit. Hinc inter superficiem Aquae ebullientis et inferiorem partem sacci, in quo Herbae inclusae, spatium ad minimum altitudine manus transversae vacuum remanere debet. Si nunc alembicus vesicae imponitur, et Aqua ebullire incipit in vesica, vapores Aquae fervidi penetrant per interstitia Herbae sacco inclusae, et abripiunt illico secum partes volatiles in altum, et sine omni mutatione odoris et saporis harum naturalis per alembicum transcendunt. Hac methodo ex omnibus substantiis destillationi subjectis, quae Oleum volatile continent, tam hoc, quam Aquae destillatae summae perfectionis obtinentur, ita ut gratus harum odor ab igne minime mutatus aut destructus fuerit.

Ad abstrahendum ex iis *Oleum aethereum*, Radices tempore verno colligantur paulo ante germinationem; Cortices et Ligna ineunte hyeme; Herbae aestate imminente efflorescentia vel Floribus jam expansis, vel etiam Semine jam prolato; Flores perfecte expansos; Fructus et Semina perfecte matura. Plantae solo sicco et montoso inhabitantes plus largiuntur Olei, quam in paludoso crescentes et humiliori, et aestas siccior Plantas Oleo producit divitiores. Quae Succo et Mucilagine minime abundant Plantae, sed compage sicciori exstructae sunt, recentes ad destillationem adhiberi possunt, succulentae autem et mucilaginosae antea leniter exsiccandae. Recentes Flores et teneriores Herbae, integrae, duriores autem partes, ut Ligna, Semina, Cortices et Radices concisae et contusae, ac praevia maceratione brevi frigida, destillationi submittantur. Vegetabilia re-

resinosa durioraque bene ante destillationem in pauca quantitate Spiritus Vini rectificatissimi digerantur; et in destillandis Oleis fundum petentibus vas destillatorium sit humilius, et Aqua Sale communi impraegnetur, ut majori gradu fervescat et Oleum transcendat facilius. Vegetabilia vix dimidiam partem vesicae impleant, addatur Aquae ea quantitas, ut tertia prorsus pars vacua maneat. Alembicus et tubus refrigeratorius ante applicationem Spiritu Vini rectificato probe purgandi et glutine ex Amylo et Aqua cocto, segmentis chartaceis illito sunt lutandi. In primordio jam subministretur ignis gradus sufficiens, ut Aqua in vesica mox et velociter ebulliat semperque in ebullitione retineatur, ita ut Aqua Oleo impraegnata, sine quidem visibili fumo, ast in modum fili sive rivuli destillet in vas recipiens. Durante destillatione, Aqua in refrigeratorio semper sit frigida, in destillandis autem Oleis in frigore mox congelascentibus, Aqua refrigerans, tempore inprimis hyemali, tepida retineatur, ne Olea in tubo refrigeratorio congelascant et adhaereant. Abstractio protrahatur quod Aqua lactescens destillaverit, sive donec duae vel tertiae circiter partes Aquae infusae transgressae fuerint, optime autem pro Aqua ultimo transeunte aliud excipulum adhibeatur. Aqua destillata, Oleo separato, denuo residuo vegetabili affundi eademque destillatio bis vel ter iterari potest; quod praecipue in vegetabilibus durioribus ac in pretiosis exercendum suademus, secunda et tertia cohobatione semper aliquid Olei adhuc largiente; optime autem haec Aqua ceu Oleo jam praegnans, pro nova in destillando eodem Vegetabili adhibetur. Illico post destillationem vesica, alembicus et tubus refrigeratorius ab Oleo forsan adhuc adhaerente ope Spiritus Vini abluantur. Omnis Aqua oleosa obtenta in excipulis charta tectis, praevia oleosarum guttularum parietibus adhaerentium, leniter agitando, in superficiem collectione, per aliquot dies in loco frigido quieti committatur, quo facto omne secretum Oleum vel cochleari eburneo vel syringa vel infundibulo separatorio vel ellychnio vel filtratione per chartam bibulam madefactam ab Aqua separetur, et in lagena vitrea, obturaculo chartaceo leviter clausa, iterum per aliquot dies reponatur, usque dum odorem ingratum amiserit et limpidum evaserit. Olea destillata serventur in pluribus vitris minoribus, epistomio vitreo et vesica clausis, loco frigido sepositis. Olea essentialia vetustate corrupta, emendari possunt abstractione cum Aquae particulis oleosis ejusdem speciei jam impraegnatae sufficienti quantitate.

Pharmacopaei probi *Olea aetherea* ipsimet praeparant; plurima enim, praecipue quae caro pretio veniunt, plerumque adulterata venduntur. *Adulteratio cum Alcohole Vini*, detegitur lactescentia vel colore lacteo Aquae, cui sub agitatione forti admiscetur Oleum aethereum suspectum; certissime autem haec fraus intelligitur, certam quantitatem Olei suspecti accuratissime ponderando posteaque cum Aquae destillatae communis parte aequali, forti agitatione, miscendo, quodsi deinde Oleum ab Aqua iterum secessum et separatum minus pependerit quam antea, Alcohole Vini censeatur vitiatum. Olei aetherei *inquinatio cum Oleo expresso* vel unguinoso denotatur, si ab admixtis agitando Spiritus Vini rectificatissimi partibus sex Oleum minime omnino et prompte solutum fuerit, sed quaedam quantitas, quae Oleum pressum est, intacta remanserit, post lenem agitationem prodiens

in

in guttulis ad superficiem. Nonnullae guttulae Olei sic contaminati chartae albae instillatae, maculam etiam relinquunt in charta calorem versus detenta, pinguem et pellucidam, Olei autem aetherei sinceri guttulae e charta, admoto calore debito, avolant, eam albam et immaculatam relinquentes. *Vitiatio Olei aetherei pretiosi cum viliori* difficillime est dignoscenda, et saepe solummodo ex odore, qui in Oleis aethereis fere semper odor est vegetabilis substantiae, ex qua elicita sunt, et sapore, conjectura dijudicari potest verosimili. *Contaminatio cum Oleo Terebinthinae* denotatur odore, si linteum Oleo supecto madidum, leni calore expositum tandem odorem terebinthinaceum redolet, sive si segmentum chartae hocce Oleo illitum inflammatur, et flamma illico rursus exstincta, fumum dat odore terebinthinaceo inquinatum. Fraudulenta *commixtio Olei essentialis* in Aqua fundum petentis cum *alio leviori* proditur instillatione mixti Olei in Aquam, ubi sincerum gravius decessurum et levius admixtum superficiei innataturum est. Omni in casu vero comparatio Olei suspecti cum vero et genuino certissimus est mangonii judex.

4.

De Pilulis sive Catapotiis conficiendis.

Omnia ingredientia praescripta, quae pulverationem permittunt, ante admixtionem in Pulverem tenuissimum redigenda sunt. Extracta, Succi inspissati ac Resinae mollescant prius, mediante mortarii et pistilli leni in Aqua fervida calefactione, dein paulatim sub perpetua agitatione et contusione, addantur Pulveres praescripti. Quodsi in formula pilularum, praescripta, qualitas ingredientium debite respecta fuerit, miscela bene tractata necessariam largitur consistentiam, et Massa exinde enata quodammodo solida, sicca, et tenax nuncupatur Massa Pilularum. Quodsi miscela minime largitura sit Massam debitae consistentiae vel cohaesionis, sed siccam nimis vel solidam; si resinosae essent, admisceatur quantitas pauca Spiritus Vini rectificatissimi; si vero Gummata, Sapones vel Extracta praedurarent, adfundatur conveniens Aquae copia; si volumen Pulverum siccorum conjunctionem prohiberet, addatur Syrupi simplicis sive etiam Mellis quantitas consentanea.

Additio hactenus nimium usualis Terebinthinae, Mucilaginis Gummi arabici vel Tragacanthae abrogata sit, Terebinthina enim saepe nocivum producit in corpore effectum, et Mucilagines dictorum Gummatum, virtutem aliorum ingredientium involvendo hebetant, et exsiccationem earum promovendo, pilularum solutionem reddunt difficiliorem. Miscelae pro Pilulis ordinatae mollities nimia evaporatione, ob periculum empyreumatis, non est emendanda haec enim prohibetur, sed Medico ordinario hocce in casu remittitur, aut si hoc fieri nequit, Pharmacopoeus constituens virtuti aliorum ingredientium praecipue consentaneum eligere oportet v. c. Pulverem Liquiritiae, Flavedinis Aurantiorum, Herbae Trifolii fibrini, cujus admixtione Massae concilianda est consistentia debita. Pharmacopoeus,

si,

si, coactus fuerit quantitatem majorem constituentis additamenti adhibere, hujus copiae in pilularum dosi dividenda omnino ratio habenda est, ita ut in formatione sive divisione pilularum, quantitas, inscio Medico, adjecta constituentis deducatur v. c. si praescriptum fuerit ex uncia Massae dimidia, 120 Pilulas formare et Massae ordinatae admixti fuerint scrupuli quatuor constituentis, tunc minime adhuc ex uncia semis, sed ex uncia dimidia cum scrupulis quatuor ordinatae Pilulae 120 formandae sunt. Massae Pilularum serventur in vesicis Oleo expresso Nucum Been vel Oleo Corticum Citri, obliniendis, et vitro immittendis.

5.

De Speciebus et Pulveribus.

Ad Species parandas, omnis materies, quae incidi potest, incidatur, minime autem contundatur, contusione nimium pulverulenti procreante, quaelibet autem substantia singulatim concidenda, et per perforatum transmittenda, a quibus transmissis omne pulverulentum mediante cribro crasso seticeo separetur, et ex remanentia in cribro Species commisceantur. Et Semina minora v. c. Semen Carvi, Foeniculi, ut ab infundendo liquido possint penetrari, antea leniter conquassanda sunt. Ut miscela, quantum fieri poterit, sit aequalis et a contusis pulverulentum per cribrum seticeum crassum separetur et a residuo miscela, singulatim ponderando, conjungatur. *Pulveres* contundendo, triturando et percribrando parantur; pro usu medico interno, et praecipue pro ophthalmicis substantiae adeo comminuendae ut ultra non possint, intra dentes minime strideant et nec visu nec sensu distinguendae sint, qui Pulvis subtilissimus vel tenuissimus, *Alcohol* sive *Pollen* nuncupatur. Tenaciores et humidiores substantiae ut friabiles evadant, antea leni calore arefiant, ea cautione ut odorae vel volatilibus particulis praeditae thecis chartaceis includantur, et tenacissimae antea glutine ex Amylaceo impastentur et exsiccentur. Conspersio durante contusione cum Aqua vel Spiritu Vini, ob deinde necessariam exsiccationem, particulis nocivam volatilibus, et admixtio Amygdalarum ob insequentem odorem et saporem rancidum, sunt evitandae.

Quorum virtus facile avolat, minime in magna copia in Pulverem redigenda sunt, asservatione enim diturna corrumpuntur vel minus efficacia redduntur, v. c. Radix Rhei, Valerianae, Caryophyllatae, Ari, Ipecacuanhae etc. Acria et venenata in mortario et cribro operculo ligneo aut coriaceo exactissime tegendo in Pulverem redigantur, ne Operator a Pulvere laedatur disperso. In pulveratione mortaria cuprea, aurichalcea et aerea et cribra e filis metallicis praecipue aurichalceis confecta strenue rejiciantur. Inprimis ad salina et mineralia pulveranda neque ulla adhibeantur mortaria metallica. Salia in mortariis lapideis et mineralia, inprimis mercurialia, in vitreis triturentur mortariis. Ab Herbis ante contusionem cauliculi et petioli separandi sunt, et remanentes contusioni adversariae ligneae fibrae ceu inefficaciores rejiciantur. Ligna, Radices, Ossa, Cornua, ante

ante contusionem concidantur vel scobina comminuantur. Resinae et Gummata et Gummi-resinae nonnisi hyeme in Pulverem teri possunt. Radices fibrosae, ab omni carioso mucido et exaeso purgatae, ante contusionem decorticandae, et incidendae sunt, v. c. Radices Althaeae, Liquiritiae. In Corticibus, Lignis et Radicibus Gummate vel Resina turgentibus, partes difficilius contundendae; sunt efficaciores, ergo omnis opera ad earum contusionem adhibenda est, et Pulveres successive obtenti, quam exactissime postea invicem debent misceri. Quaedam mineralia v. c. Bolus, Cinnabaris etc. jam in Pulverem redacta elutrientur et super porphyrite laevigentur.

Ad obtinendum *Alcohol* sive *Pollen*, Pulveres in pyxide lignea per linteum duplicatum cribrentur. Pro pulveribus compositis et ad Electuarium praescriptis, singula ingredientia antea separatim pulveranda sunt, tunc et singulatim ponderentur, ac in mortario lapideo vel vitreo invicem commisceantur. Quod si Semina vel Fructus oleosi, Gummata, Gummi-resinosa et Extracta pro Pulveribus compositis praescriberentur: haec in massam contundantur, cui sicciora, etiam praescripta et antea pulverata, in parvis portionibus successive, perpetua sub trituratione, admisceantur, usque dum Pulvis evadat aequalis et tenerrimus. Ad colorem Pulverum reddendum vegetiorem, trituratio admixtis Amygdalis vel aliis oleosis rebus, omnino evitanda est. Pariter pulveribus asservandis etiam minime Saccharum admisceatur, Saccharum enim facile humescit, et ingredientia admixta tunc potest depravare, sed Saccharum in debita quantitate tum demum addatur, quando dispensantur. Omnes Pulveres in vitris bene obturatis et in loco sicco ac calido asserventur.

6.

De Infusis, Decoctis, Emulsionibus, Tincturis seu Essentiis et Elixiriis.

Infusioni aptae sunt substantiae, quae ante ignis gradum coctionis (212 Fahr.) extrahi possunt, minime vero quae in Aqua bullienti decomponuntur, vel quae gradu ignis coquinario partes efficaces volatiles amittunt. Ad Infusionem adhibetur praecipue Aqua (*Infusum aquosum*) vel Vinum (*Infusum vinosum*, *aut Vinum medicatum*) quod utrumque solvens sive menstruum vel frigidum vel fervidum corpori solvendo affundatur. Materiae infundendae antea concisae vel pulveratae lagenae lapideae vel cucurbitae vel phialae vitreae immittantur, affundatur menstruum juxta ordinationem frigidum vel fervens, et orificium vasis vesica suilla madefacta claudatur, ad digestionem calidam acu pluries perforanda, et filo linteo alliganda, posteaque miscela bene agitetur. Infusio menstruo fervente facta digeratur per duas vel quatuor horas lenissimo (ad summum 96 Fahr.) calore, Infusio autem frigida per duas vel quatuor dies, sine omni calore, ast cum creberrima agitatione, postea Infusum coletur, residuum leniter exprimatur, expressumque colato addatur. Ante breve tempus exsiccata Vegetabilia faciliora sunt extractu quam recentia, valde autem et ex longo tempore jam sic-

siccata et servata difficiliora extractu sunt recentibus. Quodsi Aqua et Vinum simul pro menstruo praescriberentur, consultius est primo Aqua et quidem fervida, post aliquot autem horas Vinum affundere frigidum. Ex corporibus praecipue vegetabilibus, solummodo ignis gradu coquinario virtutem suam praestantem Aquae communicantibus, et quorum partes efficaces hocce ignis gradu minime avolant, vel decomponuntur cum menstruo aquoso decoctione paratur *Decoctum* sive Ptisana.

Partes decoquendae semper sint minutim incisae vel rasae vel contusae. Pro Decocto non statim dispensando corpora duriora loco calido diem noctemque Aqua macerentur. Decoctio optime in vase clauso peragenda est, igne primum mitiori, gradatim fortiori, et partes pro earum consistentia, indole, virtutis et saporis mutabilitate decoctioni successive subjiciantur. Ligna, Cortices et Radices durioris compagis diu et fortiter decoquendae sunt; v. c. Lignum Guajacum, Campechianum, Sassafras, Cortex Fraxini, Hippocastani, Quercus, Salicis, Simarubae, Ulmi, Radix Bardanae, Caricis arenariae, Graminis, Lapathi acuti, Saponariae, Taraxaci etc. sic et corpora mineralia sacculis includenda (petia ligata). Partes Vegetabilium tenerae, recentes, Herbae et Flores, ac Radices, Cortices, et Ligna valde odora et aromatica in protracta decoctione vires amittunt, breve ergo decoquantur per tempus vel potius solummodo infundantur, decoctioni duriorum jam peractae sive in fine adjiciendae. Valde parum et per breve tempus etiam decoquenda sunt Vegetabilia, quorum virtus et sapor coctione protracta maxime et inique mutantur; Radix Liquiritiae diu cocta amarescit, Radix Asari vim emeticam amittit et diuretica evadit, Radix Rhabarbari vi laxanti valde privatur et adstringentiorem accipit; Radices Ari, Caryophyllatae, Ipecacuanhae, Filicis, Rubiae Tinctorum, Cortex Peruvianus, Capitula Papaveris, Lignum Quassiae, Stipites Dulcamarae etc. diuturna coctione maximam partem virium medicatricium perdunt vel tamen magnam earum subeunt mutationem. Amara v. c. Absynthium, Gentiana, Colocynthides longa decoctione ingratissimum assumunt saporem. Mucilaginosa et Saccharata actionem Aquae in alias cohibent Species, Radix igitur Althaeae, Orchidis sive Salap, Symphiti, Gummi arabicum, Saccharum, Mel, Manna in fine coctionis admisceantur. Mucilaginosa, quae ipsa coctionem protractam desiderant, separatim decoquenda et tum demum alteri Decocto affundenda sunt.

Quodsi Species decoquendae Salinis mixta sunt, in decoctione quodlibet vas metallicum strenue evitetur; vasa testacea, genuine stannea, vel probo Stanno obducta, vel ferrea intus optime polita pro decoctione omnino idonea sunt. In decoquendis aromaticis et odoris corporibus optime utitur Pharmacopoeus Digestore vitreo (Sect. V. No. 7). decoctione peracta, Decoctum refrigeratum per pannum laneum coletur et residuum leniter exprimatur, seponatur circiter per horam, tunc clarum a sedimento decantetur. Clarificatio Decoctorum mediante Albumine Ovi detrimentosa est et evitanda. *Emulsiones* sive *Emulsa* parantur ex Seminibus et Nucleis Oleum unguinosum largientibus; eligantur Semina et Nuclei recentes et omni rancore prorsus expertes et rejiciantur inveterati, rancidi, mucidi et ex-

 aesi,

aesi, Semina minora integra adhibeantur, majora vel Nuclei decorticentur et Amygdalae, praevia in Aquam fervidam immersione, pellicula sua fusca priventur. Quae Semina et Nuclei mortario immissi capaciori lapideo vel tamen aurichalceo purissimo et intus polito, addita fluidi praescripti (communiter Aquae simplicis, raro cujusdam destillatae et rarissime Infusi vel Decocti aquosi) pauca quantitate contundantur in pastam tenerrimam, cui, sub trituratione continuata, addatur paulatim fluidi praescripti quantitas major, postea humor lacteus cum materia emulgenda per pannum laneum vel linteum leni cum expressione coletur, residuum denuo mortario ingeratur et affusa nova fluidi quantitate, porro trituretur et coletur, sic usque ad consumtionem fluidi quantitatis praescriptae pergatur.

Quantitas quidem ab ordinante dependet Medico, communiter autem ad unam partem materiae emulgendae, requiruntur octo partes fluidi vel vehiculi. Additamenta medica v. c. Camphora, Sal alcali, Saccharum etc. minime inter triturandum sed Emulsioni absolutae lege artis admisceantur. *Emulsa* sive *Emulsiones spuriae* largiuntur etiam Olea unguinosa, Resinae, Gummi-resinae, Balsama nativa, ast addito medio conjunctivo, inprimis Mucilagine Gummi arabici, vel Tragacanthae vel Vitello Ovorum. Triturentur cum medio conjunctivo ad exactam unionem, tunc addatur, sub trituratione protracta, liquidi praescripta quantitas et Emulsum per linteum coletur. Gummi-resinae ob innatas particulas gummosas medium conjunctivum praebentes et solo liquido aquoso possunt emulgeri. Distinctio antiqua inter *Essentias*, *Tincturas* et *Elixiria* hodie vix observatur. Veteres Infusum spirituosum, quod non omnes, sed solummodo nonnullas et extractu faciliores partes extraxit, eamque ob causam colore diluto et pellucido imbutum est, vocarunt olim *Tincturam*, quod autem omnes extraxit partes medicatrices, et cujus color ab extractione divitiore intensior et crassior *Essentiam*, appellarunt; *Elixirii* sub nomine intellexerunt *Essentiam* majori adhuc spissitudine et colore opaciori conspicuam. Hodie, uti jam dictum, horum terminorum acceptio promiscua atque vaga est.

Ad parandas *Tincturas* et *Essentias* adhibentur cucurbitae collo non admodum longo et ita capaces, ut ab miscela digerenda solummodo tertia earum pars repleatur. Cucurbita claudatur vesica madefacta acu in multis locis perforata. Materies extrahenda, pro indole sua, sit minutim concisa, contusa sive crasse pulverata. Quo minor digestorii caloris gradus adhibetur, eo limpidior, spirituosior et jucundioris saporis evadit Tinctura, eo diuturnior autem protrahenda etiam est digestio; sex vel octo dies, sub crebra agitatione, tamen sufficienti pares sunt extractioni. Nunquam autem caloris gradus exsuperet 96 Fahr. gr. Proportio materiei extrahendae ad menstruum ab ordinante Medico quidem est definienda; observare autem hic forsan non superfluum videtur, Herbis Spiritus Vini partes tres, Radicibus, Lignis et Corticibus partes quinque et Gummi-resinis, Resinis et Extractis partes sex affundi. Substantiae extractu difficiliores, quodsi simul ad parandas Tincturas cum solubilioribus praescriberentur, v. c. Cortices, Ligna, Herbae, Radices, cum Resinis, Camphora, Oleis aethereis, Saccharo etc. consultius extractu difficiliores primo solae

cum

cum menstruo spirituoso et calore nonnihil fortiori, ac crebriori sub agitatione digerantur, et aliquot post dies demum solubiliores addantur. Pharmacopoeus ne sponte sua vel sine medica praescriptione materiei extrahendae admisceat Sal alcali vel Terram foliatam Tartari vel Tartarum tartarisatum etc. Periculosissimum est et prorsus damnandum, ad colorem arte efficiendum laete viridem, Vitriolum coeruleum vel album addere vel materiam in vase digerere cupreo; eo fine Herbae solae cum Spiritu digestioni committi possunt frigidae; quarum Infusum postea expressum Infuso Radicum etc. etiam separatim parato et expresso admisceatur. Ad parandas Tincturas breve intra tempus et eo scopo, ut etiam vapores fervidi in materiam digerendam exserant vim suam, optime uti potest Pharmacopoeus Digestore vitreo (Sect. V. No. 7).

7.

De Syrupis, Electuariis, Bolis et Linctubus.

In parandis *Syrupis* Pharmacopoeus potissimum habeat debitae consistentiae rationem. Syrupus enim nimiae tenuitatis breve intra tempus fermentatione corrumpitur acida, et ex nimis crasso vel denso Saccharum in Crystallos abit, liquidumque remanens mox fermentat. Consistentiam Syrupi debitam miscela, durante coctione, obtinuit, quando gutta ejus laminae frigidae instillata, a lamina obliquata minime illico defluit, sed adhaerescit, ex afflatu obliquo cuticula obducitur rugosa, et cultri acumine dissecta minime statim denuo confluit. Vitrum Aquae destillatae unciam unam recipiens, capiat Syrupi ad debitam consistentiam redacti drachmas decem cum scrupulis duobus. Quilibet Syrupus sit clarus et servetur in vitris vel vasis porcellanicis, loco frigido.

Electuarium sive *Electarium* consistentiam habeat Syrupis crassiorem, ita ut portiuncula ejus in cultro vel spathula exemta minime a lateribus defluat. Quum in formulis magistralibus Pharmacopoeo saepissime venia datur definiendi quantitatem Syrupi ad debitam Electuarii consistentiam necessarii, notare hic placet: Vegetabilium pulveratorum parti uni admiscendas esse Syrupi partes tres; quodsi autem excipiendae sunt Resinae, Gummata, Extracta, excipientis pars aequalis sufficit, et mineralia excipienda requirunt solummodo dimidium sui ponderis. Materies excipienda ex levioribus et gravioribus mixta, consistentiam postulat spissiorem, ne ingredientia graviora nimis cito fundum petant. Pulveres excipiendi antea separatim exactissime sunt miscendi, et tunc in mortario vitreo vel lapideo, successivis parvis portionibus, Syrupo immiscendi. Extracta, Conservae, Roob ante Pulverum admixtionem cum Syrupo uniantur, et Olea aetherea ac Balsama ultimo addantur. Omnia solertissima trituratione et agitatione sint permixta, ut massa evadat perfectissime aequalis miscelae. *Eclegma*, *Linctus* sive *Looch* nuncupatur medicamentum consistentiae fluidioris, quam Electuarium, et spissioris quam Syrupus, paraturque communiter ex Mucilaginibus, Oleis unguinosis, Gelatinis, Syrupis et Saccharo. *Bolus* sive

Buccella est Electuarium crassius, in globulos mediocres ponderis circiter drachmae unius formatum, ut commode, sine ulla masticatione, sed uno haustu deglutiri possit.

8.

De Morsulis, Rotulis sive Tabulis et Trochiscis.

Morsuli et *Morselli*, sunt vere Electuaria sicca, quadratae figurae, ex Pulveribus parata, Saccharo percocto et refrigeratione exsiccato immixtis. Sacchari albissimi unciae sedecim, dissolvantur in Aquae communis unciis quatuor, solutio coquatur in Cacabo stanneo vel cupreo probo Stanno incrustato, donec portiuncula spathula excepta inde defluendo filum trahat, vel vi quadam per Aerem trajecta floccos formet, tunc ab igne removeatur et agitetur, usque dum ad parietes vasis constare inceperit, quo facto adjiciantur illico Species antea jam mixtae, in quibus condita vel Nuces in tenuissima dissectae sint ramenta, Aromata in crassum et alia ingredientia in tenerrimum Pulverem redacta, denique Olea instillentur et massa optime mixta in modulum Morsulorum antea humefactum effundatur, in aequalem agitetur crassitiem et tandem cultri ope, dum adhuc calet massa, in rectangula dissecetur. Quodsi autem copia et pollen Pulveris praescriptum fuerit ad Morsulos parandos, ejus admixtio efficienda est, simulac Saccharum ab igne remotum fuerit, ac miscela etiam prius effundenda. Quae exceptio autem minime valet in admiscenda Limatura Martis vel Antimonii crudi praeparati copia.

Rotulae sive *Tabulae* a Morsulis distinguuntur forma orbiculari et nullius vel tamen paucioris et quidem tenerrimi Pulveris vegetabilis vel solummodo Salis vel Olei cujusdam destillati admixtione. Ad Rotulas formandas massa debitam consistentiam nacta e Cacabo guttatim laminae frigidae instilletur, et Rotulae refrigeratae, mediante leni laminae calefactione, ablatae in vase vitreo fornacis calore exsiccentur. Quodsi Saccharum nimis cito induruerit et ejus effusio exinde impedita fuerit, massae reliquae parum Aquae admiscendum est et miscela denuo calefiat. *Morsuli et Rotulae ex Succis acidis* v. c. Succo Citri, Berberum, Aceto, parantur alio modo: Saccharo enim subtilissime pulverato et per se leni calore calefacto, ea admisceatur paulatim quantitas Succi acidi, quae sine omni decoctione, ad obtinendam debitam necessaria est consistentiam; Succi uncia una utplurimum sufficit pro Sacchari unciis sex. *Trochisci* sive *Pastilli* parantur ex Pulveribus tenuissimis, antea exactissime mixtis, mediante Mucilagine Gummi arabici vel melius Tragacanthae in Pastam redactis, quae digitis minime adhaereat. Cujus massae particulae in orbiculos formantur utrinque depressos et communiter alterutri superficiei signum quoddam imprimitur. *Baculi* vel *Bacilla* ex eadem massa formentur, fingendo ex ea cylindros longiores et tenues.

9.

De Unguentis, Linimentis, Ceratis et Balsamis externis sive unguinosis.

Basis *Unguentorum*, Axungiae, Olea unguinosa, Butyrum insulsum, primo liquentur Cacabo cupreo optime genuino Stanno anglico, obducto, tunc admisceantur Cera, Resinae, Terebinthina, omnibusque solutis et mixtis, Cacabus ab igne removeatur, massae statim addantur ingredientia vegetabilia vel mineralia pulverata, vel Extracta praescripta, et miscela sedulo et exacte versetur agitaculo, usque dum refrixerit, denique adhuc sub continuata agitatione admisceatur Oleum forsan praescriptum aethereum vel Camphora in Oleo soluta, vel Balsamus nativus liquidus et odorus vel Tinctura praescripta. Consistentia Unguentorum debita est butyracea vel Electuarii. Unguenta decoquendo Vegetabilia cum Axungiis parata, nuncupantur *Unguenta cocta;* praescriptio inconcinna, hacce enim decoctione paucae solummodo particulae extrahuntur Vegetabilium resinosae, volatiles autem et odorae exturbantur, ac mucilaginosae insolutae in residuo remanent Vegetabili. Vegetabilia odora vel Oleo aethereo praedita melius calidae digestioni committantur cum Axungia, uti (inter *Praeparata P. II.*) in formula Olei Chamomillae Infusi praescriptum legitur, posteaque Axungiae expressae alia ordinata addi possunt ingredientia; partes autem Vegetabilium mucilaginosae, separatim decoctione aquosa extrahantur, et Mucilago obtenta Axungiae, sedula admisceatur trituratione et agitatione. Unguenta pinguia diu asservata rancescunt, minime igitur prostent in nimis magna quantitate et rancida strenuo abjiciantur. *Linimenta* sunt Unguenta liquidioris consistentiae et Oleo expresso parum spissiora.

Ceratum sive *Cerelaeum* nuncupatur Unguentum ope majoris Cerae quantitatis Emplastri consistentiae propinquum, medium ergo teneat inter Emplastrum et Unguentum. *Balsama unguinosa* sive *externa* species sunt Unguenti odori. Olim communiter horum Balsamorum basis sive constituens fuit Oleum Nucistae expressum, affusione Spiritus Vini rectificatissimi Oleo suo essentiali, odore igitur et colore privatum, massam albam et solidam a Spiritu tincto separatam appellaverunt *Corpus pro Balsamo.* Oleum Been liquatione cum Cera unitum ac densius redditum, antiqui etiam pro constituente vel corpore Balsami adhibuerunt. Hodierno tempore optime utimur, pro corpore vel basi Balsamorum, Butyro Cacao, (*P. II.*) cui praescripta Olea aetherea, Balsama nativa et aliae fragrantes substantiae trituratione admisceantur in mortario vitreo. Balsama unguinosa consistentiam habeant Balsami nativi spissioris vel Unguenti crassioris; asservatione vero nimis longa odorem et cum eo vires suas amittunt medicas.

DISPENSATORIUM UNIVERSALE

IN DUAS PARTES DIVISUM, QUARUM

PRIMA

MATERIAM MEDICAM SIMPLICIUM,

SECUNDA

PRAEPARATA ET COMPOSITA

TAM

OFFICINALIA QUAM *EXTEMPORANEA*

EXHIBET.

DISPENSATORII UNIVERSALIS

PARS I.

EXHIBENS

MATERIAM MEDICAM SIMPLICIUM,

SIVE

SIMPLICIA ET CRUDA MEDICAMENTA,

QUAE

NON SOLUM PER SE, SED AD ALIA PRAEPARATA ET COMPOSITA MEDICAMENTA ADHIBENTUR, ATQUE A PHARMACOPOEIS IPSIS NON PRAEPARANTUR, SED IN PHARMACOPOLIIS SEMPER PRAESTO ESSE DEBENT.

Qui potest mederi simplicibus dolose
aut frustra quaerit composita.

CANON LINNAEI.

CLASSIFICATIO

SYSTEMATICA MEDICAMINUM SIMPLICIUM

SECUNDUM SYSTEMA NATURAE.

PARS I.

MEDICAMENTA SIMPLICIA.

CLASSIS I. REGNUM ANIMALE.

SECTIO I.

ANIMALIA INTEGRA.

§. *I. Insecta.*

Oniscus Asellus.) Aselli seu Millpedes.

Meloe vesicatorius.) Cantharides.

Coccus cacti.) Coccionella.

Formica rufa.) Formicae.

§. *II.* *Vermes.*

Hirudo medicinalis.) Hirudines vivae.

Limax ater et rufus.) Limaces vivi.

SECTIO II.

ANIMALIUM PARTES ET PRODUCTA.

I. ANIMALIUM PARTES.

§. *I.* *Insectorum.*

Cancer astacus.) Lapides Cancrorum.

§. *II.* *Vermium.*

Ostrea edulis.) Testae Ostrearum seu Ostracodermata.

Spongia officinalis.) Spongia marina.

§. *III.* *Amphibiorum.*

Ancipenser Sturio) Ichthyocolla.

§. *IV.*

§. *IV. Avium.*

Gallina domestica. } Ova gallinacea; horum
Testae seu Putamina Ovorum,
Albumen Ovorum,
Vitellus Ovorum.

§. *V. Animalium mammalium.*

1. Cicura.

Bos Taurus Mas et Vacca foemina. } Fel Tauri.
Lac.
Butyrum insulsum.
Vesicae bubulae.
Ossa bubula.

Sus scrofa.) Axungia Porci.

Ovis aries.) Sevum Vervecinum.

2. Fera.

Cervus elaphus. } Cornu Cervi.
Sevum Cervinum.

Moschus Moschiferus.) Moschus.

3. Lacustria. } Physeter macrocephalus } Ambra grisea,
Ambra vera.
Castor fiber) Castoreum.

II.

II. ANIMALIUM PRODUCTA.

Insectorum.

Apis mellifera.	}	Mel crudum. Mel vigineum. Cera flava. Cera alba.
Coccus Lacca.	)	Gummi Lacca in bacculis.
Cynips Quercus folii.	)	Gallae Quercinae turcicae.

CLASSIS II. REGNUM VEGETABILE.

SECTIO I.

ARBORES ET PLANTAE INTEGRAE ET HARUM PARTES.

§. *I. Radices.*

§. *II. Cortices.*

§. *III. Ligna.*

§. *IV. Herbae.*

§. *V. Flores.*

§. *VI. Fructus.*

§. *VII. Semina.*

SEC-

SECTIO II.

FILICES.

SECTIO III.

MUSCI.

SECTIO IV.

ALGAE.

SECTIO V.

FUNGI.

SECTIO VI.

VEGETABILIUM PRODUCTA ET EDUCTA.

§. *I.* *Sicca.*

A. Succi inspissati.

B. Gummata.

C. Gummi - resinae.

D. Resinae.

§. *II.*

§. *II.* *Liquida.*

A. Balsama.

B. Olea aetherea.

C. Olea unguinosa expressa.

D. Succi recentes.

E. Succi fermentati spirituosi.

F. Succi fermentati acidi.

G. Spiritus inflammabiles.

CLASSIS III. REGNUM MINERALE.

SECTIO I.

TERRAE ET LAPIDES.

SECTIO II.

CORPORA INFLAMMABILIA.

SECTIO III.

METALLA ET SEMIMETALLA.

SEC-

SECTIO IV.

SALIA NATURALIA ET QUAEDAM ARTEFACTA.

SECTIO V.

AQUAE NATURALES.

§. *I.* *Aqua communis calida et frigida.*

§. *II.* *Aquae minerales medicatae indigenae, et Thermae Monarchiae austriacae celebriores.*

PARS II.

MEDICAMENTA PRAEPARATA ET COMPOSITA.

SECTIO I.

MEDICAMENTA PRAEPARATA ET COMPOSITA OFFICINALIA.

SECTIO II.

MEDICAMENTA PRAEPARATA ET COMPOSITA EXTEMPORANEA.

Felix, qui potuit rerum cognoscere causas,
atque metus omnes, et inexorabile fatum
subjecit pedibus, strepitumque Acherontis avari.

VIRGILIUS.

— *Oportet quoque nosse consuetas morborum durationes, ne forte aut languidius remedium et imbellius opponamus, aut ne vice versa longum morbum potentius et properantius incursemus, quam morbus et aeger ferant. Festina lente, et aliquid Naturae committe, et illi confide, si tempus adjuvet. Non plus mederi, quam quantum vides medendum esse.*

STOLL. Rat. med. P. IV. p. 63.

— *Nec justa repetitio negligenda, ut pateat, quid Medicina, quid circumstantes aliae conditiones praestiterint, nec ex uno vel altero singulari casu generalis vel laus vel vituperium formetur.*

MURRAY. App. Med.

CLASSIFICATIO

SYSTEMATICA MEDICAMENTORUM SIMPLICIUM ET PRAEPARATORUM, SECUNDUM VIRES GENERALITER RECEPTAS.

SECTIO I.

MATERIA MEDICA, seu MEDICAMENTA INTERNA.

CLASSIS I.

ABSORBENTIA, ANTACIDA.

Ex Regno Animali.

Lapides Cancrorum.
Ostracodermata.
Testae Ovorum.

Ex Regno vegetabili.

Cineres clavellati.
Sal Tartari.
Liquor Salis Tartari, seu Oleum Tartari per deliquium.
Sapo alicantinus.
Sapo Cacao.
Carbones vegetabiles.

Ex Regno Minerali.

Calx cruda, Calx aerata.
Creta alba.
Aqua Calcis.
Magnesia alba seu muria.
Magnesia calcinata seu usta.
Sal alcali minerale purum.
Sal Sodae.
Soda depurata.

CLASSIS II.

ANTHELMINTICA.

Ex Regno Animali.

Bilis Tauri.

Ex Regno vegetabili.

Radix Alii.
Radix Filicis maris.
Radix Filicis foeminae.
Radix Valerianae.
Oleum Valerianae.
Putamen Nucum Juglandum.
Nuces Juglandes immaturae.
Extractum Nucum Juglandum immaturarum.
Helmintochorton.
Herba Hellebori foetidi.
Semen Cinae seu Santonici.
Confectio Seminis Cinae.

Tro-

Trochisci Anthelmintici.
Semen Sabadilli.
Semen Tanaceti.
Oleum Tanaceti.
Carbones vegetabiles.
Asa foetida.
Camphora.
Acetum.
Oleum Olivarum.
Olea unguinosa reliqua.

Ex Regno Minerali.

Petroleum.
Flores Sulphuris.
Aqua Calcis.
Arcanum duplicatum.
Sal commune.
Sal Ammoniacum.
Terra ponderosa salita.
Magnesia salita.
Limatura Martis pura.
Vitriolum Martis artificiale.
Flores Zinci.
Stannum depuratum.
Aethiops mineralis.
Aethiops Antimonialis.
Mercurius solubilis niger.
Mercurius dulcis.

CLASSIS III.

ANTISEPTICA, ANTIPUTREDINOSA.

Ex Regno Vegetabili.

Fructus Ribesiorum rubrorum.
Roob Ribesiorum.
Syrupus Ribesiorum.
Fructus Ribesiorum nigrorum.
In genere omnes Fructus acidi.
Fructus Citri.
Syrupus acetositatis Citri.
Succus Citri.
Roob Succi Citri.
Fructus Berberum.
Syrupus Berberum.
Succus Berberum.
Fructus Aurantiorum.
Succus Aurantiorum.
Fructus Cerasorum acidorum.
Syrupus Cerasorum acidorum.
Fructus Cydoniorum.
Succus Cydoniorum.
Rubus Idaeus.
Roob Rubi Idaei.
Syrupus Rubi Idaei simplex.
Syrupus Rubi Idaei cum Aceto.
Acetum Rubi Idaei.
Fructus Mororum.
Roob Mororum.
Fructus Tamarindorum.
Fructus Myrtillorum.
Baccae Vitis Idaeae.
Fructus Prunorum.
Herba Acetosa.
Herba Acetosella.
Conserva Acetosellae.
Acetum Vini vulgare.
Acetum Vini praeparatum.
Acetum Vini concentratnm.
Acetum Vini concentratissimum.
Acetum Prophylacticum.
Syrupus Aceti seu Oxysaccharum simplex.
Cremor Tartari.
Sal essentiale Tartari.
Botryomel.
Saccharum.
Syrupus Sacchari. Ex

Ex Regno Aereo.

Aer frigidus.
Aer fixus seu Acidum aereum.
Pulvis Aerophorus.

Ex Regno Minerali.

Aqua frigida.
Acidum Nitri.
Acidum Vitrioli.
Acidum Vitrioli phlogisticatum, seu Spiritus Sulphuris volatilis seu per campanam.
Naphtha Aceti.
Naphtha Vitrioli.
Elixir Acidum.
Liquor Anodynus mineralis.
Spiritus Nitri dulcis.
Spiritus Salis.
Alumen.

Huc quoque pertinet
CLASSIS VII.
et
CLASSIS X.

CLASSIS IV.
CARMINATIVA.

Ex Regno Vegetabili.

Herba Menthae piperitae.
Aqua Menthae piperitae.
Spiritus Menthae piperitae.
Oleum Menthae piperitae.
Herba Menthae crispae.
Herba Melissae.
Spiritus Melissae simplex.
Spiritus Melissae compositus.
Fructus Aurantiorum immaturorum.
Cortex Aurantiorum maturorum.
Spiritus Corticum Aurantiorum.
Aqua Corticum Aurantiorum.
Syrupus Corticum Aurantiorum.
Flores Chamomillae vulgaris.
Aqua Chamomillae.
Oleum Chamomillae.
Flores Chamomillae Romanae.
Semina Anisi.
Aqua Anisi.
Oleum Anisi.
Spiritus Anisi.
Semina Carvi.
Semina Foeniculi.
Oleum Cajeput rectificatum.

Ex Regno Minerali.

Liquor Anodynus mineralis.
Naphtha Vitrioli.
Spiritus Nitri dulcis.

CLASSIS V.
EMOLLIENTIA, LUBRICANTIA, RELAXANTIA.

Ex Regno Animali.

Lac Animale.
Cremor Lactis.
Butyrum recens.
Medulla ossium.
Vitellus Ovi recens.
Oleum Ovorum.
Mel.

Ex

Ex Regno vegetabili.

Radix et Herba Althaeae.
Species Althaeae simplices.
Species Althaeae compositae.
Pasta Althaeae.
Syrupus Althaeae.
Herba Malvae.
Herba et Flores Verbasci.
Flores Malvae arboreae.
Semina Amygdalarum.
Oleum Amygdalarum.
Semina Cannabis.
Semina Lini.
Farina Seminum Lini.
Oleum Lini.
Gummi Arabicum.
Gummi Tragacanthae.
Butyrum Cacao.
Cacao tabulata seu Chocolata medica.
Oleum Olivarum.

Ex Regno minerali.

Aqua communis calida.

CLASSIS VI.
EVACUANTIA.

A.

EMETICA, VOMITORIA.

Ex Regno vegetabili.

Radix Ipecacuanhae.
Vinum Ipecacuanhae.
Syrupus Ipecacuanhae.
Radix Asari.
Radix Gratiolae.

Ex Regno minerali.

Tartarus emeticus fortior.
Tartarus emeticus mitior.
Vinum Antimoniatum.
Syrupus emeticus.
Vitriolum album.

B.

LAXANTIA seu ECCOPROTICA.

Ex Regno vegetabili.

Fructus Tamarindorum.
Pulpa Tamarindorum depurata.
Electuarium lenitivum.
Pulpa Prunorum.
Manna calabrina.
Syrupus Mannatus.
Radix Rhabarbari seu Rhei.
Extractum Rhabarbari.
Syrupus Rhabarbari.
Tinctura Rhabarbari aquosa.
Tinctura Rhei dulcis.
Cremor Tartari.
Terra foliata Tartari crystallisata.
Liquor Terrae foliatae Tartari.
Tartarus Tartarisatus.
Sal de Seignette.
Arcanum duplicatum, seu Sal Polychrestum *Glaseri.*
Tartarus vitriolatus.

Ex

Ex Regno minerali.

Nitrum prismaticum purum.
Nitrum cubicum purum.
Sal mirabile Glauberi.
Sal Sedlizense.
Sal Seidschüzense.
Sal Anglicum.
Flores Sulphuris.
Aquae minerales amarae.
Aqua Sedlizensis.
Aqua Seidschüzensis.
Aqua Egrana.
Aqua Roitschensis.

C.

PURGANTIA, DRASTICA.

Ex Regno vegetabili.

Folia Sennae Aléxandrinae.
Syrupus Rosarum solutivus.
Folia Fraxini seu Sennae germanicae.
Herba Lini cathartici.
Herba Hellebori nigri.
Extractum Hellebori nigri.
Herba Gratiolae.
Extractum Herbae Gratiolae.
Radix Jalappae.
Resina Jalappae.
Extractum Jalappae gummoso-resinosum.
Aloe Succotrina.
Extractum Aloes aquosum.
Extractum Aloes compositum.
Massa Pilularum aloeticarum.
Elixirium aperitivum.
Gummi Guttae.
Fructus Colocynthidis.
Pulvis Colocynthidis gummosus, seu Trochisci Alhandal.

D.

DIAPHORETICA, SUDORIFERA.

Ex Regno Animali.

Sal Cornu Cervi volatile.
Spiritus Cornu Cervi.
Liquor Cornu Cervi succinatus.
Oleum Animale ad modum Dippelii.

Ex Regno vegetabili.

Flores Sambuci.
Aqua destillata Florum Sambuci.
Acetum Sambuci.
Roob Baccarum Sambuci.
Syrupus Baccarum Sambuci.
Lignum Juniperi.
Lignum Sassafras.
Lignum Guajacum.
Radix Serpentariae virginianae.
Radix Angelicae.
Gummi - resina Guajaci nativa.
Resina Guajaci artefacta.
Tinctura Guajaci simplex.
Tinctura Guajaci volatilis.
Species Lignorum.
Pulvis sudorificus Doweri.
Camphora.
Acetum camphoratum.
Acetum Vini.
Spiritus Vini.
Potus Polopuntiae.

Ex

Ex Regno Minerali.

Spiritus Salis Ammoniaci aquosus.
Spiritus Salis Ammoniaci vinosus.
Sal Ammoniacus Aceti, seu Spiritus Mindereri forma sicca.
Spiritus Mindereri forma liquida.
Flores Sulphuris.
Remedia antimonialia minori dosi.
Aquae minerales sulphureae seu hepaticae.

E.

DIURETICA.

Ex Regno Animali.

Aselli seu Millepedes.
Millepedes praeparati.
Conserva Millepedum.
Cantharides.
Tinctura Cantharidum.
Acidum Phosphori purum solidum.
Acidum Phosphori purum liquidum.

Ex Regno Vegetabili.

Folia Tabaci seu Nicotianae.
Folia Fraxini.
Radix Ononidis.
Syrupus Ononidis.
Radix Petroselini.
Aqua Petroselini.
Folia Uvae Ursi.
Baccae Sambuci.
Roob Sambuci.
Baccae Ebuli.
Roob Ebuli.
Baccae Juniperi.
Roob Juniperi.
Spiritus Juniperi.
Aqua Juniperi.
Terebinthina.
Radix Squillae.
Acetum squilliticum.
Extractum Squillae aquosum.
Oxymel squilliticum.
Oxysaccharum Squillae.
Pilulae squilliticae.
Pulvis Squillae compositus.
Tinctura Squillae.
Vinum squilliticum.
Cremor Tartari.
Sal Tartari.

Ex Regno Minerali.

Acida mineralia.
Acida dulcificata.
Spiritus Nitri dulcis.
Nitrum prismaticum purum.
Nitrum cubicum purum.
Aqua Calcis.
Sal alcali minerale.
Sapo acidus.
Aer fixus.
Aqua mephitica alcalina.
Aquae minerales alcalinae.

F.

EXPECTORANTIA.

a.

EXPECTORANTIA DEMULCENTIA, EMOLLIENTIA.

Ex

Ex Regno Animali.

Lac Vaccinum.
Vitellus Ovi recens.
Limaces vivi.
Pasta Limacina.

Ex Regno Vegetabili.

Radix et Herba Althaeae.
Syrupus Althaeae.
Pasta Althaeae.
Trochisci pectorales.
Radix Liquiritiae.
Extractum Liquiritiae.
Pasta Liquiritiae.
Pasta Amygdalina.
Gummi Arabicum.
Gummi Tragacanthae.
Amylum.
Saccharum album.
Saccharum Candum.
Caricae.
Mel depuratum.
Syrupus Diacodii.
Species pectorales demulcentes.
Omnes Plantae mucilaginosae.

b.

EXPECTORANTIA, IRRITANTIA.

Ex Regno Vegetabili.

Lichen Islandicus.
Gelatina Lichenis Islandici.
Farfara seu Tussilago.
Radix Polygalae amarae.
Radix Iridis Florentinae.
Radix Senegae.
Radix Enulae.
Extractum Enulae.
Radix Ari.
Radix Pimpinellae.
Herba Hyssopi.
Aqua Hyssopi.
Herba Pullegii.
Semen Foeniculi.
Semen Anisi vulgaris.
Semen Anisi stellati.
Oxymel squilliticum.
Gummi Ammoniacum.
Lac Gummi Ammoniaci.
Myrrha.
Extractum Myrrhae aquosum.

Ex Regno Minerale.

Flores Sulphuris.
Oleum Asphalti.
Tartarus emeticus mitior minima dosi, loco Stibii diaphoretici.
Vinum Antimoniatum minima dosi.
Kermes minerale minima dosi.
Sulphur antimonii auratum minima dosi.

G.

SIALAGOGA SALIVANTIA.

Praeparata Mercurialia interna majori dosi.

CLASSIS VII.

IRRITANTIA, STIMULANTIA, EXCITANTIA, ANALEPTICA.

A.

IRRITANTIA ANTISPASMODICA.

Ex Regno Animali.

Castoreum.
Tinctura Castorei.
Aqua destillata Castorei.
Moschus naturalis.
Tinctura Moschi naturalis.
Moschus artificialis.
Tinctura Moschi artificialis.

Ex Regno Vegetabili.

Radix Valerianae sylvestris.
Extractum Valerianae.
Tinctura Valerianae simplex.
Tinctura Valerianae volatilis.
Oleum destillatum Valerianae.
Radix Valerianae celticae.
Herba Vulvariae seu Atriplicis foetidae.
Herba Rutae.
Radix Ipecacuanhae minima dosi.
Flores Chamomillae vulgaris.
Oleum Chamomillae.
Extractum Chamomillae.
Aqua Florum Chamomillae.
Flores Chamomillae Romanae.
Flores Cotulae foetidae.
Asa foetida.
Tinctura Asae foetidae.
Gummi Galbanum.

Ex Regno Minerali.

Sal Succini.
Tinctura Succini.
Oleum Succini rectificatum.
Sal Cornu Cervi volatile.
Spiritus Cornu Cervi.
Liquor Cornu Cervi succinatus.
Flores Zinci.
Cuprum Ammoniacum.
Tartarus emeticus mitior minima dosi.
Vinum Antimoniatum minima dosi.
Naphtha Vitrioli.
Liquor Anodynus mineralis.
Spiritus Nitri dulcis.
Spiritus Salis dulcis.
Spiritus Mindereri forma sicca.
Spiritus Mindereri forma liquida.

B.

IRRITANTIA ANTISPASMODICA, SEDATIVA, NARCOTICA.

Crocus.
Tinctura Croci.
Stipites Dulcamarae.
Herba Cicutae.
Extractum Cicutae.
Herba Aconiti.
Extractum Aconiti.
Arnicae Flores.
Herba Daturae seu Stramonii.
Extractum Daturae.
Herba Hyosciami.
Extractum Hyosciami.

Ra-

Radix et Herbae Belladonnae.
Extractum Belladonnae.
Folia Laurocerasi.
Aqua destillata Foliorum Laurocerasi.
Flores Papaveris Rhoeados.
Syrupus Florum Rhoeados.
Opium crudum.
Opium purum.
Tinctura Opii seu Laudanum liquidum Sydenhami.
Syrupus Diacodi seu Papaveris albi seu de Meconio.

C.

IRRITANTIA, CALEFACIENTIA.

Ex Regno Animali.

Oleum Cornu Cervi empyreumaticum.
Oleum Cornu Cervi rectificatum seu Oleum Animale ad modum Dippelii.
Phosphorus Kunkelii seu Animalis.
Solutio Phosphori Animalis.
Salia alcalia volatilia.
Sal Cornu Cervi volatile.
Sal volatile Salis Ammoniaci siccum.
Spiritus Salis Ammoniaci aquosus.
Spiritus Salis Ammoniaci vinosus.
Spiritus Mindereri.

Ex Regno Vegetabili.

Cortex Cinnamomi.
Tinctura Cinnamomi.
Flores Cassiae.
Aqua Florum Cassiae simplex.
Aqua Florum Cassiae spirituosa.
Syrupus Florum Cassiae.
Oleum Florum Cassiae.
Cortex Canellae albae.
Semina Cardamomi.
Tinctura Cardamomi.
Radix Galangae.
Tinctura Galangae.
Radix Calami aromatici.
Radix Zingiberis.
Radix Zedoariae.
Semina Amomi.
Aqua Amomi.
Caryophyli aromatici.
Oleum Caryophyllorum.
Herba Salviae.
Piper nigrum.
Semina Anisi.
Oleum Anisi.
Spiritus Anisi.
Semina Foeniculi.
Oleum Foeniculi.
Aqua Foeniculi.
Baccae Lauri.
Oleum Laurinum.
Faba Pichurim.
Camphora.
Acetum camphoratum.
Lignum Guajaci.
Gummi-resina Guajaci.
Resina Guajaci artefacta pura.
Tinctura Guajaci simplex.
Tinctura Guajaci volatilis.

Nux Moschata.
Oleum Nucis Moschatae.
Flores Lavandulae.
Oleum Lavandulae.
Mentha piperita.
Oleum Menthae piperitae.
Aqua Menthae piperitae simplex.
Aqua Menthae piperitae spirituosa.
Rotulae Menthae piperitae.
Herba Melissae.
Aqua Melissae.
Spiritus Melissae simplex.
Spiritus Melissae compositus.
Cortices Aurantiorum maturorum.
Aqua Corticum Aurantiorum.
Tinctura Corticum Aurantiorum.
Spiritus Corticum Aurantiorum.
Oleum destillatum Corticum Aurantiorum.
Oleum Bergamottae.
Syrupus Corticum Aurantiorum.
Aqua Florum Naphae.
Spiritus Florum Naphae.
Oleum Cajeput rectificatum.
Radix Serpentariae.
Radix Contrajervae.
Radix Angelicae.
Turiones Pini.
Resina Gemmarum Populi balsamiferae.
Baccae Juniperi.
Spiritus Juniperi.
Oleum Juniperi.
Herba Sabinae.
Oleum Sabinae.
Myrrha.
Tinctura Myrrhae.
Vinum.
Spiritus Vini.

Ex Regno Minerali.

Flores Sulphuris.
Oleum Asphalti.
Hepar Sulphuris calcareum.
Antimonium crudum.
Pulvis purificans.
Trochisci Antimoniales.
Aquae minerales sulphureae seu hepaticae.
Aer dephlogisticatus.
Aer fixus seu Acidum aereum.
Naphtha Vitrioli.
Naphtha Aceti.
Liquor Anodynus mineralis.
Spiritus Nitri dulcis.
Spiritus Salis dulcis.
Acetum concentratissimum.

CLASSIS VIII.

NUTRIENTIA seu DIAETETICA.

Ex Regno Animali.

Caro bovina, vitulina, vervecina.
Gelatinae, Juscula inde parata.
Lac vaccinum, asininum, muliebre.
Cremor lactis.
Lac ebutyratum.
Serum lactis.
Saccharum lactis.
Rasura Cornu Cervi.
Gelatina Cornu Cervi.
Gelatina Ichthyocollae.
Juscula Testudinum.
Juscula Cancrorum fluviatilium.

Jus-

Juscula Limacum, et Ostrearum recentium.
Ova gallinacea recentia.
Vitellus Ovi.
Albumen Ovi.

Ex Regno Vegetabili.

Herbae et Radices.

Herba Cerefolii.
Herba Nasturtii aquatici.
Herba Nasturtii hortensis.
Herba Lactucae.
Herba Acetosae.
Herba Brassicae.
Herba et Radix Petroselini.
Herba Apii graveolentis.
Radix Rapae.
Radix Pastinacae.
Radix Dauci Sativi.
Radix Betae rubrae.
Radix Sisari.
Radix Scorzonerae.
Turiones Asparagi.
Radix Cichorei.
Radix Raphani hortensis.
Radix Raphani rusticani seu Armoraciae.
Radix Salep.

Fructus Horaei.

Baccae Fragariae.
Baccae Rubi Idaei.
Baccae Mori.
Baccae Myrtillorum.
Baccae Vitis Idaeae.
Baccae Berberum.
Ribesia rubra.
Ribesia nigra.
Uvae recentes et siccatae seu passulae majores, et passulae minores.
Fructus Juglandum.
Fructus Cynosbati.
Fructus Mespillorum.
Fructus Cucumerum.
Fructus Melonum.
Fructus Aurantiorum.
Fructus Citri.
Fructus Pomorum.
Fructus Pyrorum.
Fructus Cydoniorum.
Fructus Cerasorum rubrorum acidorum.
Fructus Cerasorum nigrorum.
Fructus Prunorum.
Pruna Brignolentia.
Mala Armeniaca.
Fructus Persicorum.
Amygdalae dulces et amarae.
Caricae.
Saccharum.

Semina.

Semina Tritici.
Farina Tritici.
Panis albus.
Amylum.
Furfures Tritici.
Secale.
Oriza.
Hordeum.
Maltum.
Avena.
Semina Cannabis.
Phaseoli.

Pi-

Pisa.
Semina Cacao.
Cacao tabulata.

Potus varii.

Aqua communis.
Potus Theatus.
Potus Coffeanus.
Potus Chocolatae.
Emulsio Amygdalina.
Limonada.
Cerevisia.
Vinum.
Spiritus ardens.
Potus Polopuntiae.
Aquae minerales medicatae et Balnea.

CLASSIS IX.

RESOLVENTIA, ATTENUANTIA, INCIDENTIA.

A.

RESOLVENTIA REFRIGERANTIA.

Ex Regno Animali.

Mel crudum et depuratum.
Oxymel simplex.
Serum lactis.

Ex Regno Vegetabili.

Radix Taraxaci.
Extractum Taraxaci.
Radix Graminis.
Extractum Graminis.
Radix Saponariae.
Extractum Saponariae.
Herba Saponariae.
Radix Dauci.
Extractum Dauci.
Radix Caricis arenariae.
Radix Cichorei.
Crystalli Tartari.
Sal essentiale Tartari.
Sal Seignette.
Terra foliata Tartari crystallisata.
Liquor Terrae foliatae Tartari.
Tartarus tartarisatus.
Tartarus solubilis.
Alcali vegetabile citratum.
Saccharum.

Ex Regno Minerali.

Nitrum prismaticum purum.
Nitrum cubicum purum.

B.

RESOLVENTIA CALEFACIENTIA.

Ex Regno Vegetabili.

Plantae antiscorbuticae.

Herba Cochleariae.
Conserva Cochleariae.
Nasturtium aquaticum.
Conserva Nasturtii aquatici.
Herba Fumariae.
Conserva Fumariae.
Infusum Malti.
Semina Sinapis.

Se-

Serum Lactis Sinapinum.
Armoracia seu Raphanus rusticanus.
Cerevisia antiscorbutica.
Herba Gratiolae.
Extractum Gratiolae.
Marrubium album.
Aconitum.
Cicuta.

Gummi-Resinae.

Gummi Ammoniacum.
Gummi Galbanum.
Myrrha.
Extractum Myrrhae aquosum.
Asa foetida.
Tinctura Asae foetidae.
Flores Benzoes.
Oleum Terebinthinae rectificatum.
Sapo Alicantinus.
Sapo Cacao.
Sapo acidus.

Ex Regno Minerali.

Sal Ammoniacum.
Antimonium crudum.
Trochisci Antimonialis.
Pulvis purificans.
Tartarus emeticus mitior.
Vinum Antimoniatum.
Sulphur Antimonii auratum.
Kermes minerale.
Mercurius vivus depuratus forma Calcis.
Pilulae Mercuriales.
Mercurius solubilis niger.
Aethiops mineralis.
Aethiops antimonialis.
Mercurius dulcis.
Pulvis alterans.
Mercurius sublimatus corrosivus.
Terra ponderosa salita.
Magnesia salita.

CLASSIS X.

ROBORANTIA, TONICA.

A.

TONICA AMARA SIMPLICIA, nec ADSTRINGENTIA nec CALEFACIENTIA.

Ex Regno Animali.

Fel Tauri.

Ex Regno Vegetabili.

Herba Trifolii fibrini.
Extractum Trifolii fibrini.
Radix Cichorei.
Radix Gentianae.
Extractum Gentianae.
Lignum Quassiae.
Extractum Quassiae.
Cortex Simarubae.
Herba Fumariae.
Extractum Fumariae.
Radix Taraxaci.
Extractum Taraxaci.
Herba Cardui Benedicti.
Extractum Cardui Benedicti.
Lichen Islandicus.

B.

B.

TONICA AMARA ADSTRINGENTIA.

Ex Regno Vegetabili.

Cortex Angusturae.
Extractum Corticis Angusturae.
Radix Colombae.
Radix Rubiae Tinctorum.
Cortex Chinae luteus seu communis seu Peruvianus.
Cortex Chinae ruber.
Extractum Corticis Chinae humidum.
Extractum Corticis Chinae siccum seu Sal essentiale Corticis.
Tinctura Corticis Chinae simplex.
Tinctura Corticis Chinae composita.
Syrupus Corticis Chinae.
Cortex Salicis albae.
Cortex Salicis Laureae.
Cortex Salicis vitellinae.
Radix Rhabarbari seu Rhei.
Extractum Rhabarbari.
Tinctura Rhei aquosa.
Tinctura Rhei spirituosa.

C.

TONICA AMARA AROMATICA, CALEFACIENTIA.

Ex Regno Vegetabili.

Radix Caryophyllatae.
Cortex Cascarillae.
Extractum Corticis Cascarillae.
Radix Galangae.
Herba Tanaceti.
Herba Absynthii.
Extractum Absynthii.
Centaurium minus.
Extractum Centaurii.
Cortex Aurantiorum.
Extractum Aurantiorum.
Calamus aromaticus.
Extractum Calami aromatici.
Tinctura amara.
Elixirium stomachicum.
Elixirium viscerale.
Elixirium aromaticum.
Pulvis stomachicus.
Herba et Flores Millefolii.
Extractum Millefolii.

D.

TONICA PROPRIE ADSTRINGENTIA seu STYPTICA.

Ex Regno Vegetabili.

Radix Tormentillae.
Extractum Tormentillae.
Radix Symphyti seu Consolidae.
Cortex Ulmi.
Radix Lapathi acuti.
Radix Bistortae.
Folia Uvae Ursi.
Flores Rosarum pallidarum.
Aqua Rosarum.
Mel Rosarum.
Flores Rosarum rubrarum seu damascenarum.
Acetum Rosarum.
Conserva Rosarum.

Cor-

Cortex et Glandes Quercus.
Gallae Quercinae.
Putamen Nucum Juglandum.
Roob Nucum.
Succus Cydoniorum.
Succus Catechu.
Tinctura Catechu simplex.
Spiritus Vini rectificatissimus seu Alcohol.
Acetum Vini.
Gummi Kino.
Alumen Kinosatum.

Ex Regno Minerali.

Limatura Martis pura.
Mars solubilis.
Extractum Martis.
Globuli martiales.
Tinctura Martis aperitiva.
Tinctura Martis aurea.
Tinctura Martis Cydoniata.
Aquae minerales ferratae.
Aqua communis frigida.
Aqua Calcis.
Alumen Romanum.
Serum Lactis aluminosum.
Pulvis aluminosus.
Spiritus Vitrioli vulgaris dilutus.
Vitriolum Martis artificiale.

SECTIO II.

MATERIA CHIRURGICA seu MEDICAMENTA EXTERNA.

CLASSIS I.

ADSTRINGENTIA.

Ex Regno Animali.

Gummi Lacca.
Tinctura Gummi Laccae aluminosa.

Ex Regno Vegetabili.

Cortex Quercus.
Glandes Quercinae.
Gallae Quercinae.
Cortex Granatorum.
Flores Balaustiorum.
Flores Rosarum rubrarum.
Acetum Rosarum.
Mel Rosarum.
Radix Bistortae.
Radix Tormentillae.
Radix Consolidae seu symphyti.
Succus Catechu.
Tinctura Catechu simplex.
Tinctura Catechu composita.
Trochisci Catechu.
Gummi Kino.
Alumen Kinosatum.
Pulvis stypticus.
Vinum rubrum.
Spiritus Vini.

Ex Regno Minerali.

Vitriolum Martis.
Vitriolum album.
Alumen vulgare et Romanum.
Aqua communis frigida.
Nix.

Glacies.
Fomenta frigida.

CLASSIS II.
ANTISEPTICA.

Ex Regno Vegetabili.

Cortex Chinae seu Peruvianus.
Cortex Salicis albae.
Cortex Salicis Vitellinae.
Cortex Hyppocastani.
Cortex Quercus.
Cortex Fraxini.
Herba Scordii.
Herba Rutae.
Herba Absynthii.
Herba Marrubii albi.
Flores Chamomillae vulgaris.
Flores Arnicae.
Radix Serpentariae Virginianae.
Radix Valerianae sylvestris.
Radix Valerianae celticae.
Camphora.
Acetum camphoratum.
Spiritus Vini camphoratus.
Myrrha.
Tinctura Myrrhae.
Oleum Myrrhae.
Aloe.
Tinctura Aloes.
Styrax vulgaris depuratus.
Unguentum de Styrace.
Oleum Terebinthinae rectificatum.
Acetum Vini.
Acetum concentratum.
Acidum Citri.
Succus Berberum.

Ex Regno Aereo.

Aer fixus seu Acidum aereum.

Ex Regno Minerali.

Acidum Salis dephlogisticatum Aqua dilutum in gangraena et ulceribus putridis forma fomenti.
Nitrum.
Sal Ammoniacum.
Sal commune.
Tartarus tartarisatus.
Tartarus solubilis.
Aqua communis frigida.
Nix.
Glacies.
Fomenta frigida.

CLASSIS III.
CAUSTICA.

A.

CAUTERIUM ACTUALE.

Cauterisatio, seu Ignis ut Medicamentum, seu Ferrum candens.
Cauterisatio cum Pulvere pyrio.
Cauterisatio cum radiis Solis ope vitri seu lentis causticae.
Cauterisatio cum Moxa.

B.

CAUTERIUM POTENTIALE.

I. Caustica solida.

Lapis causticus.
Calx viva.
Calx viva cum Sapone.
Aerugo crystallisata.
Vitriolum Cupri.
Unguentum Aegyptiacum, seu Oxymel aeruginis.

Lapis infernalis.
Mercurius sublimatus.
Liquor Mercurialis, seu Aqua Phagedaenica.
Mercurius praecipitatus, seu potius calcinatus ruber.
Balsamus ophthalmicus ruber.
Mercurius praecipitatus albus.
Alumen ustum.
Saccharum album.
Pulvis ophthalmicus.
Herba Sabinae.

II. Caustica liquida.

Acida mineralia praecipue concentrata.
Acidum Vitrioli.
Acidum Nitri.
Acidum Salis.
Butyrum Antimonii.
Olea aetherea.
Oleum Cinnamomi.
Oleum Caryophyllorum.
Oleum Cajeput.
Oleum Rorismarini.

C.

VESICATORIA.

Cantharides.
Tinctura Cantharidum.
Emplastrum vesicatorium commune.
Emplastrum vesicatorium perpetuum.
Unguentum vesicatorium.

D.

RUBEFACIENTIA, EPISPASTICA.

Semina Sinapis.
Sinapismus.
Radix Armoraciae.
Radix Alii.
Radix Cepae.
Piper nigrum.
Radix Zingiberis.
Cortex Mezerei.
Herba Pulsatillae nigricantis.
Herba Anemone nemorosa.
Herba Urticae dioicae.
Herba Flamulae Jovis.
Herba Ranunculi acris.
Herba Sedi acris.
Gummi Euphorbii.
Tinctura Euphorbii.
Frictiones.

E.

ULCERA ARTIFICIALIA.

Fonticuli.
Fonticuli ope incisionis integumentorum.
Fonticuli ope Emplastri vesicantis juxta cel. EVERS praeferendi.
Setaceum.

CLASSIS IV.

DISCUTIENTIA et RESOLVENTIA.

Ex Regno Vegetabili.

Herba Hyssopi.

Herba Menthae crispae.
Oleum Menthae crispae.
Herba Pulegii.
Herba Melissae.
Herba Salviae.
Flores Lavandulae.
Spiritus Lavandulae.
Oleum Lavandulae.
Herba Rorismarini.
Spiritus Rorismarini.
Oleum Rorismarini.
Herba Serpilli.
Herba Origani.
Herba Dictamni cretici.
Flores Chamomillae vulgaris.
Oleum Infusum Chamomillae.
Species nervinae seu cephalicae resolventes.
Semina Petroselini.
Semina Cumini.
Semina Carvi.
Baccae Lauri.
Oleum Laurinum.
Radix Enulae.
Baccae Juniperi.
Oleum Juniperi.
Oleum Nucistae pressum.
Oleum Macis.
Butyrum Cacao.
Oleum Anisi.
Oleum Foeniculi.
Oleum Cajeput.
Camphora.
Spiritus Vini camphoratus.
Oleum camphoratum.
Linimentum volatile.
Linimentum saponaceum.
Gummi Ammoniacum.
Emplastrum Diachylon cum Gummi.
Colophonium.
Pix alba et nigra.
Olibanum.
Sandaracha.
Resina Elemi.
Mastix.
Opium.
Tinctura Opii seu Laudanum liquidum Sydenhami.
Linimentum antispasticum.
Acida vegetabilia.
Acetum.
Vinum.

Ex Regno Minerali.

Sal Ammoniacum.
Spiritus Salis Ammoniaci aquosus.
SpiritusSalis Ammoniaci causticus.
Spiritus Salis Ammoniaci vinosus.
Nitrum.
Sal commune.
Spiritus Salis acidus.
Borax.
Sal volatile Salis Ammoniaci siccum.
Sal Tartari.
Sapo Alicantinus.
Emplastrum saponatum.
Spiritus Saponis.
Spiritus Mindereri.
Acida mineralia dulcificata, praecipue Spiritus Nitri dulcis multa Aqua dilutus.

CLASSIS V.

EMOLLIENTIA, LUBRICANTIA, RELAXANTIA.

Aqua communis calida.
Balneum ex Aqua communi calida.
Bal-

Balneum vaporis.
Fomenta ex Aqua communi calida.
Cerevisia.
Radix et Herba Althaeae.
Unguentum Althaeae simplex.
Herba Malvae.
Herba Verbasci.
Flores Sambuci.
Flores Melilothi.
Capita Papaveris.
Herba Hyosciami.
Oleum infusum Hyosciami.
Herba Cicutae.
Extractum Cicutae.
Emplastrum Cicutae.
Herba Belladonnae.
Herba Bardanae recens et sicca.
Herba Linariae.
Unguentum Linariae.
Crocus.
Oleum Olivarum.
Butyrum.
Axungia Porci.
Sevum Cervinum.
Sevum Vervecinum.
Cera alba.
Cera flava.'
Oleum Cerae.
Ceratum album.
Linteum Ceratum.
Oleum Ovorum.
Mel purum.
Mel Rosarum.
Butyrum Cacao.
Unguenta emollientia.
Unguentum Pomadinum.
Unguentum ad labia.
Unguentum Althaeae cum Terebinthina.
Unguentum Basilicum.
Unguentum digestivum simplex.
Uguentum Elemi seu Balsamus Arcaei.
Unguentum simplex.
Emplastra emollientia.
Emplastrum emolliens.
Emplastrum citrinum.
Emplastrum Diachylon simplex.
Emplastrum Diachylon cum Gummi.
Emplastrum de Galbano crocatum.
Emplastrum de Melilotho.
Emplastrum Mamillare.
Emplastrum Mercuriale.

CLASSIS VI.

ENEMATA et SUPPOSITORIA.

A.

ENEMATA ANODYNA.

B.

ENEMATA ADSTRINGENTIA, TONICA.

C.

ENEMATA EMOLLIENTIA.

D.

ENEMATA EVACUANTIA.

E.

ENEMATA IRRITANTIA.

F.

ENEMATA NUTRIENTIA.

G.

ENEMATA VISCERALIA.

Exempla similium Enematum videantur in *P. II. Sect. II.*

Suppositoria.

Globuli Moschati.

Sup-

Suppositoria haemorrhoides excitantia.
Reliqua ex Melle cocto, Vitello Ovi, ex Lardo, Sapone, passulis parantur.

CLASSIS VII.

ERRHINA, PTARMICA, STERNUTATORIA.

Ex Regno Vegetabili.

Pulvis Herbae Tabaci seu Nicotianae.
Pulvis Foliorum Salviae.
Pulvis Herbae Majoranae.
Butyrum Majoranae.
Flores Lavandulae.
Flores Arnicae.
Herba Mari veri.
Radix Iridis Florentinae.
Radix Valerianae.
Flores Liliorum convallium.
Radix et Folia Asari.
Radix Hellebori albi.
Pulvis Sternutatorius.
Saccharum album.

Ex Regno Minerali.

Mercurius vivus depuratus terendo in Calcem redactus cum aliis.
Pulvis antamauroticus.
Mercurius dulcis.
Vitriolum album in Aqua solutum.

CLASSIS VIII.

EXSICCANTIA.

Ex Regno Animali.

Spongia marina.

Ex Regno Vegetabili.

Linteum Carptum varia forma.
Linteum aluminosum.
Cortex Nucum Juglandum immaturarum.
Semen Lycopodii.
Radix Calami aromatici.
Radix Iridis Florentinae.
Amylum.
Pulvis Radicis Rhabarbari seu Rhei.

Ex Regno Minerali.

Cerussa in laminis.
Unguentum album simplex.
Unguentum album camphoratum.
Emplastrum album coctum.
Lithargyrium.
Unguentum de Lithargyrio seu nutritum.
Acetum Lithargyrii dilutum.
Acetum Lithargyrii concentratum seu Extractum Saturni.
Aqua vegeto-mineralis.
Ceratum Saturni.
Saccharum Saturni.
Minium.
Emplastrum consolidans saturninum.
Flores Zinci.
Unguentum Florum Zinci.
Vitriolum album.
Flores Sulphuris.
Emplastrum sulphuratum.
Unguentum ad scabiem.
Hepar Sulphuris vulgare.
Hepar Sulphuris calcareum.
Aqua Calcis vivae.

Ole-

Oleum Tartari per deliquium.
Bolus rubra.

CLASSIS IX.

HAEMOKENONTA seu SANGUINEM EVACUANTIA.

Phlebotomia seu Venaesectio.
Arteriotomia seu Arteriaesectio.
Scarificatio.
Cucurbitularum applicatio.
Hirudinum applicatio.

CLASSIS X.

HAEMOSTATICA, seu SANGUINEM SISTENTIA.

Ex Regno Animali.

Spongia marina.
Spongia marina cerata.

Ex Regno Vegetabili.

Acetum Vini vulgari.
Acetum Vini concentratum.
Decocta Vegetabilium adstringentium.
Spiritus Vini rectificatissimus.
Amylum.

Ex Regno Minerali.

Vitriolum Cupri seu coeruleum.
Alumen.
Acida mineralia diluta.
Aqua styptica vulneraria.

Remedia mechanica.

Machina Tourniquet.
Ligaturae sanguinolentae.
Emplastrum stypticum.
Fungus Quercinus seu Agaricus.

CLASSIS XI.

SIALAGOGA, SALIVANTIA.

A. SIALAGOGA, MASTICATORIA.

Radix Pyrethri.
Radix Ptarmicae.
Radix Pimpinellae.
Radix Imperatoriae.
Radix Angelicae.
Radix Armoraciae.

B. SIALAGOGA PROPRIE SIC DICTA.

Mercurialia externe adhibita.
Unguentum Mercuriale seu neapolitanum.
Unguentum Mercurii solubilis nigri.
Unguentum Mercuriale album.

CLASSIS XII.

MEDICAMENTA MECHANICA.

A.

FASCIAE VARIAE, LIGATURAE et INSTRUMENTA CHIRURGICA.

B.

OPERATIONES CHIRURGICAE.

Haec ultima Classis ex Chirurgia petenda.

Res ardua est, vetustis novitatem dare, novis authoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus vero naturam et naturae suae omnia.

PLINII Histo. natu. Praefa.

CLASSIS I. REGNUM ANIMALE.

SECTIO I.

ANIMALIA INTEGRA.

§. I. *INSECTA.*

Nomen pharmaceuticum latinum. V.	ASELLI seu MILLEPEDES.
N. ph. germanicum.	*Kellerwürme, Mauereseln, Asteln.*
N. systematicum Linnaei.	(Oniscus Asellus.)
Partes usuales.	*Insectum integrum vivum.*

Aselli seu Millepedes sunt Insecta aptera, corpore in parte supina arcuato, coloris plumbei vel pallide cinerei, infra albicantis, latere utrique serrato, cauda acuminata bifida, antennis duobus setaceis, pedibus quatuordecim; cute quasi squammosa, e novem articulis inaequalibus constante, quibus se se in orbem piluliformem contrahere et complicare possunt. Dum tanguntur habent consuetudinem, ut corpus dicto modo contrahant, ideo illi, qui non habent figuram rotundam, sed in longitudinem extensi manent, abjiciuntur; est enim signum non violenta, sed naturali morte peremtos fuisse. Occurrunt per omnem Europam; in regionibus calidioribus majores et magis nigricant. Degunt et colligendi sunt in locis humidis, in cellis, murium fissuris et sub lapidibus aliisque locis uliginosis, et tepido vivunt humore; qui sub trabibus vel aliis lignis putridis morantur rejiciendi. Ne cum Armadillo LINNAEI sub humidis lapidibus habitante commutes, qui cauda integra et pluribus pedibus dignoscitur. Odor Asellorum debilis, verum ingratus est: sapor etiam nauseosus leniter salsus. Coquendo cum aqua largiuntur $\frac{1}{18}$ gelatinae nauseosi saporis; destillatione sicca considerabilis quantitas salis alcalini volatilis inde prodit;

dit; **SPIELMANNUS** inde $\frac{1}{3}$ circiter spiritus urinosi, $\frac{1}{16}$ olei empyreumatici, $\frac{1}{17}$ salis volatilis obtinuit; sal alcali ex eorum cineribus extractus, suavem odorem spirat. Recenter collecti Aselli, debita abluitione ab adhaerentibus sordibus purgati, in vino albo suffocantur, et vino decantato in vase arcte clauso servantur. Uncia una Asellorum ad summum drachmas duas succi expressi largitur.

VIRES. Recentes Millepedes egregium exhibent diureticum.

USUS. In Hydrope pectoris et abdominis; in calculo vesicae et renum; obstructionibus viscerum, et Tussi convulsiva. In aliis morbis laudati, alia efficaciora medicamina habentur.

DOSIS. A quinquaginta ad centum recenter adhibentur, aut succus expressus. Sic succus ex centum millepedibus expressus cum uncia semis vel una mellis aut oxymellis, aut unciis duabus vini pro dosi exhibetur.

PRAEPARATA.

CONSERVA MILLEPEDUM.)
MILLEPEDES PRAEPARATI.) *vide praeparata P, II.*

N. ph. l. V. ⊙	CANTHARIDES.
N. germ.	*Blasenziehende Käfer, spanische Mücken.*
N. syst. L.	(Meloe Vesicatorius.)
Partes usuales.	*Insectum integrum necatum et exsiccatum in vitro clauso servatur.*

Sunt Insecta coleoptera, muscae majoris magnitudine, corpore oblongo coloris ex aureo et viridi mixti, nitente, pilis albicantibus instructo, cum quatuor alis, quarum superiores (elytra) duriores, externe pulcherrimo viridi aureo colore, duabus striis longitudinalibus millenisque punctis notatae, interne vero fuscae, investiunt duas inferiores tenerrimas et fuscas; ac capite cordis figuram mentiente, duro, membrana punctulis notata aureo viridi tecto, et binis antennis, nodosis, nigricantibus, maculis albis passim distinctis instructo. Incolae sunt calidiorum regionum, olim ex Hispania nunc praesertim ex Sicilia advehuntur; saepe etiam in Germania, mense Iunio et Iulio die oriente ex arboribus inprimis Platano, Ligustro, Fraxino Caprifolio, populo alba, salice et sambuco colligi possunt. Concussione harum arborum decidunt supra linteum extensum, ubi dein vapore aceti, aut sulphuris accensi suffocantur aut caute in furno pistorio necantur et exsiccantur. Post longam asservationem in pulverem fatiscunt minus efficacem, tamen vim causticam diu conservant. Viva haec insecta obducta sunt materia foetida unctuosa, hinc odor cantharidum vivarum peculiaris, teter, picis liquidae similis et virosus, exsiccatorum debilior, sapor initio piceus, postea vero acris et causticus corrosivus. Unicum tale insectum exsiccatum ponderat circiter grana duo aut tria. Per siccam destillationem hujus Insecti transit initio in excipulum spiritus alcalinus ingrati odo-

odoris, dein oleum empyreumaticum, et in fine sat magna copia salis alcalini volatilis forma crystallina; carbo residuus in retorta nullam notam alicujus salis contenti exhibet. Tam aqua, quam spiritus vini eorum vires proprias recipiunt LEWIS, et gummosas et resinosas partes extrahunt. Extracti aquosi $\frac{1}{2}$, spirituosi $\frac{1}{16}$, IAEGER, Extracti aquosi $\frac{1}{3}$ circiter, spirituosi $\frac{1}{4}$ VERRATI, $\frac{1}{3}$ spiritus urinosi, $\frac{1}{12}$ olei empyreumatici, ultra $\frac{1}{12}$ salis volatilis, Extracti aquosi fere $\frac{1}{4}$, ultra $\frac{1}{3}$ spirituosi NEUMANN, obtinuerunt. Extractum spirituosum cito vesicas excitare omnes consentiunt, aquosum nequaquam. Qua vi, quove principio Cantharides effectus suos edant, nemo adhuc luculenter satis explicavit. Omnes vero conveniunt in eo, ut partem Cantharidum efficacem spiritu vini extrahi putent, iccircoque in partibus resinosis earum vim inprimis inesse, salem volatilem vero nullas Cantharidum vires possidere. Quidam tamen á copioso sale alcalino caustico parti resinosae inhaerenti vires illas derivant. Si partes 3 Cantharidum cum una salis alcalini candefiunt, bonum lixivium sanguinis obtinetur, quod signum contenti acidi phosphorici indubitatum. Cum acidis fossilibus effervescere Cantharides diu, saepe etiam post annum concusso liquido effervescere de novo, nec usquam saturationis punctum assequi miram ac peculiarem constituere proprietatem in confesso est. Spiritus vini inde Essentiam viridem, causticam et bene parata cito vesicas excitantem extrahit. Aqua vero nec destillatione nec coctione adeo causticas et acres vires extrahit. Aqua decoctae intra 24 horas in cute sensum titillationis excitant non vero vesicas. Caput, pedes, et alae minus efficaces, quam corpus harum. Eligantur Cantharides minores; octo vel novem lineas minime longiores, integrae et fortiter olentes, ideo etiam in vitro bene clauso serventur.

VIRES. Sunt specifice diureticae, interne et externe in minima dosi stimulantes; in majori dosi vero causticae usque ad necantem effectum cum perpetuo et summo conatu ad mingendum. *Externe* rubefacientes, vesicantes, diureticae.

USUS. Interne in Hydrope, Hydrophobia, in paralysi, Tumoribus lymphaticis juxta SELLE et in gonorrhoea pertinaci, in urinae incontinentia á paralysi. Externe adhibentur Cantharides in genere ad dolorem topicum resolvendum, irritabilitatem diminutam incitandam; in materia morbosa retropulsa, aut ad revulsionem hujus. Emplastris a drachma semis a duas admiscentur Cantharides. Miscentur saepe cum Tinctura opii, camphora. Morbi in quibus Cantharides praecipue externe applicantur sunt *primo* in morbis acutis; in febribus malignis ubi vires valde prostratae; aut si materia retrogressa partem nobilem occupat; in angina inflammatoria post venaesectiones et purgantia adhibita. In variolis viribus valde prostratis et eruptione ex hac causa non procedente aut in retropulsis; in Tussi convulsiva si ab emeticis nullum levamen sequitur; etiam in febribus inflammatoriis praemissis evacuationibus sanguineis et alvinis. Ita et in peripneumonia et pleuritide, nisi biliosa sit. In genere in acutis conveniunt ubi irritabilitas defficit, aut ubi nimia topica adsit. Etiam in apoplexia pituitosa et serosa, ophthalmiis etc. *Secundo* in mor-

A 2 bis

bis chronicis, in rheumatismo, Ischiade, in morbis nervorum ubi stimulus auctus requiritur. In haemiplegia, Arthritide aut Podagra retropulsa, in ophthalmiis chronicis, saepius recurrentibus, in otalgia et odontalgia a causa pituitosa. In Hydrope; in tumoribus albis et herpete sicco. Etiam emplastrum vesicans globuli forma fonticulis ad promovendam et alendam suppurationem applicatur.

DOSIS. Ab una quarta parte grani ad granum unum usque ad grana duo interne juxta VAUGHAD. *Göttinger Anzeigen* 1788. 19 *Stück*; adhibentur cum Camphora, aut mucilagine gummi arabici, potu mucilaginoso, Emulso, aut mercurialibus; Interne rarissime et summa cautela heroicum hoc remedium adhibetur. Methodus celeb. Hombourg in novis publicis communicatus anno 1790 tractandi homines post morsum canis rabidi, in quibus Hydrophobia nondum aderat, est sequens; sic enim post 5 annos in hominibus ita curatis hydrophobia non apparebat. An autem hic methodus in illis, qui jam hydrophobia laborant, sufficiat, nondum confirmatum.

Ad partes vulneratas vesicantia applicantur, interne sequentes pilulae ℞ pulv. canthariḋ. gr. vj. cinamom. gr. XII. sach. alb. gr. XLII. misc. f. pulv. subtiliss. add. conserv. rosar. q. s. M. exacte fiant inde pilulae No. XXX pro homine 20 annorum ôi bihor. pillu. No. VI pro infante 2 annorum ôi bihorio pilul. No. 1 pro infante 4 annorum ôi bihor. No. 2 pro infante 7 annorum ôi bihor, No. 4; prima septimana ôi die vesperi balneum danubianum, 2da et 3tia septimana ôi alterno die. In quibus stranguria oritur validior Emulsio Amygdalarum juvat. *Secunda die* quo vesicantia ad vulnera applicata vesicis apertis imponitur unguentum fuscum Disp. Parisiensis, seu ung. matris. *Tertia die* unguentum fuscum externe applicatum quidem, sed antea ulcera unguento sequenti deligata erant. ℞ balsam. Arcaei dr. ij ☿ii praecip. rubr. gr. IV M. tegatur ung. fusco; hoc modo vulnera nigrescentia antea rubescebant, et pus laudabile et copiosum erat. *Victus vegetabilis*; his ita adhibitis vulnera 11 aut 14 die consolidata erant. Et nunc jam 60 dies elapsi, quo omnes se bene habebant. Asseruit etiam nec ungu. ☿iale, nec moschum, nec cinnabarim, aut alia volatilia remedia, nec vermis majalis, nec submersio infra aquas tantum praestitisse quantum cantharides praestiterint.

PRAEPARATUM.

TINCTURA SEU ESSENTIA CANTHARIDUM.) *vide inter praeparata P. II.*

N. ph. l. V. **COCCIONELLA ORIENTALIS.**

N. germ. *Koschenil, Coccinell indianische.*

N. syst. L. (Coccus Cacti.)

Partes usuales. *Insectum integrum necatum et exsiccatum.*

Insectum hoc est pediculus parvus testudineus magnitudine circiter duarum linearum, qui etsi adeo parvus, tamen omnes partes habet, ut reliqua

qua animalia, etiam partes genitales; nisi quod mares soli sint alati, habent enim quatuor alas, quarum superiores nigrae, utrinque macula rubra notatae et crustaceae sunt, et marginatae, antennas extrorsum incrassatas, truncatas, thoracem marginatum et abdomen planum habent. Femellae vero nullas alas habent, et post impraegnationem intumescunt, deponunt ovula et moriuntur. Externe colorem habent nigrum, interne purpureum. Locus natalis est Regnum Mexicanum, et nova Hispania; inde optima species advehitur, et à provincia in regno Mexicano sita, quae ingentem copiam producit MESTECK vocatur. Vilior species, quia colorem non adeo firmum et dilutiorem largitur SYLVESTRIS vocatur. Degit et nutritur hoc insectum foliis *Opuntiae* aut plantae *Nopal* dictae seu *Cactus coccenilifer*, quae ab incolis Indiae studiose colitur. Tempore hyemali Incolae Indiae haec insecta domi conservant supra folia succulenta *Opuntiae*, quae, etiamsi ab arbore separata fuerint, tamen recentia manent. Sequenti tempore vernali dum pluvia cessat in singulari nido ex subtiliori foeno aut musco arboreo confecto plantis *Opuntiae* imponuntur; ubi post paucos dies innummerabilem copiam ovulorum deponunt, ex quibus brevi tempore ingens copia horum insectorum generatur. Tres diversae collectiones coccionellae instituuntur. Primo colliguntur femellae post deposita ovula mortuae. Post tres aut quatuor menses, si haec insecta juniora jam in majorem molem creverint et grandiora facta iterum colliguntur, juniora vero adhuc relinquuntur, donec post 3 vel 4 menses tertia collectione juniora et grandiora commixta colligantur, quae collectio etiam ideo vilissima est. Sufficiens vero quantitas juniorum post ultimam collectionem relinquitur supra folia *Opuntiae*, et una cum foliis tempore autumnali et hyemali domi conservatur ad futuram plantationem vernalem. Haec Insecta, cum debitam maturitatem adepta sunt, necantur dum in vase ex stramine confecto aquae ebullienti immerguntur, aut supra laminam ferream calori ignis exponuntur. Octingenta millia librarum coccionellae omni anno ex India in Europam transferuntur, ubi tamen ad unicam libram cocionellae septuaginta millia Insectorum requiruntur. Exsiccata haec Insecta habent acrem amarescentem et adstringentem saporem. Aetate tamen color coccionellae non mutatur, etiamsi coccionella per centum et triginta annos conservata fuerit, tamen adeo bonus color inde obtinetur ut ex recenti. Datur etiam coccionella germanica et polonica ubi similia Insecta supra varias plantas, praecipue vero supra *Scleranthum perennem* degunt et inde nutriuntur. Tamen haec coccionella est vilior orientali. Extracti aquosi $\frac{3}{4}$, spirituosi magis rubri, paulo minorem quantitatem, ultra $\frac{1}{11}$ aquae, $\frac{1}{6}$ spiritus urinosi, $\frac{1}{12}$ fere salis volatilis, ultra $\frac{1}{3}$ olei empyreumatici inde obtinuit NEUMANN. Ejus color ab acidis exaltatur, ab alcalinis profundior redditur. Ad infucanda medicamenta inter nos praecipue adhibetur.

USUS. Ad gratum colorem rubrum variis medicamentis conciliandum.

PRAEPARATUM.

SYRUPUS COCCIONELLAE.) *vide inter praeparata P. II.* Ad gratum colorem aliis medicamentis conciliandum additur.

N.

N. ph. l. V. ⊙ — **FORMICAE.**
N. germ. — *Ameisen.*
N. syst. L. — (Formica rufa.)
Partes usuales. — *Insectum integrum et formiceta, seu formicae cum acervo sacculo inclusae.*

Sunt Insecta hymenoptera parva, oblonga, sex pedibus et duabus antennis instructa, thorace oblongo, compresso, glabro, ferruginei coloris, capite, abdomine et aliis partibus nigris. Eorum Chrysalides seu larvae sunt cylindroideae, albo colore gaudent et vulgo sub nomine ovi solent venire. Odorem, inprimis si teruntur, spargunt gravem et acidum. Generatim formicae continent manifestum acidum, quod partim odor indicat, qui ex commoto tali acervo surgit, partim dolor et ardor, qui percipitur dum manus immittitur et etiam destillatio, qua spiritus acidus obtinetur. Hoc acidum formicarum ab omnibus aliis acidis differt, vocatur acidum formicarum. Destillatione transit pars una hujus spiritus magis volatilis, altera pars fixior est, et primo calore aquae ebullientis transcendit in excipulum. Etiam sine destillatione hoc acidum obtineri potest, si aqua fervens affunditur linteo cui inclusae sunt formicae, et quidem tamdiu, donec aqua affusa nullum saporem acidum amplius habeat. Sapor hujus acidi est instar aceti. Etiam ex formicis oleum aethereum et expressum extrahi potest. SPIELMANNUS obtinuit inde spiritus acidi $\frac{3}{8}$, alcalini ultra $\frac{1}{5}$, et olei empyreumatici $\frac{1}{23}$. NEUMANNUS autem spiritus acidi $\frac{5}{21}$, urinosi $\frac{1}{4}$, olei empyreumatici $\frac{1}{8}$ allegat, qui quoque oleum odoratum aethereum et MARGGRAF oleum unguinosum obtinuerunt. Cum crysalidibus communiter ova appellatis, ex acervis colligendae, quos in sylvis et pascuis aridis ex granis, foliis et terra accumulant, et in vitro probe clauso ad usum servandae.

USUS. Solummodo ad praeparandum spiritum formicarum adhibentur, qui externe in paralysi tanquam remedium stimulans et penetrans inungitur; hinc spiritus lumbricorum superfluus.

PRAEPARATUM.

SPIRITUS FORMICARUM.) *vide inter praeparata P. II.*

§. II. *VERMES.*

N. ph. l. V. ⊙ — **HIRUDINES VIVAE.**
N. germ. — *Lebendige Blutigel.*
N. syst. L. — (Hirudo medicinalis.)
Partes usuales. — *Vermes integri vivi.*

Sunt vermes classi intestinorum adnumerati, corpore molli viscido, oblongo, depresso, duos vel tres pollices longo, calamum scriptorium et ultra

ultra crasso, annulis composito quibus contrahitur, extenditur et rotundatur, in parte antica extenuato, in postica in orbiculum dilatato, coloris nigricantis, supra sex lineis, flavis intermediis, nigro-arcuatis, infra cinereo flavescentibus maculis, distincti. Cave ne cum sanguisugis commutentur, quarum corpus totum fusco, lineae coeruleo colore, et solummodo margine laterali flavo notatum, et pilis obsessum est, quarum caput magnum, et quae aquis stagnantibus, palludosis inveniuntur; hae ad usum medicum plane nihil valent, quia apud aegros dolores, tumores, inflammationes et ulcera excitant. Ideo Hirudines colligendae sunt ex aquis limpidis, arenosis, in quibus non sunt multi pisces vere et aestate, sole ardente, et in vitro custodiendae aquae purae semipleno, additis furfuribus tritici et vesica bubula, subtiliter ast dense perforata, clauso, sic per annos servandae, si aqua modo saepe renovetur. Tempore aestivo ad minimum omni tertia die aqua renovari debet, hyeme vero diutius prior aqua relinqui poterit. Quolibet mense se se excoriant et vestem viscidam in Aqua deponunt natantem, tunc suctionem vero respuunt. Hyrudines in Pharmaciis ut alia Medicamenta simplicia asservari et semper praesto esse debent.

VIRES. Est topica sanguinis evacuatio ex quadam parte.

USUS. Horum animalculorum usus non immerito a multis saeculis tam in acutis, quam in chronicis morbis locum obtinuit et plurimorum experimentis confirmatus est. Actio enim illorum communis est cum aliis evacuantibus; imo detrahi potest eorum ope tanta quantitas sanguinis, ut homines animo linquant. Ex eo, quod evacuent adhiberi possunt, in omnibus morbis, ubi venaesectio necessaria foret, eam tamen aegri non admittunt, ex idea praeconcepta quadam, aut ex metu cuspidis ferri. In infantibus aut hominibus obesis ubi ob vasa tenerrima et nimis parva periculum metueretur, vel parentes venaesectionem non admittant, substitui possunt una, duae, tres, pro necessitate mali, ad vasorum plenitudinem tollendam. Praeter communem usum habent etiam singularem, quatenus substitui possunt cucurbitis, scarificationibus; imò talibus locis applicari ubi nullis instrumentis locus datur, evacuatio tamen necessaria foret, ut naso, mento, oculis, auriculis, venis frontalibus, retro aures, arteriis temporalibus, sub lingua etc. Revellendo, derivando quoque agunt, quoniam partem illam, cui applicantur, irritant, humores instar cucurbitarum sua suctione attrahunt, ut eo majori quantitate ruant. Ex hoc locum habent in morbis capitis cum magna spe restituendae sanitatis, aut saltem levaminis futuri. In ophthalmia ad palpebram inferiorem oculi, in amaurosi et commotione cerebri temporibus applicantur. In dentitione difficili retro aures ponuntur. In pleuritide sex hyrudines pectori admotae acutissimos dolores citius tollunt, quam venaesectio aut alia medicamenta adhibita. Erysipelas pedum, quod jam ratione coloris gangraenescere minitaret per applicationem hyrudinum feliciter resolutum fuit juxta MELLIN. In cephalalgia atroci arteriae temporali admotae salutarem opem praestant juxta LANGELOTT. In angina inflammatoria 20 hyrudines collo et retro aures feliciter applicantur. Immedicabiles pustulas et maculas faciei decem hyrudines quatuor vicibus fronti impositae sanarunt

juxta

juxta ZACUTUM. In phrenitide a mensium suppressione orta quatuor hyrudines partibus genitalibus impositae et brevi sequebatur mensium fluxus cum levamine morbi juxta eundem; ita etiam puerperam, quae lochiorum suppressione Epileptica facta fuit, applicatione hyrudinum sanavit. Ad haemorrhoides turgentes vel eas suppressas evacuandas hyrudines orificio ani imponuntur iis in casibus, in quibus ab haemorrhoide regurgitante fiunt caligines, vertigines, deliria, sopores, convulsiones, vomitus aeruginosi, lipothimiae, cardialgiae, haemoptysis etc. docet illu. STOERCK. Si vero in febre haemorrhoidali, quae nihil aliud quam febris annua cum stationaria rheumatica, tertio vel quarto die, absentibus his symptomatibus antea ennumeratis, vapores aquae ebullientis ano applicantur, dolores diminuuntur et crisis facilior redditur; nec opus est applicare hyrudines dum quarto die tubercula haemorrhoidalia apparuerunt, et si omnes dolores, et febris cessarunt, tunc fere nullis amplius medicamentis opus erit; in sola vivendi ratione erit attendendum, ne acida, adstringentia, aut acria Aromata assumantur. His in casibus intra paucos dies saepissime perfecta sequitur curatio, et vasa turgida sponte iterum detumescunt. Si autem tumente haemorrhoide novus dolor circa anum oritur, si tubercula valde rubra, calida, pulsantia, et tensa sunt, si sitis increscit, et pulsus major, fortior, ac durior fit, tunc plerumque repetitis vicibus debet iterum sanguis mitti et anus cataplasmatibus probe foveri. Decocta emollientissima cum pauco nitro hic optime conveniunt, et brevi dolores mitigantur, praesertim si haemorrhois admittit ut simul enemata emollientia injiciantur. In dolore ingenti haemorrhoidum, nimiis vomendi conatibus, doloribus colicis et tenesmo anxio et molesto, si emollientibus non cedunt, tunc opio erit utendum. Molles et non dolentes haemorrhoidum tumores si sponte non abeunt, felicissime dispelluntur per unguentum ex unguenti nutriti drachmis tribus et unguenti de Linaria drachma una et semis compositum. Si vero adest tenesmus, et dolor dilacerans absque ulla inflammatione tunc praefertur unguentum compositum ex unguenti nutriti et Linariae ana drachmis duabus et opii puri granis tribus. Pariter in infarctu systematis venae portarum et morbis inde dependentibus; ut obstructionibus viscerum abdominalium, melancholia, mania, tympanitide; item Asthmate, colicis doloribus, Epilepsia, Apoplexia, in haematuria, in haemorrhoidibus mucosis vesicae, in mensium et lochiorum suppressione, in morbis exanthematicis chronicis ab acrimonia humorum ortis, phthysi et tuberculis in pulmone, in strumis, in panaritio; in ischuria et stranguria perinaeo 16 aut 20 hyrudines, feliciter applicantur.

Neque minus adhiberi possunt in inflammationibus topicis externis, ut carbunculo, paronichia, mammis inflammatis, in phymosi, etc. in morbis rheumaticis et arthriticis, podagra, dolore coxario, Ischiade et aliorum articulorum morbis parti affectae summo cum levamine applicantur. Ut autem exactior habeatur idea, quomodo hyrudines in tot morbis vasis haemorrhoidalibus applicatae effectum praestare possint, juvat anatomicam vasorum horum dare descriptionem. Vasa enim haemorrhoidalia interna sunt propagines venae mesentericae superioris et inferioris, quarum prior in venam portae, altera vero in venam lienalem immediate evacua-

evacuatur; externa vero haemorrhoidalia vasa hypogastricarum venarum soboles existunt; verum, cum omnia tam interna, quam externa vasa haemorrhoidalia in intestino recto infinitis propemodum anastomosibus inter se se communicare videantur, patet facile inanitas illius distinctionis, qua ab externis haemorrhoidalibus vasis tam scrupulose interna sejugamus. Duplicem quidem originem seu fontem haec vasa agnoscunt, systema nimirum venae portarum et hypogastricum: quare etiam in in - et externas venas haemorrhoidales dividuntur. Interna, etiam mesenterica minor dicta, statim ad initium venae splenicae oritur, et vix enata ad intestinum duodenum ramum emittit, tum in duos praecipue ramos dissilit, quorum superior partem superiorem intestini coli sub ventriculo sitam petit, inferior secundum intestinum rectum ad anum usque descendit, sub quo itinere ad mesocolon et mesorectum multi excurrunt rami, arcus varios formantes, ex quibus magna copia ramulorum canalem intestinalem ambientium propullulat. Externa vero ab hypogastrica interna orta, emissis variis ramis, per incisuram ischiaticam emergit, et in ramos superiores ac inferiores dissilit; qui omnes partim ad anum, partim ad partes genitales feruntur.

Venae hae sanguinem suum sugunt ex arteriis sic dictis haemorrhoidalibus, quae aeque in in - et externas dividuntur; Interna ab arteria mesenterica inferiori oritur, atque infra arterias spermaticas ex parte anteriori aortae descendentis in tres ramos abit. Superior ramus ad intestinum colon tendit, jungitur colicae dextrae, et colica sinistra audit. Medius ramus in intestino colo dispergitur. Tertius demum ramus secundum longitudinem intestini recti inferiora versus proserpit, in cujus parte inferiori dispergitur, communicatque cum arteriis hypogastricis. Externa ex ramo posteriori pudendae, quae propago arteriae hypogastricae est, originem suam trahit, per incisuram ischiaticam emergit, retro spinam ischii inter ligamentum ischiosacrum, et coccigem inferiora versus ac interne ad musculum erectorem penis tendit, ubi in varios denuo ramos secedit, quorum alii per sphincterem ani divagantur, alii in substantia spongiosa urethrae et corporibus cavernosis penis finiuntur.

Si igitur haec vasa sanguinem plorant, haemorrhoides dici solent, et communicationes arteriarum, venarumque utriusque hujus systematis efficere possunt, ut nunc potius prosiliat floridus, immediate fere ex arteria profluens sanguis, alio tempore ex venis exeat pene niger; et vice versa ex venis floridior, ex arteriis obscurior; prout est major in uno, quam altero in vase restistentia. Ut plurimum quidem venae sanguinem fundunt, nonnunquam tamen fluit directe ex arteriis ipsis sanguis haemorrhoidalis: etenim arteriolae ultimae, rorem, mucum, smegma, vaporem arteriosum, hic exhalantes, ut in utero, pulmone, et passim alibi, ita et hic possunt anastomosin pati, ut ipsos globulos rubros transmittant; aut ipsae arteriolae rubrae possunt Diapedesin, Diaeresin ac Diabrosin pati, quando sanguis a corde veniens, nimiam offendit in venis haemorrhoidalibus resistentiam; aut hyrudines ipsae, dum venis minime turgentibus, ad evacuandas haemorrhoides applicantur, aeque sauciare arterias, quam venas, possunt.

N. ph. l.	LIMACES VIVI.
N. germ.	*Schnecken , Waldschnecken.*
N. syst. L.	(Limax ater et rufus)
Partes usuales.	*Animalia integra viva.*

Sunt Animalia reptilia ad vermes mollusca pertinentia, corpore nudo, oblongo, colore atro vel rufo praedito, supra clypeo carnoso, subtus disco longitudinali plano corpus promovente, et foramine laterali dextro genitales et excrementa emittente, et supra os instructo quatuor tentaculis. Habitat in sylvis, ad vias et in locis humidis obscuris, versus vesperam reptans.

VIRES. Sunt emollientes, demulcentes, involventes, ut alia mucilaginosa.

USUS. Adhibentur in omni acrimonia involvenda, praecipue Tussi sicca et aliis morbis pectoris, in jusculo aut forma *Pastae.*

PRAEPARATUM.

PASTA LIMACINA.) *vide praeparata P. II.*

SECTIO II.

ANIMALIUM PARTES ET PRODUCTA.

I. ANIMALIUM PARTES.

§. I. *INSECTORUM.*

N. ph. l. V. ⊙	LAPIDES CANCRORUM, OCULI CANCRORUM.
N. germ.	*Krebssteine , Krebsaugen.*
N. syst. L.	(Cancer astacus.)
Partes usuales.	*Lapides cancrorum.*

Animal exsangue ex genere insectorum apterorum, pedibus sex, pluribus, duobus prioribus chelatis, oculis duobus, cauda articulata inermi gaudet, corpore cylindraceo, cauda squammata et longa, thorace levi, basi utrinque dente simplici aucta distinguitur. Duplex ejus inter nos varietas prostat, una cujus chelarum basis rufescit, *Edelkrebs*, illa in altera albescit, nec coctione colorem mutat *Steinkrebs*, haec nonnisi ab infima plebe in cibum recipitur. Vescitur insectis, amphybiis, interdum in propriam

priam gentem furit. Oculi seu lapides cancrorum sunt concrementa calcarea terrestria mucilagineis partibus mixta, figurae orbiculatae, uno latere convexae, altero planae, margine vero elevato, glabra, compagis solidae, lamellatae, coloris albi, interdum paululum rubentis; generantur in ventriculo et haerent inter utramque ventriculi tunicam, unus in utroque latere ventriculi, qui penes caput jacet, et quidem eo tempore reperiuntur, quo cancer testam veterem mutat et simul membranam interiorem ventriculi exuit, quod mense Augusti fieri solet, ubi dein per propria vasa nova testa generatur, qua iterum indurata nulli amplius lapides cancrorum inveniuntur, quia materies terrestris in iis contenta jam consumta fuit. Lapides cancrorum genuini saporem terrestrem et odorem nullum habent, linguae ac labiis non adhaerent, in aqua non solvuntur, in acido nitri vero soluti relinquunt cuticulam gelatinosam lapidum figurae praecipuae. Constant ex tredecim partibus terrestribus et binis gelatinosis animalibus; pars terrestris effervescit cum acidis. Aceto saturati, vitrioli supperaddito oleo, in destillatione dant spiritum acidum fugacissimum, nares ferientem penetrabilissimo odore l. B. v. SWIETEN com. T. I. per se autem destillati exhibent $\frac{1}{7}$ spiritus urinosi, NEUMANN. Artefacti ex terra calcarea vel argillacea et tragacantha, in aqua solubiles sunt, ponderosiores, et linguae adhaerent. Omnes factitii, compagis lamellosae, et residui gelatinosi lapidum proborum formae similis in solutione nitrosa defectu, dignoscendi. Eligendi genuini, majores, integri, leves et albi. Plurimi cancrorum lapides ex Russia, Moldavia, praecipue Astrachan, Polonia et aliis locis advehuntur, ubi cancri pistillis ligneis contunduntur, aut magnis acervis exstructi putrescunt et caro aqua abluitur, ubi dein lapides cancrorum remanent, pauci apud nos colliguntur.

VIRES. Acidum absorbentes.

USUS. In acido primarum viarum, ructu acido et ardore inde dependente; in infantibus ad evacuationem meconii, in hernia scrotali.

DOSIS. A granis quinque ad triginta exhibentur per se vel cum rheo, Eleosaccharo, saccharo, semper forma pulveris. Uncia una in libra una vini Rhenani in sarcocele ab illust. v. SWIETEN laudatur.

PRAEPARATUM.

LAPIDES CANCRORUM PRAEPARATI.) *vide praeparata P. II.*

§. II. *VERMIUM.*

N. ph. L. V. ☉	TESTAE OSTREARUM, seu OSTRACODERMATA.
N. germ.	*Austerschaalen.*
N. syst. L.	(Ostrea edulis.)
Partes usuales.	*Testae ostrearum seu ostracodermata.*

Ostrea edulis est animal ex classae vermium et genere testaceorum; domicilium calcareum bivalve, cum *testis* inaequivalvibus, semiorbiculatis, extus imbricatis, undulatis, coloris cinerei nigrescentis, intus nitidis, glabris, coloris albi; *testa* superior plana integerrima, inferior ventricosa. Oceani civis. Magnitudine et colore variat; quae ad Angliam piscantur, et illae, quae in fossis, ubi aqua marina stagnat, reperiuntur, virides evaserunt, reliquis solent praeferri. Nobilissimus ex classe Testaceorum cibus, digestu facilis est, et forte unicus.

VIRES. Absorbentes, exsiccantes, at in rudiorem pulverem contusae abstergentes.

USUS. Ad depurandos dentes mucosos sunt tutissimum dentifricium. Interne acidum absorbent in morbis ab acido ortis. Ob majorem puritatem Testae ostrearum calcinatae ad aquam calcis ostrearum parandam pro uso interno adhibentur. Haec aqua vires absorbentes interne et externe possidet, externe vero depurantes, resolventes, detergentes. Hinc in calculo vesicae et renum, in febribus intermittentibus, in cancro, in carie, ulceribus internis. Externe in ulceribus scorbuticis, oedematosis, scrophulosis, carcinomatosis, pro injectione in fistulis, scabie, tinea, gonorrhoea etiam tunc forma fomenti juxta GIRTANNER. In gangraena et sphacelo forma fomenti applicatur.

DOSIS. Hujus aquae calcis ostrearum est pro usu interno ad uncias duas vel quatuor cum lacte vel sero lactis. Externe per se aut addito opio adhibetur.

PRAEPARATA.

AQUA CALCIS OSTREARUM. OSTRACODERMATA PRAEPARATA. OSTACODERMATA RECENTER CALCINATA.	*vide praeparata P II.*

N. ph. l. V. ⊙ SPONGIA MARINA.

N. germ. *Badeschwamm, Waschschwamm, Meerschwamm.*

N. syst. L. (Spongia officinalis.)

Partes usuales. *Spongia ipsa, seu Habitaculum horum vermium.*

Spongia marina e classe vermium et genere coralliorum. Habitacula horum vermium prostant in frustis plus minusve magnis, dense foraminulatis, difformibus, communiter latere uno convexiori, altero planiori, subramosis, flexilibus, tenacibus, tomentosis, bibulis, coloris albicantis vel flavi. Eligantur spongiae albidiores levissimae, molissimae, et foraminibus exiguis et ante usum rejiciantur lapides saepissime in ipsis reperiundi, qui ex terra calcarea constant, quam aqua marina in has deposuit. Ad nos e mari mediterraneo et rubro adportantur, ubi copiose ad rupes inveniuntur. Spongia haec marina nec odorem nec saporem habet; virtus vero hujus est

est humidum absorbens. Destillatione largam quantitatem alcali volatilis fundit, in cinerem redacta, multum alcali fossilis largitur LEWIS: extracti aquosi salini, spongias redolentis $\frac{1}{8}$, spirituosi etiam salini $\frac{1}{18}$ exhibuit NEUMANN, qui etiam observavit, aquam ab ea abstractam odoram esse, eamque ab omnibus acidis dissolvi.

VIRES. Spongiae tostae sunt resolventes et exsiccantes.

USUS. Interne in struma et scrophulis scopo resolvente adhibetur. Externe spongia marina a lapillis depurata per se humectata multum intumescit, hinc obturando et dilatando agit et ad dilatanda vulnerum et ulcerum orificia, si hac dilatatione indigent, adhibetur. Haec spongia per se depurata aut potius cerata in modum agarici applicata ad sistendum ex sauciata arteria sanguinem est medicamentum agarico efficacius.

DOSIS. Spongia tosta a scrupulo uno ad drachmam unam, bis vel ter de die cum saccharo aut aliis coindicatis interne exhibetur.

PRAEPARATA.

SPONGIA MARINA CERATA.)
SPONGIA MARINA TOSTA.) *vide praeparata P. II.*

§. III. *AMPHIBIORUM.*

N. ph. l. V.	ICHTHYOCOLLA, COLLAPISCIUM.
N. germ.	*Hausenblase, Fischleim.*
N. syst. L.	(Ancipenser sturio, Ancipenser stellatus.)
Partes usuales.	*Ichthiocolla, seu vesicae natatoriae membrana interior.*

Ichthyocolla est pura mucilago animalis. Prostat sub forma massarum cylindroicarum, in spiras convolutarum, evidenter ex laminis efformatarum, digitum circiter crassarum, insigni tenacitate instructarum, saporis et odoris expertium. Genuina paratur ex vesica natatoria omnium Ancipenseris LINNAEI generum, quae recens in aqua maceratur, dein exsiccatur, aufertur membrana exterior, interior vero tunica argenteo splendore nitens, quae proprie illud gluten constituit, convolvitur et comprimitur; ut sibi invicem agglutinetur, et exficcata dein commercium intrat. HUSO LINN. viliorem, RUTHENIUS LINN. mediam, SEWRJUGA et STURIO LIN. optimam sistunt. Species vilior est gluten ex pinnis, intestinis, corio et cauda excoctum, in pelliculas deductum et postea in spiras vel alias figuras convolutum, colore flavo, et pelluciditate minore, a specie meliori discernenda. Eliguntur praecipue frusta alba, sicca, aliquo modo diaphana, quae non ex crassis membranis constant et plane nullum habent odorem; Ichthyocolla Moschcovitica seu Russica est electissima. Maximum Ichthyocollae commercium ad Fanum St. Archangeli obtinet, unde ad nos advehitur. Ex Ichthyocolla NEUMANN ultra $\frac{1}{4}$ spiritus urinosi,

nosi, $\frac{3}{8}$ olei emyreumatitici $\frac{1}{12}$ salis volatilis obtinuit. Tota in aqua, vino, spiritu vini, cerevisia et aceto dissolvitur, et cum his gluten format, ita, ut ad vitra et vasa porcellana glutinanda possit adhiberi, filis sericeis splendorem dat, vinis turbidis claritatem. Interne raro adhibetur. Tamen etiam variae gelatinae cum lacte et succis fructuum horraeorum inde confici possunt.

PRAEPARATUM.

EMPLASTRUM ANGLICANUM SEU ADHAESIVUM WODSTOOKII.) *vide praeparata P. II.*

§. IV. *AVIUM.*

N. ph. L. V. ⊙ OVA GALLINACEA.

N. germ. *Hühnereyer.*

N. syst. L. (Gallina domestica.)

Partes usuales. *Ova ipsa et horum Testis seu alcali de Rocou, Albumen et Vitellus ovorum.*

Gallina domestica seu foemina galli gallinacei et *gallus mas*; ambo primis a partu septimanis *Pulli* dicuntur. Gallina aeque ac gallus mas quarto aetatis anno effoeta evadunt; ambo rostrum conicum incurvum, tres digitos anticos, unicum posticum habent, caput paleis ornatum, pedes ad calcaneum usque plumosos: mares calcareibus distinguntur et duabus rectricibus mediis longissimis, reflexis. *Ova* gallinacea in pharmacopoliis maxime utuntur. *Testae ovorum*, *Eyerschaalen*, ovorum putamina constant ex terra calcarea miti et principio gelatinoso conglutinata; et ut ossa animalium, acidum phosphori continent. Gelatinosa materia noscitur ex eo, quod Testae igni expositae odorem spargant emyreumaticum et nigrum aquirant colorem. *Albumen ovorum*, *Eyerweis*, est humor lymphaticus pellucidus albus, in aqua frigida penitus solubilis, in calida vero et in acidis ac spiritu vini coagulatur; pullo in ovo incubato inservit pro nutrimento, album enim ovorum cum sero sanguinis humani pluribus dotibus convenit et in se habet materiam gelatinosam, quae calore incubatus mutata, intra viginti et unum dies, in sacculo colliquamenti latens vitale stamen pulli in tantam molem fecit excressere; nec tamen quis credere debet ex vitello aliquid pullo accessisse; ille enim intra pulli abdomen conclusus, intactus manet; et hoc solo pro nutrimento utitur, dum exclusus est, donec firmato rostro durioribus vesci possit. *Albumen ovorum* $\frac{7}{8}$ phlegmatis, $\frac{1}{12}$ spiritus urinosi, $\frac{1}{45}$ olei empyreumatici et $\frac{1}{12}$ salis volatilis juxta NEUMANN destillatione exhibet. *Vitellus ovorum*, *Eyergelb*, *Eyerdotter*, est humor in medio ovorum haerens, ex oleo unguinoso, lympha et aqua consistens, flavus, impellucidus, consistentiae spissioris, cum aqua frigida emulsionem generans, in aqua fervida et in spiritu vini coagulans; hinc saponem naturalem constituit.

Testae

Testae ovorum.

VIRTUS. Interne absorbens, antacida; ut lapidum cancrorum et eadem dosi adhibentur; externe in pollinem tritae exsiccant, in pulverem grossiorem comminutae abstergunt; calcinatae magis fiunt bibulae et acriores.

USUS. Externe *Pollen* ad ulcere cicatrisanda, *pulvis* ad dentifricia.

Albumen ovorum.

VIRTUS. Plastica, demulcens.

USUS. In spumam conquassatum decocta turbida clarificat; verum nisi immediate praescripta fuerit clarificatio, omittenda, sine clarificatione enim efficaciora sunt decocta; ad Pastam Althaeae adhibetur; cum spiritu vini conquassatum linimentum format in excoriatione a decubitu utile.

Vitellus ovorum.

PROPRIETAS. Oleosa, mucilaginosa.

USUS. Ad corpora resinosa et oleosa aquae miscibilia reddenda et penitus solvenda.

PRAEPARATA.

TESTAE OVORUM CALCINATAE. }
TESTAE OVORUM PRAEPARATAE. } *vide praeparata P. II*

§. V. *ANIMALIUM MAMMALIUM.*

1. *Cicurium.*

N. ph. l. V. ⊙ FEL TAURI, VESICAE BUBULAE, LAC VACCINUM, SACCHARUM LACTIS, OSSA SICCATA, BUTYRUM INSULSUM.

N. germ. *Ochsengalle, Rindergalle, Ochsenblasen, Milch, Milchzucker, trockene Ochsenbeine, ungesalzene Butter.*

N. syst. L. (Bos taurus domesticus mas et Vacca foemina.)

Partes usuales. ***Fel tauri recens, Vesicae bubulae, Lac vaccinum, Saccharum lactis, Ossa siccata, Butyrum insulsum.***

Bos taurus domesticus ex Classi animalium mammalium et genere pecorum; est Animal quadrupes, pedibus bisulcis instructum, utraque maxilla duodecim molares, inferior praeterea octo incisivos gerit; cornubus erectis, teretibus, fronte glabra, dorso non gibboso, juba mediocri à congeneribus differt. Pro varia patria magnitudine quoque boves distant; septentrionales maximi sunt; meridionales minimi, illi maxime quos Barbaria alit. Nobis optime ex Hungaria adferuntur. *Mas taurus*, *foemella vacca*, et *taurus castratus* proprie *Bos* vocatur. *Taurus* et *vacca* ad sextum aetatis mensem *Vitulus* et ad secundum aetatis annum *Iuvencus* dicitur. *Mares Tauri*,

Tauri, *Stier*, versus secundum aetatis annum puberes evadunt et ad hanc vitae periodum usque *Iuvenci* dicuntur, Taurus castratus proprie *Bos* appellatur; *foemellae vaccae*, *Kühe*, sesqui aetatis anno puberes ab Aprili ad Iulium usque Taurum admittunt, *praegnantes Hordarum*, *tragende Kühe*, nominibus veniunt, per novem menses utero gerunt, et edunt *Vitulum*, *Kalb*, qui sexta à partu septimana optimus ad cibum est; *Tauri* et *Vaccae* post nonum aetatis annum decrescunt, vix ultra quintum et decimum vitam extendunt. *Bos* utplurimum in latus sinistrum solet decumbere, hinc hujus lateris renem majorem esse, et copiosiorem pinguedinem habere observatur; triennis novos dentes et nova cornua producit, quae ultima quotannis novo circulo augentur; decennis ad usus cibarios adhibendus est et tunc granis cerealibus et radicibus alendus. Caro bovina $\frac{1}{6}$ fere gelatinae, vitulina ultra $\frac{1}{7}$, cor vituli $\frac{1}{4}$ fere, pedes ultra $\frac{1}{7}$ vehunt. Gelatina ex carne bovina et corde vitulino nunquam consistentiam siccam acquirit. GEOFFROY. *Ossa bovis* et omnium animalium constant ex acido phosphori et terra calcarea, hoc celeb. SCHEELE, GAHN et CRELL primi detexerunt. *Acidum phosphoricum* quidem etiam in regno vegetabili et minerali occurrit, tamen potissimum ex regno animali obtinetur. Nondum quidem in officinis pharmaceuticis utitur, sed multum in morbis promittit, ubi alia acida indicantur, et sal quoddam medium inde ortum jam in officinis adhibetur. Hoc acidum vitrum album diaphanum repraesentat, gravitate omnia reliqua acida superat, saporis est acidi, aqua facile solvitur, imo ex aere avidissime humidum attrahit et deliquescit, format liquorem acidum, igne validissimo calcinatorio fixum manet et acidum vitriolicum salibus alcalinis junctum abripit. Cum salibus alcalinis fixis salia media crystallisabilia constituit. Cum alcali minerali supersaturatum constituit sal medium *alcali minerale phosphoratum* seu *sodam phosphoratam* seu sal *perlatum* dictum; cum alcali volatili *sal fusibile microcosmicum*. Cum Acido vitrioli in eo convenit, quod, ut illud cum quovis phlogisto *sulphur*, ita hoc cum quovis phlogisto *sulphur lucidum* nempe *Phosphorum* constituat. Ossa ad nigredinem calcinata largam copiam acidi phosphori largiuntur. *Phosphorus Kunkelii* seu *ossium* est substantia artefacta peculiaris, multis autem in qualitatibus sulphuri analoga, destillatione sicca ex conjunctione acidi phosphori sive ossium et cum phlogisto pulverum carbonum exorta. Substantia tenax, scissilis, semipellucida, in tenebris lucens, coloris ex albo flavescentis, fracturae radiosae et nitidae, vix friabilis et communiter in baculos minores seu virgulas formata. Phosphorus äeri expositus vapores exhalat albos, odoris fortis, quodammodo alliacei et in tenebris lucentes, tandem deliquescit in acidum suum, acidum phosphori per deliquium et cum pulvere carbonum rursus in phosphorum mutandum. Aeri expositus, aqua inprimis adspersa, ope etiam frictionis fortis, praevio sine calore, inflammatur; calore 76 gradus Fahr. accedente äere libero, flammam cum crepitatione dat albam ex flavo viridescentem et fere nullo modo, nisi immersione aquosa, extinguendam; calore leni fluit; solvitur in aethere vitrioli, in oleis aethereis, inprimis in oleo caryophyllorum et in oleis expressis, quibus omnibus facultatem communicat in tenebris lucendi. In vitro bene clauso aqua destillata repleto, loco frigido asservandus, et sic servatus pelluciditatem amittit, flavescit, et albo pulverulento obducitur

cor-

cortice, aqua continens acescit et agitata in tenebris lucentem emittit fumum. Olim ex urina labore valde molesto et taedioso parabatur, nunc autem ex ossibus animalium paratur; etsi ex omnibus partibus animalium et vegetabilium corruptioni deditis acidum phosphori obtineatur, imo in regno minerali plumbum et ferrum acido phosphori mineralisatum inventum, etiam in coeruleo berolinensi nativo, imo zincum ex phosphoro constare quidam contendunt.

Fel tauri est bilis cystica, consistentiae viscosae, coloris ex flavo viridis, odoris grati, saporis intense amari; facile et penitus solvitur in aqua, solutionem largiens bruneam et limpidam, nec cum acidis nec cum alcalinis effervescentem, ab acidis, inprimis mineralibus congelatur et sedimentum deponit gelatinosum; etiam in alcohole vini perfecte solvi potest, ex qua solutione substantia gummi resinae similis fundum petit; solutionem perfectam in oleis negat et cum aloe mixta, miscelam format saporis ingrate dulcis. Recens facillime in putredinem abit, ergo ad conservationem statim inspissari et in vitro clauso servari debet. *Vesicae bubulae*, *Ochsenblasen*, *Rinderblasen*, ad vitra exactius obturanda inserviunt. *Lac vaccinum*, *Kühemilch*, est liquor albus in uberibus vaccae secretus et inde emulgendo elicitus. Lac universalem, seu in alimentis, seu in medicamentis usum ab omni tempore habuit. Notum est Lac ex triplici principio constare, *Cremore*, seu butyrosa et oleosa parte, *den Rahm*, *die Saane*, *Sero* seu aquosa parte, *die Molken*, *die Schotten*, et *Caseo* seu terrestri, et glutinosa parte *den Käs*. *Cremor* quoad maximam partem ex oleo constat in *Butyrum* efformandus, *Serum* copiosissimam aquam habet, aliquas partes oleosas et salem essentialem, qui inde sub *Sacchari lactis* nomine educitur, *Caseus* glutinosa et terrestris pars genium animalem fert. secedit Lac in dicta sua principia mora, calore, acidis, alcalinis, spiritu vini. Si semel ebulliverit, diutius sine secessione principiorum potest asservari. *Saccharum lactis* est Sal essentiale lactis animalis ex Sero lactis dulci evaporatione et crystallisatione paratum, crystallos formans parvas, prisma parallelopipedum cum extremo terminali recte angulato parallelogrammatico referentes, coloris lactescentis, semipellucidas, saporis subdulcis. Adportatur in frustis plus minusve magnis, planis, corticalibus, infra glabris, supra dictis crystallis obsessis. Saccharum lactis purissimum in octo aquae partibus omnino solubile, minime vero in alcohole vini, et ab alcalinis minime ex solutione aquosa praecipitabile, colorem succi violarum et tincturae Laccae coeruleae non varians, in vase terreo sub igne leni liquescens, odore sacchari usti, intumescens et massam largiens tenacem, bruneam, in aere primo indurescentem, postea iterum humescentem, saporis dulcioris cum amaritie, tandem carbonem relinquens ex nigro bruneum spongiosum. Solutionem nec mercurii sublimati corrosivi aquosam, nec solutiones argenti, plumbi et mercurii turbat, cum sale alcalino fixo aut calce viva tritum nullum spargens odorem urinosum, et in spiritu nitri penitus solvitur. Rejiciatur saccharum lactis coloris flavescentis, saporis aciduli, odoris pinguis, succum violarum et tincturam Laccae coeruleae rubro imbuens colore et cum alcalinis effervescens, ex sero lactis acido paratum, et in panibus conicis parvis vendibile; non crystallisatum sed farinaceum et mora temporis mucorem induens, rancescensque parte lactis caseosa corruptum. Praeterea

rejiciendum est saccharum lactis, partibus oleosis et sale communi vitiatum, colore flavo, sapore salso et praecipitandi argentum, plumbum ac mercurium ex spiritu nitri facultate dignoscendum. Adulteratio cum saccharo communi solubilitate faciliori et dulcedine majori; praecipue vero sapore dulcissimo aquae cum partibus anaticis salis pulverisati bene agitatae proditur; cum alumine vitiatum in aqua solutum, tincturam Laccae coeruleam reddit rubram et plumbum ex acido nitri praecipitat. Advehitur praeprimis ex Helvetia et Lotharingia. A pharmacopola ipso sequenti parari potest modo. Recipe Lactis recens mulcti quantum vis, coque et adde albuminum ovorum in spumam conquassatorum sufficientem quantitatem, ut Lac coaguletur sive caseus a sero separetur, serum tunc coletur et in vase figulino vitreato evaporetur leni calore ad quartae partis remanentiam, et in loco frigido ponatur; crystalli depositae auferantur et liquidum adhuc supernatans iterum ad cuticulam evaporatum, crystallisationi exponatur, qua facta liquidum residuum effundatur, et omnes crystalli bis vel ter in aqua communi solvantur, totiesque in crystallos redigantur ut puriores et albidiores obtineantur. *Butyrum insulsum*, *ungesalzene Butter*, est pars lactis pinguis, oleosa, inflammabilis, in vasis peculiaribus agitando et tundendo a partibus caseosis et aquosis separata et aqua abluta, coloris flavescentis, nitidi, odoris nullius, saporis blandi, mollis, subdulcescentis, grati, omnium pinguedinum delicatissimi; calore lenissimo fluens et omnibus qualitatibus oleorum unguinosorum blandorum conspicua. Non salitum butyrum hinc brevi rancescit; virtutem nutrientem relaxantem, obvolventem, omnium pinguedinum facillime digerendam possidet. Est commune ad cibos condimentum pingue. Cum pane butyrum majale, quod delicatissimum est, á multis comestum amatur. Exulet ex officinis butyrum non penitus caseosarum vel aquosarum partium expers, omne salitum et omne rancidum sive ingrati odoris et amaricantis saporis.

Fel tauri.

PROPRIETAS. Acidis coagulatur et separatur inde species lymphae aut pars caseosa lactis. Altera pars liquida evaporatione exsiccata resinae speciem exhibet. Saponaceum quid non invenitur in bile juxta GOLDWITZ et STRAEHL, verum alcali minerale liberum juxta RICHTER.

USUS. Interne in obstructione viscerum, debilitate primarum viarum et acido praesente. Externe in tumoribus frigidis tanquam remedium resolvens.

DOSIS. A granis quinque ad viginti forma pilulari per se aut cum gummi ammoniaco aut aliis solventibus mixtum. Tamen corruptioni subjectum, et ratione virtutis roborantis, alia similia amaricantia et roborantia illud facile supplent.

Lac.

PROPRIETAS. Coagulatur ab admixtione omnium acidorum, etiam sacchar𝐨 et albumine ovorum; et pars caseosa et oleosa separatur ab aquosa.

VIRTUS. Nutriens lactis. Seri nutriens et attenuans.

USUS. *Interne* lac in tota substantia recenter emulgendo elicitum, nondum coctum in tabe et omni extenuatione corporis. Ita et in enemate tanquam nutriens, durante usu cantharidum, si vias urinarias nimium stimulant per se aut mucilaginosis mixtum. Ingesto veneno minerali tanquam involvens ratione partium oleosarum convenit. *Externe* ad fomenta et cataplasmata emollientia et maturantia mucilaginibus mixtum. In doloribus lateris rheumaticis cum sapone. In Tinea cum camphora mixtum lac forma lavamenti. In angina suppuratoria forma gargarismatis. Cum calorem diutius conservet lac, quam aqua, adhibetur in obstructionibus periostii, artuum, qui lacti calido immerguntur, ut sensim incalescant.

Cura lactea potissimum in tabe et extenuationibus corporis adhibetur. In hoc casu lac tanquam nutriens et tanquam medicamentum utitur, et saepe optimo effectu, si aer simul ut aer alpium Helvetiae vires suas contribuit. In usu lactis tanquam cibus et tanquam medicina in primis videndum an ventriculi debilitas et digestio debilis adsit. Haec ante ejus usum roborantibus firmanda. Proclivitas ad acidum, ad obstructiones curam lacteam prohibent. In similibus casibus adhibitum diarrhoeas debilitantes aut obstructiones pertinaces causat. Lac crudum non coctum adhibeatur, etiam aqua pura aut minerali medicata conveniente miscetur. Etiam lac eligitur, quod aegro melius convenit, quam lac vaccinum: Lac enim animalium partes constitutivas quidem similes habet, verum varia proportione. Lac asininum et caprinum pauciores partes caseosas, quam lac aliorum animalium, continet. Quo plures partes caseosas lac continet, eo difficilius digeritur: eo facilius obstructiones gignit. Cura lactea diu continuanda et alia diaeta sensim et sensim iterum assuefieri debet.

Serum lactis.

Est pars aquosa lactis, in qua Sal essentiale lactis (*Saccharum lactis* dictum) solutum habetur. Praeterea plus vel minus partium caseosarum continet et huic admixtum quoque habetur acidum in separatione adhibitum. Corpora varia in separatione adhibita differentiam variam seri constituunt. *Serum lactis dulce* obtinetur communiter addito ventriculo vitulino, albumine ovorum, aut pauca copia cremoris tartari. *Serum acidum* ab addita majori copia cremoris tartari, succi citri, tamarindis, aut alumine. Etiam semina sinapi ad parandum serum adhibentur. Rite paratum serum lactis debet esse pellucidum et flavescens. Unciae sedecim lactis, uncias duodecim seri largiuntur. Drachma semis cremoris tartari ad libram unam lactis *Serum dulce* largitur: á majori copia cremoris tartari *acidum* fit.

USUS. Serum lactis *dulce* ut remedium nutriens et attenuans. *Acidum* serum ut attenuans et antiputredinosum adhibetur.

DOSIS. Unciae quatuor aut sex pro dosi exhibentur; et quotidie libra una aut duae. Miscetur etiam cum aquis mineralibus medicatis alcalinis aut succis herbarum expressis. Manna in sero lactis soluta non adhibetur ob inflationes intestinorum, quae inde non solum á Manna, quae has per se efficit et eo magis sero soluta.

Cremor lactis.

Cremor lactis est pars oleosa lactis; vel dulcis, vel acidus.

USUS. Acidus cremor in adustionibus faucium et asperae arteriae a cibis fervidis; dulcis forma lavamenti in Tinea adhibetur.

Lac ebutyratum.

Est lac partibus oleosis orbatum.

VIRES. Refrigerantes, nutrientes possidet.

USUS. In Tabescentibus et viribus exhaustis.

DOSIS. Per se ad uncias octo aut duodecim sumitur. Ob integram copiam partium caseosarum adhuc contentarum et separatis partibus oleosis non adeo nutriens, et difficilioris digestionis; quam Lac crudum.

Saccharum lactis.

VIRES. Possidet leniter solventes et demulcentes.

USUS. Adhibetur potissimum in Phthysi; in pleuritide, peripneumonia, haemophthysi cum nitro mixtum.

DOSIS. Non ad grana praescribendum, sed optime forma pulveris ad drachmam unam saepius de die, aut unciam semis in libra aquae fervidae solutum de die.

Butyrum vaccinum.

VIRES. Involventes, emollientes.

USUS. Interne ingestis venenis; externe tempore partus ad emolliendam et relaxandam vaginam uteri et ad unguenta varia.

Continet acidum pinguedinis et nullum sal alcali volatile.

PRAEPARATA.

ALCALI MINERALE PHOSPHORATUM SEU SODA PHOSPHORATA SEU SAL PERLATUM. FEL TAURI INSPISSATUM. PHOSPHORUS ANIMALIS SEU PHOSPHORUS OSSIUM. SEU PHOSPHORUS KUNKELII. SAL ACIDUM PHOSPHORI PURUM SOLIDUM. SAL ACIDUM PHOSPHORI PURUM LIQUIDUM. SOLUTIO PHOSPHORI KUNKELII, SEU OSSIUM. SAL ALCALI VOLATILE PHOSPHORATUM, SEU SAL FUSIBILE MICROCOSMICUM.	*vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ☉ AXUNGIA PORCI.
N. germ. *Schweinfett, Schweinschmalz, Schmeer.*
N. syst. L. (Sus scrofa.)
Partes usuales. *Axungia.*

Sus scrofa ex Classi animalium mammalium et genere belluarum est Animal quadrupes dentibus incisivis in utraque maxilla et pedibus bisulcis instructum; cauda pilosa, auriculis oblongis, abdomine non ad terram usque propendente distinguitur, ubique in antiquo orbe occurrit. Hispani eam demum Americae intulerunt, in regionibus meridionalibus nigra et procerior est. Nobis plerumque ex Hungaria inferiori adfertur. Mas *Verres*, *Eber*, nono mense puber evadit, dentes caninos extra os prominulos habet, triennis effoetus est, sexto aetatis mense castratur, et tunc *majalis*, *Barg*, solet dici. *Scrofa*, *Mohr*, bis de anno *porcellos*, *Ferklein*, deponit et illos plures qualibet vice, *porcelli lactantes*, qui ubera ducunt *Spanferklein* duos seu tres menses nati in cibum recipiuntur, *Scrofa* vulgo postquam quarta vice peperit evadit effoeta. Gens suilla simplici ventriculo gaudet et intestina habet illis quae in ruminantibus obtinent, multo minora, ad vigesimum usque aetatis annum solet pervenire. Vegetabili aeque ac animali victu vescitur, optime impinguatur glandibus Quercus et Fagi, sed hae lardum minus solidum gignunt. Caro suilla seu porcina, quae mediae aetatis est optima et sapida, at ob pinguedinem digestu aliquantum difficilior, chylum viscidiorem largitur, transpirationem minuit, hinc caro haec solis hominibus exercitatam vitam ducentibus conveniens cibus est. Ab omnibus fere gentibus, praeter Iudaeos et Muhametanos, quibus religio usum hujus carnis vetat, in cibum recipitur. Editur cocta, assata, frixa, salita, infumata, perfumata. *Lardum*, *Speck*, est pinguedo dura in paniculo adiposo subcutaneo haerens; si recens nutriens est, rancescens vero insalubris; ad varios cibos pingues reddendos adhibetur. *Axungia porci* seu *pinguedo suilla*, *Schweinfett*, *Schweinschmalz*, *Schmeer*, est pinguedo mollis, alba, inter viscera invenienda Ad olera lubricanda adhibetur et in pharmacia variis unguentis dat basim. Sit recens et minime rancida.

USUS. Ad unguenta et emplastra adhibetur.

PRAEPARATUM.

AXUNGIA PORCI DEPURATA.) *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. SEVUM VERVECINUM.
N. germ. *Hammeltalg, Schöpsenunslicht.*
N. syst. L. (Ovis aries.)
Partes usuales. *Sevum.*

Ovis, *Schaaf*, ex Classe animalium mammalium et genere pecorum, est Animal, quod cornubus retrorsum versis a pecoribus cicuribus reliquis differt.

Mas

Mas Aries, *Wiedder*, sesquiennis puber, octennis effoetus, ad decimum quartum annum vitam extendit, sexto aetatis anno castratur et tunc *Vervex*, *Hammel*, *Schöps*, dicitur. *Ovis annicula* puber est, duo loco cornuum tubera in fronte fert, per quinque menses utero gerit, per octo menses a partu lac fundit, octavo aetatis anno effoeta; ejus *Catuli*, *Agni*, *Lämmer.* Oves in locis siccis vitam degentes, multo meliorem carnem largiuntur, quam illi, qui humida inhabitant, antequam macello committuntur, cerealibus et leguminibus nutriri solent. *Sevum vervecinum, Hammeltalg, Hammelunslihct*, *Schöpsenunslicht*, est pinguedo solida alba inter viscera invenienda, et ad unguenta emollientia adhibetur.

PROPRIETAS. Solidum, inodorum.

USUS. Ad unguenta et Emplastra adhibetur: etiam per se in excoriatione ab equitatione aut ambulatione convenit.

PRAEPARATA.

SEVUM VERVECINUM DEPURATUM. }
UNGUENTUM POMADINUM. } *vide praeparata P. II.*

2. *Ferorum.*

N. ph. t. V. ⊙ CORNU CERVI, et SEVUM CERVINUM.

N. germ. *Hirschhorn und Hirschtalg*, *Hirschunslicht*.

N. syst. L. (Cervus elaphus.)

Partes usuales. *Cornu Cervi integrum et Rasura Cornu Cervi*, *et Sevum Cervinum.*

Cervus elaphus Animal ex classi animalium mammalium et genere pecorum dentes in inferiori maxilla octo et cornua ramosa habet. *Nobilis* LINNAEI cornubus teretibus nudis, solidis, ad latera incurvis et collo non jubato distinguitur. Septembri mense libidine agitatur et per omne hoc tempus, quod raro ultra quatuor septimanas extenditur, multum furit et validissimum odorem spirat. *Cerva*, *Hirschkuhe*, per octo menses utero gerit et Iunio mense unum *Hinnulum*, *Hirschkalb*, excludit, cujus corpus striis et maculis variegatur, accipit is sexto aetatis mense, si mas fuerit, tubera in fronte, quae si in cornua simplicia excreverunt, animal *Subulo*, *Ferula*, *Spiefshirsch*, dicitur, á tertio ad quintum vitae annum *Furcarius*, *Gabelhirsch* appellatur, septennem galli *Cerf de dix cors*, annosiorem *vieux Cerf* denominant. Ad octavum usque aetatis annum crescit, quadragesimum raro excedit, singulis annis mense Aprili cornua deponit, Augusto cuticulam, qua nova teguntur, ad arborum truncos abradit, castratus nova cornua non protrudit; ramorum, in quos cornua finduntur, numerus nihil con-

constantis habet, sed pendet á quantitate et qualitate alimenti, idem Cervus uno anno plures et altero anno pauciores habet, apud nostrates raro ultra duo et viginti occurrunt. Gens Cervina hyeme gregatim pascitur, vere juniores modo se in gréges colligunt, Cervi colles, valles, planitiem inhabitantes majores sunt, et capita magis rufa habent. Vescuntur vegetabilibus. *Cornua* una cum basi, quae ea nectit *Geweih* nomine veniunt, *cornu corpus*, *Stange*, *rami*, *Ende*, *basis* eorum *tumida*, *Rose*, dicitur. Cornuum omnis superficies *tuberculis*, *Perln*, obsidetur, majoribus ad basin, minoribus per reliquum corpus. Caro *Hinnuli* seu Cervi adhuc juvenis satis tenera et nutrititia est. At caro Cervi adulti et Cervae digestu est difficilior. Cornua ultra $\frac{1}{6}$ spiritus urinosi, $\frac{1}{13}$ fere olei empyreumatici, ultra $\frac{1}{11}$ salis volatilis fundunt. NEUMANN inde ultra $\frac{1}{11}$ spiritus urinosi, ultra $\frac{1}{18}$ olei, $\frac{1}{13}$ fere salis obtinuit, gelatinae $\frac{1}{4}$ fere. Nunc juxta nova experimenta celeberr. SCHEELE, GAHN et CRELL constat ossa et cornua animalium magnam copiam acidi phosphorici continere, et terram horum corporum esse terram acido phosphori saturatam. Si enim ossa aut cornua ad nigredinem calcinantur maximam copiam acidi phosphorici largiuntur. Terra autem ossium et cornuum igne aperto in calcem vivam converti non potest, in plurimis acidis pauca copia solvitur et cum 4 partibus salis alcalini fixi seu cineribus clavellatis fusa, vitrum diaphanum non largitur, quamprimum vero acidum phosphoricum ab hac terra separatum fuerit, minime ab alia terra calcarea differt. Ossa et cornua animalium unam tertiam partem terrae calcareae liberam continent, reliquae duae tertiae partes sunt terra calcarea acido phosphorico saturata. Praeterea acidum phosphori etiam ex urina, carne, sanguine, bile, pinguedine animalium, ex caseo, piscibus putridis etc. obtinetur; ita MARGGRAFIUS ex tritico, sinapi semine nigro et albo, ex semine nasturtii hortensis, obtinuit. Et KUNCKELIUS defendit, se ex omnibus partibus consumtioni et corruptioni detitis hoc acidum elicuisse. Etiam in regno minerali invenitur, ita cel. GAHN plumbum hoc acido mineralisatum, cel. MAYER et KLAPROTH Siderum, *Wassereisen*, tanquam calcem ferri acido phosphorico junctam declarant, ultimus etiam in coeruleo berolinensi nativo invenit. Cel. KLAPROTH etiam in minera plumbi viridi crystallisata Zshopauensi et cel. FORSTER putant acidum phosphoricum ferro junctum esse causam coloris viridis foliorum plantarum. Cel. LASSONE et WENZEL conjunctionem acidi phosphorici cum phlogisto seu *phosphorum* esse principium constitutivum Zinci. Acidum phosphoricum ab aliis acidis differt fixitate in igne, ita ut in crucibulo candens non avolet et phlogisto unitum constituat sulphur lucens seu *phosphorum*.

Cornu Cervi.

USUS. Est remedium nutriens ubi nec febris aut inclinatio humorum ad putredinem. Post febres malignas; exhaustis; in vulneribus et fracturis, quae ob defectum virium non consolidantur.

DOSIS. Unciae duae rasurae cornu Cervi in libris quatuor aquae ad remanentiam librae unius coquuntur et colantur. Additur quandoque acidum vegetabile, ut Succus citri, Berberum, aut Acetum.

Se-

Sevum Cervinum.

VIRTUS. Emolliens, relaxans, involvens.

USUS. Ad unguenta et Emplastra. Laudatur in pernionibus, in excoriatione femorum et ani ab equitatione.

PRAEPARATA.

LIQUOR CORNU CERVI SUCCINATUS.
OLEUM CORNU CERVI RECTIFICATUM SEU OLEUM ANIMALE DIPPELII.
OLEUM CORNU CERVI EMPYREUMATICUM SEU FOETIDUM.
SPIRITUS CORNU CERVI RECTIFICATUS.
SAL CORNU CERVI VOLATILE SICCUM.
SEVUM CERVINUM DEPURATUM.
SPECIES DECOCTI ALBI.
UNGUENTUM NERVINUM.

} *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ MOSCHUS NATURALIS ORIENTALIS TUNQUINIUS IN VESICIS.

N. germ. *Natürlicher Biesam, Musck aus China.*

N. syst. L. (Moschus moschiferus.)

Partes usuales. *Substantia grumosa, granulosa, unctuosa, atrofusca, vesculis in abdomine sitis inclusa in vitro exacte clauso servatur.*

Moschus Moschiferus ex classi animalium mammalium et genere pecorum est Animal quadrupes, quod é Cervino genere esse videtur; habet longitudinem trium pedem, cutis est variegata, caput Lupinum, dentes Canini duo magni ex maxilla superiore deorsum extra os exporriguntur, et infra umbilicum folliculo, marsupio seu vesica, trium pollicum longitudine et duorum latitudine instructum est, quod tamen solummodo ad unicum pollicem prominct; praeterea hoc marsupium extus est pilosum, in maribus magnitudine ovum collumbinum adaequat, et in sua cavitate nucistam continere valet, et á testiculis solummodo per membranam separatur, in foemellis vero seorsim pendet; interiore vero superficie adhuc specialem habet pelliculam, *Moschum* cingentem, in qua praeter vasa sanguifera, circa meatus moschiferi orificium complures glandulas, procul dubio ad moschi secretionem facientes invenire licet. Reperitur autem hoc Animal *Dorcas caprea* vocatum in Tartariae, Sybiriae, Chinae et Indiae sylvis ac locis montosis et vallibus. Occisis animalibus folliculi seu marsupia aut vesicae excinduntur, in quibus *Moschus, Biesam*, continetur qui in officinis in usum venit. *Moschus* est substantia unctuosa in folliculis excretoriis prope umbilicum collecta. Optima *Moschi* species in folliculis sive vesicis tenuibus, rotundis, ovum columbinum magnis, extus obsessis pilis brevibus rufis, intus membranula tene-

tenera, fusca vestitis, valde repletis adfertur et substantia est sicca, obscure rubri, rufi aut e ferrugineo nigrescentis coloris, sanguinem siccatum aemulans, perpaucis frustulis nigris intermixta, et omnis heterogeneae sive peregrinae admixtionis expers, saporis amaricantis, odoris fragrantissimi peculiaris. Genuinus et probus *Moschus* masticatus et cultro supra charta deductus nil arenosi ostendit, particulis micat resinosis et flavescit, laminae candenti impositus penitus, odore grato, evaporat, residuo tantummodo grisei cineris pauxillo, cum alcali fixo tritus odorem spargit urinosum; aqua plus solubilis quam in spiritu vini. Incolae Indiae *Moschum* in vesicis triplici modo examinant. Primo imponendo *Moschum* supra manum ex pondere ab experientia judicant an sit pondus veri aut adulterati; secundo aliquot grana eximunt ex vesica et gustant; tertio filum succo allii immersum ope aciculae per vesicam transvehunt; si filum iterum extractum nullum habeat amplius odorem alii, sed *Moschi*, est signum *Moschum* bonum esse. Aqua communis infusione ex drachma una *Moschi* grana 24 extrahit, ita, ut infusum sit fusci coloris, odoris et saporis *Moschi;* spiritus vini vero ex eadem quantitate 20 grana extrahit et format Tincturam ex flavo rubescentem, quae vero debilem odorem et saporem *Moschi*, plurimum tamen virium medicatarum possidet, ita ut gutta una hujus Tincturae librae uni aquae instillata, huic odorem fortem *Moschi* communicet. Oleum tartari per deliquium parumper *Moschum* adgreditur, Spiritus salis ammoniaci et Spiritus salis parum plus solvunt; penitus autem *Moschus* Spiritu vitrioli et Spiritu nitri solvitur, HAHNEMANN. Aether colorem flavum inde extrahit. Spiritus nitri dulcis adhuc majores vires solventes monstrat. Ab Alcohole omni sua fragrantia privatur, quod tamen non multum odoris inde recipere videtur, Aqua a *Moscho* destillatione abstracta, multum odorata evadit, secus Spiritus vini, LEWIS; celeb. GROS *de Moscho, Tübingae* 1790 *destillatione oleum essentiale ex Moscho obtinuit*. Extracti aquosi ⅜, spirituosi ⅛ largitur NEUMANN. Celeb. MOENCH et HAGEN solutionem integram *Moschi* in oleis et omnibus aliis liquidis negant, sed solummodo aliquam partem. Ceterum mirabile satis, quod ex miscela diversorum similis fragrantia oriatur: sic ex Galbano, Sagapeno, Bitumine Judaico, Opopanace mixtis observavit LEMERY *acta Parisin.* 1706. In praeparatione Salis sedativi ex Borace per sublimationem, solvendo Boracem in Aqua addito oleo vitrioli, dum Sal sedativum sublimatum ex fracta retorta exemtum fuit odor fortis *Moschi* in cubili observabatur; Sal sedativum vero in vitro bene conservatum altero die odorem penitus perdidit *vide* WEBER *physikal. chemisch. Magazin 2ter Thl. S.* 109. Celeb. MARGGRAF *script. chemic. Berol.* 1761. vidit, quod si ad drachmam unam Olei Succini drachmas tres et dimidiam Spiritus nitri fumantis sensim instillaret et miscebat, brevi tempore inde Resina orta fuerit coloris aurantii et odoris fortis *Moschi*, quae aqua bene elui debet. Vocatur haec miscela seu Resina nata *Moschus artificialis* seu *Resina Succini balsamica, künstlicher Biesam, oder balsamisches Börnsteinharz*. Haec miscela bene adhiberi potest ad examinandum Oleum Succini, quod Petroleo valde similis et difficulter ab illo distinguitur, quod Petroleum quidem etiam cum Spiritu nitri fumante odorem *Moschi* sed valde debilem largitur, constanter tamen olei adinstar huic Spiritui supernatat, quod in Oleo Succini vero non observatur. In

D non-

nonnullorum corruptione idem odor, in examine bilis jam semiputridae observavit illust. v. SWIETEN, sic etiam vidit hominem cujus axilla sinistra in calore aestivo *Moschum* oleret, dextera hoc odore libera. Aliud est exemplum Presbyteri anima foetida laborantis, et dum morbus immineret, *Moschum* spirantis. Sunt etiam pisces, qui *Moschum* spirant, ita Truttarum species saepe *Moschum* redolet. Plura vegetabilia *Moschi* odorem spirant ut praecipue *Hybiscus Abelmoschus* LINNAEI seu semina Abelmoschi, *Biesamkörner*, vide REGNUM VEGETABILE *sub seminibus.* Ita etiam *Geranium moschatum*, *Malva moschata*, *Lathyrus moschatus*, *Allium moschatum* hunc odorem spargunt. Experimenta in morbis instituere hisce praecipue granis opere pretium esset, quum haec semina *Abelmoschi* reliquis dictis fragrantia antistent et commodissime in emulsione exhiberi posse videantur. *Moschus orientalis* in vesicis ex India orientali, ex regno *Tunquin* allatus et *Sinensis* est pretiosissima species, vilior ex *Agra* et *Bengala* habetur, omnes vero tres species *Moschus orientalis* seu *Asiaticus* vocantur. *Moschus ex vesicis* strenue exulet ex officinis depravationis semper suspectus. Rejiciatur *Moschus* Moscoviticus sive Sibiricus pilis vesicae albis odoreque debiliori cognoscendus, rejiciatur et *Moschus* spurius in vesicis interna membranula fusca destitutis, sanguine sicco vel aliis partibus animalibus vitiatus, odore ingrato et empyreumatico in lamina candente residuoque carbone pauco detegendus; plumbeis particulis mixtus in cochleari super carbonibus candentibus plumbum relinquit. *Moschus tunquinius orientalis officinalis* in vitris epistomio vitreo et vesica clausis sedulo servandus.

VIRES. Stimulantes, calefacientes, ad peripheriam corporis pellentes seu ad cutim, hinc antispasmodicae et anodynae.

USUS. In febribus acutis, ubi symptomata periculosa adsunt, subsultus tendinum et singultus etc. seu *Statu nervoso* febrium dicto, sit febris acuta qualiscunque; quod autem juxta Neotericorum Febrium Theoriam omnes febres acutae sint *nervosae*, nullo habito respectu ad humores seu causam et stimulum solidorum irritabilium, aut quod febris *nervosa* sit febris sui generis, certior praxis non confirmat. Non enim, mox nervos, irritabilitatem nimiam, spirituum ataxiam, et anomalos motus accusare opportet, nervinis, narcoticisque sopiendos; nonne enim nervi amicabile quid sunt, et minime seditiosum, nisi authorem turbarum habeant, in quem inquirere omni studio necesse est, quove deturbato seditio silebit.

Hoc Neotericorum Systema Nosologicum est resuscitata *Methodicorum Secta*, quae fuit prima origo doctrinae de *Stricto* et *Laxo*, de quo postea PROSPER ALPINUS in Medicina Methodica tam operose egit, et plurima circa hanc rem apud CAELIUM AURELIANUM *Methodicorum Sectae* pariter addictum, habentur. Sed proprie *Strictum* et *Laxum* in solidis tantum partibus obtinet; nec humorum morbi ex hac doctrina facile explicari poterunt, ut postea patebit. Magnum ergo usum habet in Medicina consideratio mutuae cohaesionis in partibus firmis: nec tamen omnes morbi inde deduci poterunt ut voluerunt *Methodici* (vide Illust. v. SWIETEN *comment. T. I. §. 55 pag. 77 et seq. de morbis humorum.*). Iuxta Neotericorum hoc Systema Nosologicum, febres solummodo secundum

ex-

externa Phoenomena corporis aegroti determinantur et dividuntur nullo habito respectu ad causas, uti quidam Systema mineralogicum condere volebant, quo mineralia solummodo secundum figuram et differentias *externas* determinantur et dividuntur, quod certe prorsus inutile fuisset. Mineralogus exactus et verus naturae scrutator solis his signis *externis* corporis mineralis non contentus (etsi haec ad diagnosin horum multum lucis diffundant) *internam* mineralium naturam indagare studet et primo hac natura interna determinata, quoque signa characteristica externa considerat, quibus uno momento internam omnium similium mineralium naturam determinare scit. Ita quoque Medicus practicus et verus naturae scrutator in causam seu materiam morbi et phoenomena inde in corpore aegroto producta primo indagare debet et dein signa externa morborum, quos excitant, distinctis coloribus pingere studeat. Hinc Systema hoc Neotericorum non solum inutile videtur et nullam certam diagnosin juxta causam morbi docet, sed Junioribus Medicis confusam febrium notionem sistit et per se jam intricatam febrium naturam determinandam adhuc difficilius reddit, curatio quoque mere palliativa et non curativa erit. Ea vero febrium doctrina, quam nobis HYPPOCRATES, SYDENHAMUS, BALLONIUS, BAGLIVIUS, BOERHAAVIUS et v. SWIETEN reliquerunt, et quam plures alii, praecipue vero STOLLIUS significanter dein, lucideque expressit et auxit (vide *ejus Aphorismos de cognoscendis et curandis febribus. Vindobonae* 8. 1786. Absolutissimum de febrium doctrina opus, in quo omnia, quae a BOERHAAVII aetate ad nostra usque tempora, fida observatione stabilita sunt, mira brevitate consignantur) non ventosa loquacitate scripta, quae sub amplo verborum volumine nil solidi tenet, aut illa opinionum vertigine, qua ars nunc laborat, ubi hypothesis hypothesin trudit, sed solida haec tot saeculis confirmata doctrina ab his viris immortalibus in aeternum vera manebit et solummodo per observationum sylvam posteritati hanc ulterius explanandam reliquerunt. Praeterea convenit *Moschus* in mania à materia retropulsa. In tussi convulsiva. Ad eruptionem variolarum promovendam. In exanthematibus retropulsis aut variolis retrocedentibus. In materia arthritica ad partes internas retropulsa. In paralysi a causa rheumatica, in colica saturnina, in Hydrophobia, in morbis convulsivis in genere et etiam primis viis nondum penitus puris. Interne et externe in gangraena et sphacelo tanquam resolvens, et in enemate in Hysteria.

DOSIS. In febribus acutis praesentibus symptomatibus periculosis seu *statu nervoso* febrium dicto a granis quatuor ad triginta exhibetur. Eadem quantitas in Mania, Epilepsia et Spasmis. In Tussi convulsiva infantum usque ad grana octo. In Hydrophobia ad grana viginti. Miscetur cum Saccharo, opio, camphora in pulvere. Cum Asa foetida, valeriana, castoreo aut camphora forma pilulari.

PRAEPARATA.

TINCTURA SEU ESSENTIA MOSCHI NATURALIS.)
GLOBULI MOSCHATI.) *vide praeparata P. II.*

3. *Lacustrium.*

N. ph. l. V. AMBRA GRYSEA, seu AMBRA VERA.
N. germ. *Grauer Amber*, *Ambra.*
N. syst. L. (Physeter macrocephalus.)
Partes usuales. *Excrementa, praeternaturaliter indurata seu Ambra in vitro exacte clauso servatur.*

Physeter macrocephalus ex Classi animalium mammalium lacustrium et genere Balaenarum sive Cetorum, qui dentes in maxilla inferiore habent; totum genus Oceanum septentrionalem inhabitat, maxime inter Norwegiam et Americam. Haec autem species nempe *physeter macrocephalus* in Oceano Indico praecipue invenitur. *Ambra grysea* substantia solida, opaca, friabilis cum quadam tenacitate, verosimile in intestinis *physeteris macrocephali* producta, excrementum est hujus animalis praeternaturaliter induratum. Prostat in massis plus minusve parvis, asperis, ad tactum pinguibus, spongiosis, extus coloris grisei, brunei, flavis et nigris punctis variegati; intus *Ambra* apparet subtiliter granulosa, interdum nonnihil foliata et flavis, rubellis vel nigricantibus lineis vel punctis distincta, saepe in frustulis majoribus reperiuntur rostra Sepiae octopediae LINNAEI; trita vel calefacta gratissimum spargit odorem, saporem autem habet fere nullum, aquae supernatat, in manu calida instar cerae liquescit, aquae ebullientis calore vero ceu oleum fluit, flamma facillime accenditur et deflagrat sine cinere residuo. In aqua minime solvitur, in Alcohole vini aliquo quidem modo sed non perfecte, penitus autem in Aethere seu Naphtha vitrioli, ex qua solutione, per affusum Alcohol vini, tractu temporis ceram albam aemulans massa inodora separatur. In oleis expressis nihil, in aethereis parum solvitur. NEUMANN destillatione ex drachma una *Ambrae* 5 grana aquae, 50 grana olei, 2 grana salis acidi et granum unum terrae obtinuit. Eligatur levissima, etiam in pulverem redacta aquae innatans, suavissime odorata, laminae candenti imposita in totum avolans et acui candenti immissae nonnihil bituminosi impertiens. Invenitur praesertim mari indico prope insulas Moluccas innatans, interdum ad littora maris et adhuc in intestinis *physeteris macrocephali.*

VIRES. Analepticae, stimulantes, excitantes, et odore suavi se se commendat.

USUS. Ad nervos torpidos excitandos et ad spasmos sopiendos, sic in paralysi, insultibus epilepsiae a debilitate nervorum, palpitatione cordis, singultu, etc. adhibetur et vires *Moscho* similes, vix tamen pares exserit.

DOSIS. In substantia cum saccharo ad grana tria, quatuor. In Tinctura a guttis decem ad viginti exhibetur.

PRAEPARATA.

TINCTURA SEU ESSENTIA AMBRAE.) *vide praeparata P. II.*

N.

N. ph. l. V. ⊙ **CASTOREUM MOSCOVITICUM.**

N. germ. *Russisches Bibergeil.*

N. syst. L. (Castor fiber.)

Partes usuales. *Castoreum seu substantia tenax unguinosa in majoribus vesicis inter anum et partes genitales sitis contenta et una cum vesicis fumo exsiccata in vitro exacte clauso servatur.*

Castor fiber ex Classe animalium mammalium lacustrium et genere amphibiorum est Animal quadrupes magnitudinem fellis superans, dentibus in utraque maxilla incisoribus utrinque duobus, caninis nullis; pedibus anterioribus instar canum, quibus terram fodit, posteribus anserum pedibus consimilibus, quibus inter natandum potissimum utitur; caput non admodum dissimile est muris montani, cauda non tam piscis caudam, quam piscem integrum refert; plano compressa est et pilis in totum nudata, squamosa, quatuor circiter digitos lata, cineritii coloris, multis rugis et anfractibus, gyrisque instructa, excavata quasi.

Castores semper ad littora fluviorum specus suos aedificare solent; inveniuntur in Europa et America septentrionali et in Germania quoque nonnunquam, frequentius in Moscovia, Borussia, et Polonia occurrunt, plurimi vero in Canada capiuntur. *Castoreum* humor recens liquidus oleosus, in folliculis seu vesicis propriis juxta anum secretus; qui folliculi cum suo humore abscissi, extus lavati fumo indurantur, unde et humor exsiccatur. Hi folliculi tam in maribus quam foeminis utrinque in inguinibus inter partes genitales et anum jacent, non enim sunt testiculi, ut aliqui credidere, qui altius haerent. Hi duo folliculi majores parumper profundius siti continent in se *Castoreum*. Parumper super hos duos folliculos adhuc duo sed minores jacent, qui continent *Axungiam castorei, Bibergeilfett*, quae consistentiam unguenti habet et odorem ipso *Castoreo* multo debiliorem, ideo etiam in officinis non adhibetur.

Castoreum est substantia ex qua tam aqua, quam spiritus vini ejus principia activa extrahunt, aqua partem nauseosam et parumper amaricantem, spiritus vini pro maxima parte amaricantem extrahit; spiritus nitri dulcis proprium menstruum et maxime efficax esse videtur, etiam vinum vires optime extrahit. Desillatione aqua abstracta odorem et saporem fortem *Castorei* habet, spiritus vini inde abstractus levissime odoratus fit LEWIS. Extracti aquosi $\frac{1}{4}$ et totidem spirituosi largitur GMELIN; salem volatilem destillationis ope obtinuit FASCH, nec non cel. MODEL, qui oleum quoque, quod bitumen redolet, ex eo destillare vidit; NEUMANN $\frac{7}{8}$ Extracti aquosi et totidem spirituosi obtinuit. *Castoreum* optimum in folliculis siccis, magnis, ponderosis, gibbis, solidis, subrotundis, substantia repletis solida, nonnihil tenace, fragili, obscure fusca, in cellulis membranosis inclusa, odoris peculiaris, subnarcotici, virosi, ingrati, saporis amaricantis subacris et nauseosi. Rejiciatur *Castoreum* Canadense et Anglicum, folliculis minoribus, oblongis, corrugatis, tenuibus, odore et sapore multo debiliori dignoscendum, sic et omne inveteratum, niger-

gerrimum, odore ac sapore ferme destitutum. Caveas ab artefacto frustuloso, resinoso aut pinguedinoso et membranulis, sive cellulis membranosis destituto. Optimum ex Russia, Borussia et Polonia per Dantiscum adportatur.

VIRES. Calefacientes, anodynae.

USUS. Praecipue in paroxysmis hystericis. Etiam insultibus epilepticis hystericarum.

DOSIS. In substantia a granis decem ad drachmam semis et quidem forma pilulari per se, aut cum moscho aut Asa foedita. Tinctura vinosa efficacissima est; exhibetur a guttis quadraginta ad octuaginta. Haec etiam in enemate ad drachmas duas; per se aut aliis coindicatis admixtis adhibetur, ut Tinctura opii, Liquore cornu cervi succinato, Liquore anodyno.

PRAEPARATA.

AQUA DESTILLATA CASTOREI.
TINCTURA SEU ESSENTIA CASTOREI BALSAMICA.
TINCTURA SEU ESSENTIA CASTOREI VINOSA.
TROCHISCI DE CASTOREO.
] *vide praeparata P. II.*

II. ANIMALIUM PRODUCTA.

INSECTORUM.

N. ph. l. V. ⊙ MEL CRUDUM, MEL VIRGINEUM, CERA FLAVA, CERA ALBA.

N. germ. *Honig, Jungfernhonig, gelbes Wachs, weisses Wachs.*

N. syst. L. (Apis mellifica.)

Partes usuales. *Mel crudum, Mel virgineum, Cera flava, Cera alba.*

Apis mellifica, Arbeitsbiene, est Animal ex genere Insectorum hymenopterorum, quod ex nectariis varii generis florum, quorum succum dulcem proboscide sugit, primo ventriculo condit, inde evomit et partem pro nutritione adhibet, partim in favorum cellulas deponit, ut gens per illam anni partem, quae nullos flores excludit, penum habeat, quo vitam sustentet. Succus indolis saccharinae et fermentabilis é nectariis florum per Apes collectus *Mel, Honig*, dicitur. Pro usu interno solummodo asservandum et adhibendum *Mel virgineum, Jungfernhonig,* nulla adhibita pressione vel coctione e favis diffractis sponte vel leni calore defluum. Liquidum ast spissae consistentiae et granulosae, coloris albicantis vel dilute flavi, saporis grate dulcis, odoris suavis, facillime in aqua et in spiritu vini solubile. Omne *Mel* ex favis expressum vel excoctum, partibus cereis adhuc contaminatum, com-

communiter *Mel crudum* appellatum, spissitudine majori, colore flavo saturatiore vel bruneo, sapore ac odore minus grato, saepe empyreumatico et depuratione indigens solummodo ad usus externos permittitur. Quo albidius, granulosius et suavius *Mel*, eo melius et ideo eligendum. Rejiciatur omne *Mel* impurum, farina, communiter fabarum, vel arena adulteratum, quae fraus coctione in aqua detegitur, farina enim et arena in solutione refrigerata fundum petunt. Hoc autem certum est, quod *Mel* diversum sit ratione diversitatis plantarum unde ab apibus collectum fuit. Ita in Gallia *Mel* Narbonense, quod apes ex rore marino colligunt optimum censetur; in Borussia *Mel* Lippizense, quod ex regione Litthaviensi allatur, ubi integrae sylvae arborum Tiliae inveniuntur; praeter album colorem hoc *Mel* etiam odorem Tiliae florum habet. Hodie tamen non ulterius observatur, quod venenatum quoque *Mel* ex virulentis plantis ab apibus hauriatur; quae de talibus *Mellis* generibus venenatis tradunt, non observatione sed mera hypothesi nituntur.

Cera ab Apibus productum sebaceum e florum polline in corpore horum elaboratum et intra sex annulos corporis postici in tenerrimis laminis exsudans, quas laminas, quamdiu adhuc calidae et molles sunt incredibili celeritate antrorsum trahunt et inde favos et domicilium exstruunt et elaborant. Paratur cera ex favis, expresso prius omni *Melle*, in aqua bulliente liquatis. Haec *Cera*, nisi à junioribus apibus proveniat semper plus aut minus flava est, et odorem singularem melleum habet, vocatur *Cera citrina*, *gelbes Wachs*. Si haec cera citrina aliquoties liquata, lota, aere et radiis solis exposita fuit, quae operatio alternis vicibus saepius repetitur etiam aliis artificiis adhibitis dealbatur et perdit odorem illi singularem vocatur *Cera alba*, *weisses Wachs*. *Cera citrina* prostat in panes orbiculatos formata, recens est tenax, attamen fragilis, coloris flavi, odoris quodammodo mellei, sicca, nec pinguis nec unguinosa, in calore liquescens, in aqua, in alcohole vini, in aethere insolubilis: solvitur vero oleis unguinosis et salibus alcalinis causticis et ope ellychnii ardet; praeter has proprietates *Cera* tam *citrina* quam *alba* adhuc specificas non paucas habet; nam praeter saporem lentum, oleosum, odorem debilem non ingratum possidet, et consistens gravitatem specificam majorem, quam dum igne fluit; frigore densatur, fragilis fit et in loco fracturae metallo, quam resinosae aut gummosae vegetabilis substantiae similior est. Igne inflammabilis et volatilitatem camphorae habet. Admista cinnabari rubescit, cum viridi aeris viridescit, nigrescit cum fuligine et cum tenuissimo gummi arabici pulvere exacte mixta, saponacea fit, aquae patens; absque intermedio destillata in spiritum acidum et butyrum resolvitur, utrumque odoris penetrantis et ingrati, ipsum Butyrum cerae rectificatum saepius in oleorum fluiditatem evehitur amisso omni fere in rectificatione acido.

Cum arena, aut alio quocunque terreo corpore destillata, aquam dat primo acidulam ingratissimo nidore foetentem, et hanc dat una cum spiritu foetido, tum mutato excipulo et aucto igne *Butyrum*, quod nec summo frigore in *Ceram* amplius cogatur, BOERHAAVE, et praecedenti methodo praeparato *Butyro* semper deterius fit LEMERY *chymie*, et iterata destillatione in oleum convertatur, citissime vero cum calce *idem* ibid. Constat ergo *Cera* ex oleo, aqua, acido; sedecim *Cerae* unciae suppeditant uncias

tres

tres cum dimidia olei, duodecim cum dimidia aquae acidulae LEMERY *chymie*, et in alio experimento, dederunt *Cerae* unciae octo olei unciam unam et drachmas sex *Hist. de l'Academ. de Sciences*. 1708. Acidum ad Succini acidum accedere visum LEMERY *chymie*. Habetur hinc *Cera citrina*, quae naturalis, et *Cera alba*, quae iterata lotura ad solem albescit. *Alba* fragilior, *citrina* mollior est. *Cera citrina* eligatur in discis laete flavis, fragilis, odoris grati, saporis nullius, facile et tota deflagrans et masticata dentibus non adhaerens. Resina adulterata, solutione in alcohole vini partes resinosas extrahente et sapore dignoscitur; farina cicerum vel particulis terreis sive lapideis inquinatio, friabilitate, colore debiliori, sapore peregrino et liquatione ac colatione per manicam HIPPOCRATIS particulas peregrinas retinente proditur; sebo commixta, minori fragilitate, majori vero mollitie, odoreque malo cognoscitur. *Cera alba* sit pellucida, alba, dura, fragilis, sine sapore et odore, nec masticando dentibus adhaereat. *Cera alba* sebo adulterata noscitur, quod non sit fragilis, sed mollior et ingrati odoris. Lixivium causticum coquendo solvit sebum, et *Ceram* intactam relinquit, quae ponderata ex deficiente pondere admixti sebi detegitur.

Mel depuratum et virgineum.

VIRES. *Interne* solventes, purificantes, abstergentes. *Externe* emollientes, detergentes.

USUS. Additur Mixturis et decoctis aut electuariis. Externe ad enemata solventia, in ulceribus ad injectiones detergentes, in tumoribus ad suppurationem promovendam; ad gargarismata varia, praecipue in angina suppuratoria aut ulcere oris. Interne non convenit in debilitate primarum viarum, febribus putridis, aut acido in primis viis praesente. In vermibus et obesitate nimia convenit.

DOSIS. Interne ab uncia una ad tres per se aut cum aceto, acido vitrioli diluto, extractis amaricantibus, salibus mediis, decocto hordei, cortice peruviano, semine cinae, aut oxymelle squillitico. MEL ROSARUM externe ut MEL DEPURATUM adhibetur.

Cera flava.

PROPRIETAS. In oleosis solubilis, non autem in aqua aut spiritu vini. Si vero octo partes *Cerae* cum tribus partibus Salis alcalini miscentur aqua coquuntur etiam ab his solvitur et SAPONEM CERATUM sistit, ad lavandas manus aut instar cosmetici adhibendum.

VIRES. Relaxantes, emollientes.

USUS. Ad unguenta et emplastra et ad candelas. Interne non adhibenda *Cera*, habetur enim loco hujus OLEUM AMYGDALARUM et BUTYRUM CACAO praecipue, quia non rancescit.

PRAE-

PRAEPARATA.

CERATUM LABIALE, SEU CERATUM EX UVIS. CERATUM DEFENSIVUM SEU CEROMEL. CEREOLI EXPLORATORII. MEL DEPURATUM SEU DESPUMATUM SEU HYDROMEL. MEL ROSARUM. OXYMEL SIMPLEX. OXYMEL SQUILLITICUM. OLEUM CERAE RECTIFICATUM. UNGUENTUM SIMPLEX.	*vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. **GUMMI LACCA IN BACCULIS SEU RAMULIS.**

N. germ. *Gummilack, Stangenlack, Stocklack.*

N. syst. L. (Coccus Lacca.)

Partes usuales. *Gummi Lacca in bacculis seu ramulis.*

Ab Insecto *Coccos* dicto nascitur *Gummi Lacca*, quod in officinis in usum venit. Hoc insectum reperitur supra aliquas species arborum *Ficus Indicae* et arborem *Jujubae Indicae Ber* dictam, item supra *Croton Lacciferum* arborem Indiae orientalis. Apparent hi rami inde quasi pulvere rubro obsiti, et succi eorum tantum dispendium observatur, ut marcescant, nullum fructum ferant, et frondes decidant, vel in nigredinem spurcam vergant. Haec ipsa insecta per aves, quarum pedibus adhaerent, dum se se in ramulos iisdem foetos demittunt, in aliam arborem vicinam transferuntur. Ficus istae sauciatae lacteum succum fundunt, qui illico in viscum tenacem coagulatur, qui sub dio indurescens refert cellulas insecti Laccae. Observationibus elegantissimis cel. KERR in patria ipsa factis, evincitur insectum hoc esse ex genere *Cocci*, unde hocce insectum *Coccus Lacca* ab eo appellatur. Ex ejus descriptione magnitudinem exigui pediculi habet, ovalis, rubra, trunco annulis duodecim transversalibus notato; pedibus sex; antennis in duos vel tres pilos divergentes desinentibus; cauda bisecta. Nunquam illud eidem alatum comparuit (contra morem *Coccorum*, quorum masculi alati, foeminae apterae), et de sexu pariter nihil isti constitit; de quibus momentis ab aliis expectamus. Mense Novembri et Decembri haec insecta ex utero materno excussa primo apparent, extenduntur et obambulant in extremis ramulis succulentis arborum, unde jam proxime sequenti Januario *Gummi Lacca* stillat, quo succo haec insecta teguntur et conglutinantur cum ramis; ulteriori ejus, qui sensim fit, commeatu cellulae formantur pro quolibet *Cocco*, et post duos menses a primo adhaesionis initio cellulae omnino completae sunt, et insectum seu pediculus testudineus intumescit et informem quasi et immobilem reffert sacculum ovalem, laevem, rubrum, vitae expertem, magnitudinis coccionellae exiguae, fine obtuso emarginatum et scatentem succo grate rubro.

Mensibus Octobri et Novembri viginti vel triginta ova elliptica, vel potius totidem pediculi intra rubrum liquidum matris conspiciuntur. Hocce liquido omnino exhausto insecta tenella dorsum matris perforant et singula aufugiunt, exuviis relictis, ipsae albae istae membranae sunt, quas in vacuis cellulis Laccae ramulorum videre est. Unde ratio manifesta est foraminulorum, quae in superficie Laccae obvia sunt. Jam itaque origines istius *Laccae* cognoscuntur, quae *Lacca in ramulis* seu *bacculis*, *der Stock- oder Stangenlack*, vulgo dicitur. Est haec materies vel magis vel minus rubicunda, fere pellucida, inaequalis, nodulosa, dura, sed friabilis, incrustans ramulum quoad partem vel toto ambitu ad crassitiem lineae supraque et latitudinem aliquot pollicum, multis foraminulis pertusa, quae communionem cum cavernulis istis habent, quae in media hujus materiae parte latent. Videtur autem, quod haec insecta sauciatis his arboribus et succo exinde exundante conglutinentur cum ramis et domicilium in hoc succo conglutinato inveniant, ibidemque particulas quasdam proprii succi affundant vegetabili isti. Quo profundius rubra *Lacca* est, eo melior censetur. Pallida et perforata vilioris pretii, quippe inde Coccos ex cavernulis suis aufugisse, et colorans principium eo quoad partem deperditum, indicio est. Nec opaca et sordibus inquinata esse debet. Et haecce Lacca ita comparet, prout natura illam producit, et ex India orientali nominatim Bengalia, Pegu, Malabaria, Sumatra, ad nos transfertur. Largus quoque ejus in regni Mexicani provinciis *Cohuixchi* et *Tlahuichi* est proventus. *Lacca* haec in frustula exigua a ramulis sejuncta, *Lacca in granis*, *Körnerlack*, dicitur. Indiae incolae ex *Lacca in bacculis* seu *ramulis* duas nempe species parant. Nempe dum *Gummi Lacca á ramulis* separata ruditer contunditur, et leni calore inde ope aquae color ruber extrahitur, qui color extractus ab iis ad tingendos pannos tenuiores adhibetur vocatur talis *Lacca in granis*, *Körnerlack*. *Lacca* mox commemorata, si liquatur in placentas, ab Anglis *Lumpenlack* nominatur, quae tamen vox rarius in libris occurrit. Si *Lacca in ramulis* aqua coquitur, liquescit et aquae supernatat, colatur et inter duas tabulas marmoreas in tenuiores Laminas comprimitur vocatur tum *Gummi Lacca in Tabulis*, *Schellack* oder *Tafellack*.

Sic refert vitrum Antimonii forma et colore; Lacca haec ore voluta dura et friabilis persistit, sed liquatur igne et ardet odore grato; remota ab isto iterum indurescit, sed minori fragilitate; penitus et facile spiritu vini solvitur, quod cum *Gummi Lacca in ramulis* difficilius efficitur. *Lacca* igitur ex *ramulis* avulsa est materies vegetabilis, cui per totam massam vel maximam ejus partem particulae animales ex *Cocco* immixtae fuerunt. Ob hasce proxime dictas partes accensa nidorem aliquem spargit; masticata salivam colore purpureo tingit; aquae calidae colorem chermesinum impertit cum sedimento nigricantis pulveris: quod reliquum est odore saporeque omni destituitur. Ad resinosam et ceraceam naturam proxime accedit, quasi ex binis his partibus constans, ut tamen et rubedinis tantillum, quae animalis originis tota videtur esse, semper etiam in *Lacca in Tabulis* dicta supersit. Vim variorum menstruorum, alias efficacium, eludit. Nam *Lacca in granis* nec oleis expressis nec destillatis solvitur, vixque illa tingit. Acidis mineralibus pariter non subigitur. Nec vim solvendi eam habet mucilago gummi arabici, nec cerevisia lupulata. Solvitur autem fere inte-

gre

gre oleo tartari per deliquium; item spiritu salis ammoniaci vinoso; item spiritu vini etsi paullo lentius, qui ipse inde saporem subamarum, vel subadstringentem obtinet cum odore grato. Omnes et singulae hae solutiones mucilaginosae apparent et rubro tinctae.

Ad menstrua ejus quoque liquor terrae foliatae tartari referendus; nec non solutio Boracis aqua facta. Adjuvat solutionem combinatum alcali et alcoholis vini auxilium, scilicet ita, ut Lacca constusa in pulticulam oleo tartari per deliquium irroretur, aliquoties alternis vicibus aere libero illam liquefaciendo et exsiccando, demum alcohole vini repetitis vicibus perfundatur, donec omne solubile extractum fuerit. Operae pretium esset iterare exprimenta haec omnia cum *Lacca in Tabulis*. Solutio machina papiniana multum adjuvatur. Aperto igne destillata easdem fere partes ac Cera suppeditat, quarum modo hic olei spissi sive butyri uncias fere decem ex libra una Laccae erutas memorat (NEUMANN.) Acidum inesse etiam *Laccae in granis*, tingentibus partibus orbatae, sunt, qui sustinent, alii negant. Lacca in variis artibus longe magis inclaruit, quam medico; serico enim, Gossypio, Lanae, egregiam rubedinem seu colorem coccineum impertit pars ista Laccae, quae aqua eruitur, aliis artificiis ulterius figenda. Pigmentum istud olim exceptum fuit pastis siccis varia proportione pro diverso gradu rubedinis expetito; dein nomen transiit in alias pastas siccas vel pulveres coloratos multiplicis coloris et materiae, quorsum Lacca Florentina, Lacca in globulis, reliqu. Tingitur et eo corium colore rubro in Gallia, ut aemuletur istud Levanticum. Pictorio usui quoque inservit. Privata pigmento suo vernicis genus egregium suppeditat. Et tum quoque Cera sigillaris pro obsignandis litteris inde parari potest. Physici magni Laccam faciunt ob insignem vim electricam originariam, quae illi inest; hinc et tabulae pro Electrophoris inde fiunt commodae et hae prae reliquis cognitis corporibus aptae recipiendis figuris ex pulvere resinoso. In medicina Lacca solummodo externe adhibetur.

PRAEPARATUM.

TINCTURA SEU ESSENTIA LACCAE ALUMMINOSA.) *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ☉ GALLAE QUERCINAE TURCICAE.

N. germ. *Galläpfel*, *Gallus*.

N. syst. L. (Cynips quercus folii.)

Partes usuales. *Gallae ipsae.*

Galla est productum et domicilium insecti cujusdam *Cynipis Quercus folii* (LINN. *syst. regni animal. p.* 918. *n.* 5.) et *Cynipis Quercus inferae* L. (l. c. n. 6.) Animal ex Classe insectorum et genere hymenopterorum, quod praeter vulgarem *Quercum seu Robur L.* etiam alias species occupat; inest hisce ac tot aliis insectis ea natura, quod stirpibus congeneribus delectentur. *Quercui* autem *Cerri* cel. BERGIUS *Mat. med. p.* 739. *Pharmacop. Edinb. nov p.* 27. et CULLEN'S *Treatise of the Mat. med. Vol. I. p.* 201.

Gallis turcicis praecipue originem tribuunt. Cynipes in pluribus Quercus partibus tubercula generant, in foliis, petiolis, pedunculis, ramulis, cortice, gemma, bacca. Gallae *Quercui L.* inhaerentes, tantum non omnes ramulis insident, praegrandes sunt, exigui mali magnitudinis, sphericae, aliquot tuberculis respersae, rubentes, dum recentes sunt. Nimirum Cynips foemina aculeo caudae perforat epidermidem et ovula deponit, quae stagnationem et accumulationem succorum gignunt, simulque, dum hi sensim indurescunt, domicilium aptum larvarum et pupparum effingunt, donec hae involucro deposito forma muscae claustra foramine solventes avolent. Europaeae gallae plerumque non indurescunt et deteriores sunt, attamen atramento in commodo connubio idoneae. Praestantiores turciae ex Asia minori, nominatim Alepo, advehi solent, quae plerumque coloris coerulescentis vel nigrescentis sunt, vel grisei, superficiei inaequalis verrucosae, et exiguo pedunculo ex insertione instructae. Iuniores colorem profunde coeruleum prae se ferunt, ponderosiores, texturae firmioris et summae efficaciae. Aetate provectiores et per insectum jam egressum perforatae, intrinsecus erosae, leves, flavidae et vilioris pretii existunt. Necesse igitur est, colligere Gallas, antequam insectum illas perforaverit (*du* HAMEL *Traité des arbres Vol. 2. p.* 210.) Eligantur ideo coerulescentes vel ex glauco nigricantes, tuberculosae, ponderosae, intus nucleo fusco instructae ac nullo foraminulo perforatae; rejiciantur leves, flavae, et intus erosae. Externa seu corticalis Gallarum pars durior est et fortior, quoad virtutem, quam interna friabilis. Sapor valde acerbus et stipticus, odore nullo. Et aqua et spiritus vini extrahit particulas adstringentes, quae inspissando coadunantur, ita tamen, ut spiritus parciorem quantitatem extracti largiatur, scilicet $\frac{1}{4}$, idque magis adstringentis, aqua majorem, scilicet $\frac{1}{2}$ (NEUMANN *Chemie Vol. 2. P. 2. p.* 346.) juxta cel. KUNSEMÜLLER acidum sacchari et phosphori continent.

Aqua infusa eruitur sal griseum, acidum, cujus uncia dimidia pro solutione requirit unciam unam et dimidiam aquae fervidae, vel uncias duodecim frigidae; spiritu vini facile solvitur; igne aperto flammam facile capit; destillatione sublimatum offert, referens Sal Benzoes, ut alias dotes silentio transeam (SCHEELE *Vet. Acad. Handl.* 1786. *p.* 30. *sq. Cf.* RICHTER *in* CRELL'S *Annal.* 1787. *Vol. I. p.* 139.) *ultimus* etiam *in alio tractatu* (*über die neüern Gegenstände der Chymie. Breſslau und Hirschberg* 1791. *p.* 62.) memorat se ex saturato decocto gallarum, cui tamdiu solutionem salis alcalini fixi instillavit, donec ex albo fuscum praecipitatum non amplius appareat, materiam resinosam obtinuisse, quam *Magisterium* gallarum nominavit. Ex hoc et similibus pluribus experimentis detexit Decoctum gallum constare ex acido proprio gallarum, quod hanc materiam resinosam seu *Magisterium* gallarum solutum tenet. Vix ullum stipticum vegetabile hocce potentius exstat, quam ipsa ejus natura ex matrice, sive quercu ipsa, derivanda, nihil animalis admiscetur. Hinc in connubio vitrioli martis nigredinem profundam inducit, et vulgatissimum additamentum pro parando atramento scriptorio praebet. Compendiarius usus maxime commendat vulgare nostrum atramentum ex vitriolo martis, gallis, gummi arabico et liquido commodo, quod vulgo aqua est. Vitriolum martis aqua solutum decomponitur sensim, et ochram in fundum dimittit ea proportione,

qua

qua phlogiston ferri dispergitur. Addita autem vegetabili quadam substantia stiptica, ut gallis, quae aliquid phlogistici continent, particulae ferreae attrahuntur ab ea, et combinantur cum ea, unde nigredo. Ne vero utraque pars fundum una petat, mucilaginosum vel glutinosum seu gummi requiritur, quod aquam tam spissam reddit, ut dimittere dicta non possit; gluten enim animale putredinem et foetorem excitare posset.

Ut vero color tam profundus quam durabilis fiat, scita proportione partium opus est, scilicet gallarum uncia una et dimidia, vitrioli unica dimidia, aquae unciis viginti. Celeb. RICHTER l. c. in novo tractatu ob detectum acidum gallarum et *Magisterium* gallarum etiam aliam theoriam atramenti proponit. Nempe dum Decoctum gallarum cum solutione vitrioli martis miscetur, acidum vitrioli jungitur cum *Magisterio* gallarum, inde terra martialis libera facta cum acido gallarum unitur et praecipitatum nigrum specifica levitate donatum format. *Masgisterum* gallarum enim in hac duplici affinitate vices salis alcalini aut terrae alcalinae gerit, quod inde concluditur, quia acidum gallarum alcali junctum eadem phaenomena producit. Non minus emolumentum redundat ex miscela vitrioli martis et gallarum ad tingenda fila et texta lanea, serica, gossypina, lintea, item coria, cornua aliasque materies, ut adeo in arte tinctoria praecipuam basin pro colore nigro producendo constituat, et pro varia proportione mox niger, mox violaceus, mox brunus emergat. Praeterea Tinctura gallarum cum spiritu vini praeparata ferrum in aquis solutum detegitur. (vide *Praenoscenda inter Reagentia.*)

CLAS-

CLASSIS II. REGNUM VEGETABILE.

SECTIO I.

ARBORES ET PLANTAE INTEGRAE ET HARUM PARTES.

§. I. *RADICES.*

N. ph. l. V. ☉ RADIX ALTHAEAE.
N. germ. *Altheewurzel*, *Eibischwurzel*, *Ibisch*, *Heilkraut*.
N. syst. L. (Althaea officinalis.)
Icon. BLACKWELL Tab. 90. ZORN Pl. med. Tab. 42. Flor. Danic. Tab. 530.
Partes usuales. *Radix et Herba*, *sicca*.

Althaea officinalis; foliis simplicibus tomentosis LINN. *Spec. pl. p.* 966. Est planta perennis solo argillaceo humido in Gallia, Anglia, Belgio, Helvetia et passim Germania ut in Austria, Silesia, Saxonia, Nassovia in insulis minoribus Daniae, prope Francofurtum ad Moenum sponte crescens; etiam in hortis colitur; sic in Russia *Lavatera thuringica* LINNAEI depicta in JACQUIN *Flor. Austr. Vol.* 4. *Tab.* 311. Althaeae loco colitur subinde; qui error tanto facilius condonari potest, quum columniferae tantum non omnes, prout mucilagine blanda, quam vehunt, ita viribus conveni-
unt

unt. Aliae cognatae stirpes addi possent ex genere *Alceae*, *Malvae*, *Lavaterae*, *Hibisci*, *Sidae*, *Gossypii*, ita et filamentosa compages plures hujus familiae species eidem usui oeconomico, cui *Linum* vel *Cannabis* inserviunt, aptas reddit, modo pari modo maceratae praeparentur.

RADIX ramosa ramis longis, calamum vel digitum crassis, extus subgrisea vel flava epidermide obducta, qua privata, plerumque ergo et extus alba, in officinis occurrit; interne alba est et in fibris secundum longitudinem facile discerpi se patitur. Odore caret, gustata autem copiam mucilaginis subdulcis dimittit. Hacce ipsa quidem tota planta scatet, praecipue tamen radix. Nam radix mucilaginem ad dimidium fere ponderis erogat, folia vix ad quartam partem, flores ad quantitatem adhuc minorem. Superat mucilaginis copia radix reliquas hujus gentis plantas, quin alias mucilaginosas stirpes, earumve partes, ut *semen Cydoniorum*, *Foenu graeci*, *Lini*, *radicem Orchydis* seu *Satyrii* aliasque. Haec infusione vel potius decoctione extrahitur facile aqua, et ut aliae similes mucilagines refrigerata in materiem tremulam semipellucidam transit. Solvit ista quadruplo sui ponderis Myrrham, terendo, imo citius quam mucilago gummi arabici; solvit quoque Opopanacem eadem proportione, BUCHHOLZ; ut igitur pro commodo menstruo in resinosis corporibus subigendis agnosci debeat.

VIRES. Emollientes, involventes, mucilaginosae.

USUS. *Interne* in dysenteria, durante usu mercurialium, in morbis venereis, Tussi, ischuria, stranguria, venenis ingestis. *Externe* ad gargarismata emollientia, cataplasmata, fomenta et enemata.

DOSIS. Uncia semis in unciis octo ad remanentiam medietatis cocta. Uncia una in eadem quantitate aquae ad fomenta. Herbae duplex dosis. Interne forma decocti per se aut cum radice graminis, saponariae, lapathi acuti, liquiritiae, dulcamarae. *Externe* cum semine Lini, malva. UNGUENTUM ALTHAEAE SIMPLEX in morbis inflammatoriis tanquam emolliens et leniter anodynum applicatur; UNGUENTUM ALTHAEAE CUM THEREBINTHINA non solum emollientes sed etiam resolventes vires exserit. SPECIES PRO CATAPLASMATE EMOLLIENTES etiam ad Enemata adhiberi possunt.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

PASTA ALTHAEAE.
SPECIES PRO CATAPLASMATE EMOLLIENTES CONCISAE.
SPECIES PRO CATAPLASMATE EMOLLIENTES PULVERISATAE.
SPECIES DECOCTI ALTHAEAE SIMPLICES.
SPECIES DECOCTI ALTHAEAE COMPOSITAE.
SPECIES PRO GARGARISMATE EMOLLIENTES.
SPECIES PECTORALES DEMULCENTES.
SYRUPUS ALTHAEAE.
SYRUPUS PECTORALIS.

} *vide praeparata P. II.*

UN-

UNGUENTUM ALTHAEAE SIMPLEX.) *vide praeparata P. II.*
UNGUENTUM ALTHAEAE CUM TEREBINTHINA.)

N. ph. l. V. ⊙ RADIX ANGELICAE SATIVAE.

N. germ. *Heiligengeistwurzel*, *Brustwurzel*, *Engelwurzel*, *Angelick.*

N. syst. L. (Angelica archangelica.)

Icon. Vide ZORN Pl. med. Tab. 273. BLACWEL Tab. 496. Flor. Danie. Tab. 206.

Partes usuales. *Radix recens et sicca.*

Tempus collectionis. *Sero autumno aut initio veris et haec secundo anno effodienda.*

Angelica archangelica; foliorum impari lobato LINNAEI *Spec. pl. p.* 360. Est planta biennis, quae tamen abscissis ramis per plures annos perdurat. In Lapponia, Norwegia, Lappia, Islandia, sic et in Silesia, Austria, Bohemia, Holsatia, Nassovia, Helvetia, pyreneisque alpibus, uti et ad ripas fluviorum alpibus proximas sponte crescens, rarius alibi, etiam in hortis colitur. Cave ne substituatur radici nostrae *Radix Angelicae sylvestris* LINNAEI quae debilior et canalibus dicendis carens; *Angelica sylvestris* frequenter in locis humidis crescens ab *Archangelica* dignoscitur folio terminali minime lobato sed integro, reliquis vero foliis *Archangelicae* aequalibus, etsi magnitudinis majoris. *Angelica arhangelica* omnibus partibus aromatica et Moschum quodammodo redolens. RADIX magna, crassa, ramosa, fibras saepe polliculares emittens, extus bruna vel grisea et rugosa, intus albida, ineunte vere vulnerata fundit ex corticis interiori parte succum flavidum unctuosum, qui naturae gummi - resinosae est, et radice secundum longitudinem dissecta in canalibus exiguis flavis se prodit; odoris balsamici et in decoquendo Moschati. Saporis initio aromatici et dulcis, deinde subacris et amaricantis. Succus mox descriptus facile spiritu vini solvitur, quem ipsum colore aureo tingit. Aqua á radice profunda flavedine coloratur, etsi parum sapidi et olidi extrahat LEWIS. Destillatus inde spiritus vix odorem absumit. Destillatione ex libris 4 et unciis 14 radicis recentis decem unciae phlegmatis urinosi, librae tres et sex unciae liquoris aciduli et uncia una olei essentialis crassi obtinentur; ex residuo in retorta, drachmae tres et 54 grana salis lixiviosi alcalini solidi extractae erant. Infusum aquosum coloris dilute aurei, saporis acris balsamici parumper amari et odoris proprii radicis. Destillatione cum aqua, libra una radicis drachmam unam olei essentialis largitur. Spiritu vini ex uncia una radicis communiter drachmae duae extracti resinosi ex flavo bruni coloris, odoris aromatici et saporis acris aromatici, aqua vero drachmae tres extracti debilis odoris, saporis aromatici profunde fusci coloris extrahuntur. Aether Tincturam fusescentem extrahit.

Eligatur radix crassa, externe fusci, interne albi coloris solummodo tenax, cujus odor Moschum aemulat, admodum fragrans, et dictis canalibus praedita. Vermibus arosa, fragilis rejicienda; in taleolis allata odorem

for-

fortem habeat, non sit fragilis et multa puncta resinosa in illius textura ostendat. *Herba* et *Semen* Plantae longe minorem efficaciam habent et vires multo citius perdunt, quam *radix*, ideo haec solummodo in officinis habetur. *Radix* haec mucori et insectis obnoxia, in loco sicco servetur et saepe aeri exponatur; immersione semel facta in spiritum vini ferventem hoc periculo praevideri dicitur.

VIRES. Stimulantes, excitantes, attenuantes, sudoriferae et antiputredinosae.

USUS. In febribus putridis viribus vitalibus valde dejectis, pulsu fere naturali, subsultu tendinum; convulsionibus, exanthematibus praesentibus, petechiis aut miliaribus etc., viribus supperat exoticam Radicem contrajervae et serpentariae.

DOSIS. Forma pulveris a scrupulo uno ad drachmam semis; melius vero in infuso ab uncia semis ad unciam unam ad libram unam aquae exhibetur.

PRAEPARATUM.

TINCTURA SEU ESSENTIA ANGELICAE.) *vide praeparata P. II.*

RADIX ARI.

N. ph. l. ⊙

N. germ. *Aron, Aronwurzel, deutscher Ingwer.*

N. syst. L. (Arum maculatum.)

Icon. Vide ZORN Pl. med. Tab. 75. Flora Danica. Tab. 505. BLACKWEL Tab. 228.

Partes usuales. *Radix sicca et Herba sicca.*

Tempus collectionis *Est Mense Aprilis, quae collectio omni anno recens instituatur.*

Arum maculatum; acaule, foliis hastatis integerrimis, spadice clavato LINNAEI *Spec. pl. p.* 1370. Arum vulgare non maculatum C. B. et Arum vulgare maculatum C. B.

Est planta perennis indigena in nemoribus et umbrosis Europae temperatioris crescens. Usus varietatis utriusque idem, prout nec in *Pulmonaria* macularum ratio habetur.

RADIX recens globosa et oblonga, digitum crassa, tuberosa, fibris paucis infra instructa, epidermide subbruna, carnosa, carne alba, quae succo lacteo scatet, non valde acri, et multo mitiori, quam alter succus aquosus, qui radici pariter inest. Applicata linquae vel masticata post aliquod temporis spatium punctionis et ustionis sensum excitat, per plures horas durabilem sed pinguedinosis mitigandum. Si digitis conteritur, cutis corroditur. Sic applicata in tenella cute ejus particula vesiculam suscitat, in duriori non item. Odore caret omni. Attamen acre volatilis naturae est, nem-

pe siccando radix insigniter mitescit, quin si fortiori igne torretur, insipida fit et farinaceam naturam induit. Liberari quoque potest radix acredine sua crebriori et repetita per aquam lotione. Succus per expressionem radicis recentis elicitus Syrupum Violarum viridem reddit, et coagulum init cum acidis mineralibus.

HERBA seu FOLIA acriora sunt multo radice, quod vel sola eorum gustatio docet. Succus, qui mox ab expressione prodit fere insipidus, alter tanto acrios et viridans Violarum Syrupum. Sedimento deposito, clara ejus pars igne miti coagulatur. In radice et foliis latet pauxillum olei acris, saporis *Pimpinellae*, si olei ratio habetur. Spiritus vini optimum Ari menstruum est. Radix Ari recens conquassata repetita lotione largitur Amylum aeque mite ac ab optimo tritico, ita, ut ad finem nonnisi exsiccatione ejus opus sit. Sic et placentarum materiem aptam praebet. Gluten vero, quo inter encheiresin Amylum tegitur, collam exhibet conglutinandis variis accomodatam. Hisce experimentis enatum consilium colendi fine oeconomico plantam. Radix siccata compacta albaque est instar pastae farinaceae induratae; nisi diu servata fuerit, post aliquam gustationis moram pungit linguam eamque leviter excoriat. Nimis vetusta insipida omnino est, simulque caret omni efficacia. Ideo quovis anno *recens* colligenda et *siccata* in vitris leniter calefactis et probe clausis servetur.

VIRES. Stimulantes, incidentes, attenuantes, stomachicae.

USUS. In morbis pituitosis primarum viarum, et debilitate harum, in chlorosi, et morbis pituitosis pectoris sine febre et inflammatione, in febribus intermittentibus.

DOSIS. Forma pulveris a granis decem ad drachmam unam.

PRAEPARATA.

CONSERVA RADICIS ARI. }
PULVIS ARI COMPOSITUS SEU STOMACHICUS. } *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. RADIX ARISTOLOCHIAE ROTUNDAE.

N. germ. *Runde Osterluzeywurzel.*

N. syst. (Aristolochia rotunda.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 256. ZORN Pl. med. Tab. 125.

Partes usuales. *Radix sicca.*

Aristolochia rotunda; foliis cordatis subsessilibus obtusis, caule infirmo, floribus solitariis colore ex purpura nigro LINNAEI *Sp. pl. p.* 1364.

Est planta perennis australis Europae, nempe Hispaniae, Italiae, Galliae meridionalis et Austriae. Habetur et *Aristolochia longa* sed multo minus amara et aromatica, hinc *Aristolochia rotunda* longe efficacior in officinis servatur. *Radix aristolochiae rotundae* radicibus solani tuberosi esculenti similis subrotunda, tuberosa, crassa, crassitie trium pollicum, carnosa, fibro-

fibrosa, solida, cortice crasso fusco tecta, interne ex albo lutea, saporis aromatici, amari, acris, odoris fortis nauseosi. Eligatur ponderosa, tuberosa, rotunda, minus rugosa, non valde farinacea, odoris mox dicti. Aether Tincturam leviter flavam extrahit; infusum aquosum flavum, odoris ingrati, saporis aliquantum amari et multum acris. Infusum spirituosum colorem habet flavescentem, saporem aliquantum amarum et debilem odorem. Spiritus vini inde si destillatur, fere iners, aqua odorata et sapida, cum ipsi oleum odoratum sit immixtum. Extractum spirituosum saporem radicis retinet, aquosum nauseosum est LEWIS. Extracti aquosi Roob sambuci redolentis, subsalso amaricantis ¼, spirituosi aloen spirantis, valde amari, austeriusculi ¼ obtinuit inde CARTHEUSER.

VIRES. Calefacientes, stimulantes, solventes, emmenagogae.

USUS. In chlorosi et arthritide scopo roborante et solvente *interne*. *Externe* in carie, in fistulis et ulceribus cacoethicis forma injectionis aut fomenti laudatur.

DOSIS. *Interne* in pulvere a granis decem ad drachmam semis, vel in infuso vinoso a drachmis duabus ad unciam unam in libra vini.

N. ph. l. V. ⊙ RADIX ARMORACIAE seu RAPHANUS RUSTICANUS.

N. germ. *Meerrettig*, *Kreen*.

N. syst. L. (Cochlearia armoracia.)

Icon. Vide ZORN. Pl. med. Tab. 457. BLACKWEL Tab. 415.

Partes usuales. *Radix recens.*

Cochlearia armoracia; foliis radicalibus lanceolatis crenatis, caulinis incisis LINNAEI *Spec. pl. p.* 904.

Est planta perennis, locis humidis ad fossas, piscinas et rivulos crescens. RADIX recens fusiformis, cylindrica, brachium crassa, longa, ramosa, externe fusca, interne alba; gustata tam acris ut linguam faucesque moleste pungat, lacrymas excutiat, nares fortiter feriat, sed effectu fugaci; cuti imposita eandem rubefaciat. Odore instruitur valde volatili, stimulante et irritante. Amittit, ut commune in hac familia est, hasce dotes siccatione vel coctione. Involvitur et acrimonia ejus oleosis. Acris et volatilis ejus pars tam destillatione quam infusione aquam vel spiritum vini ingrediuntur, et una cum aqua destillando ascendit olei exiguum, sed valde acris, odori et penetrantis, quod ipsum in aqua fundum petit. Aqua destillata signa alcali volatilis contenti manifestavit, eaque plura, quo saturatior fuerit. In cella sabulo servanda est.

VIRES. *Interne* stimulantes, calefacientes, attenuantes, antiscorbuticae, diureticae. *Externe* rubefacientes, resolventes.

USUS. *Interne* in Scorbuto et Hydrope. *Externe* ad unciam semis imposita plantae pedis rubefacit revellitque. Frustum radicis in odontalgia rheumatica sedanda gingivae applicatur.

DOSIS. *Interne* ab uncia semis ad unam cerevisiae frigide infunditur et ante prandium in scorbuticis exhibetur.

N. ph. l. ⊙ RADIX ARNICAE MONTANAE BOHEMICAE, et ARNICAE ALPINAE.

N. germ. *Wolverleywurzel, Fallkrautwurzel, Luzianskrautwurzel, Mutterwurzel, Johannisblumenwurzel.*

Icon MONTANAE. Vide in OEDERI *Flor. Danic.* Tab. 63. ZORN *Pl. med.* Tab. 30.

Icon ALPINAE. Vide apud JACOBUM THEODORUM à patria TABERNEMONTANUM, *edit. quarta Basil.* 1731. fol. p. 714.

Partes usuales. *Radix et Flores, sicca.*

Tempus collectionis. *Est Mense Martio aut Aprili* RADICIS, *Mense Iunii vero* FLORUM.

Arnica montana; foliis ovatis integris caulinis latioribus, geminis oppositis LINNAEI *Spec. pl. p.* 1245.

Arnica alpina; foliis angustissimis LINNAEI; alibi in Flora Lapon. 305. *Doronicum* foliis lanceolatis vocat, alii *Caltham Alpinam* vulgo appellant.

Verae hae duae *varietates* exstant, *Arnica montana* foliis ovatis latioribus, et *Arnica Alpina* foliis angustissimis.

Arnica alpina Arnicae montanae vi superior est, docente experientia GMELINI (Flor. Sibir. T. 2. p. 153.)

Est enim Arnica, quae *montana* audit, cujus vires inprimis laudantur; promiscue tamen et *Alpinam* nonnulli crediderunt efficacem, imo nunc novis experimentis hanc efficaciorem esse constat, et cum vires enumerant, hanc nominarunt saepius. Notandum etiam nomen *Arnicae Plauensis (Act. Berolin. Dec. I. Vol. I. p. 53.)* quod, ut distingueretur a praecedenti stirpe, receptum, ast vix ultra Marchiam. Raro veram in Pharmacopoliis obtinere, sed substitui alias stirpes iterata quaerela est prout subinde Flores *Anthemis tinctoriae, Hypochaeris* maculatae et radicatae aliisque *Hicraceis* Floribus *Arnicae* substituuntur. *Arnica* vero facile inde noscitur, cum altitudinem unius et dimidii aut duorum pedum aquirat, folia habeat ovata, aut ovato-oblonga, margine levia, nervosa, ex utroque latere hirsuta, et opposita, et in apice caulium flores ferat solitarios flavos, quarum calix squammosus et brevior est, quam flores ipsi. *Conyza media* sive *Inula dysenterica* LINNAEI vel *Arnica suedensis* cujus flores interdum floribus *Arnicae* substituuntur, per inflorescentiam panniculatam, quum *Arnica* uniflora ad

ad summum bi- vel triflora est, per perianthium imbricatum cum squammis sitaceis squarrosis, quum perianthium *Arnicae* ex squammis lanceolatis, aequalibus, hirsutis consistit et per flores multo minores et hermaphroditos infundibuliformes plerumque quinquefidos distinguitur et folia *Inulae dysentericae* sunt cordato - oblonga, amplexicaulia, *Arnicae* vero ovata vel oblonga, basi libera. Flores *Inulae salicinae* LINNAEI etiam cum *floribus arnicae* confunduntur, floribus hermaphroditis infundibuliformibus, calycinis squammis angustis et patentibus et foliis lanceolatis, amplexicaulibus, recurvis, serrato - scabris distingui possunt. *Flores Hypochaereos maculatae* LINNAEI etiam pro floribus *Arnicae* surrogantur, per flores hermaphroditos ligulatos quinque dentatos, calycem subrotundum, infra ventricosum, squammis lanceolatis, acutis, nigrescentibus dignoscendi, praeterea haec planta per caulem se distinguit simplicem subnudum et folia obsolete dentata, saepissime maculata.

Arnica est planta perennis indigena in Europae frigidioris alpibus crescens e. g. Lapponicis, Austriacis, Helveticis et in collibus apricis pratensibus; ut in Westrogothia, Suecia et Hercinia. Observavit quoque prope Idriam SCOPOLI, (*Flor. Carniol. ed. prima. p. 377.*) abunde satis; in Italia crescit in monte *Baldo;* in Germania nostra inclaruit potissimum *Bohemica* et quae crescit in Variscorum territorio *Plauensi. Bohemica* fragrantior, magisque suaveolens, quam quae in Hercyniae sylvis collecta erat Copiose invenitur in omni tractu montano ac metallifero Misensi, in Marchia et omni sylva Hercyniae. Efficax etiam reperta fuit Marchica et Arnica Pomeraniae, domestica rusticorum medicina, nec non Viennensis. Est planta acris cum amaritie, et trita odorem aromaticum spargit. Fragrantior et suaveolentior visa est Bohemica, quam Hercynica.

RADIX communiter calamum scriptorium aut etiam digitum minorem crassa, inaequalis, perpendiculariter aut oblique terram perfodit et fibrillis multis deorsum tendentibus donata; externe spadicea seu ex fusco - rubescentis, intus albicantis coloris, saporis acris, amari, aromatici, odoris gravis, fortis, fragrantis, nauseosi. FLORES corollae compositae radiatae flosculi radii, longi, angustati, subaequales, patentes, tridentales, quorum singuli filamenta quinque antheris carentia et stylum unicum intra tubulum recondunt, et flosculi disci hermaphroditi, tubulosi, plerumque trifidi, parte ima papposi. Color saturate luteus, odor, inprimis dum teruntur, subbalsamicus sapor amarus, acris cum dulcedine. FLORES colliguntur mense Iunio matutino tempore, antequam sol partes volatiles extrahere et dissipare potuerit. Dein FLORES flavi collecti in cribro extensi exsiccantur, tenuiter vero in hoc ponendi, hoc est, stratum Florum in cribro positorum non sit nimis crassum, sed tenue, alias enim facile sudant et corrumpuntur. Optandum esset, ut Pharmacopoei *unam* partem florum siccatorum ita separarent, ut inferior pars paposa florum á flosculis radii luteis discerperetur, et hos flosculos luteos, á paposa parte evulsa separata, sub Nomine FLORUM ARNICAE ELECTORUM servarent.

SCHULZIUS (*in mater. med.*) dicit, arnicam á particulis salino - resinosis vim habere fere omnem, quam observatio docuit. NEUMANNUS scribit, vires a principio salino - resinoso habere, et a resinoso speciatim vomitum oriri, salinum vero principium humores solvere. ;Principium

quod-

quoddam stimulans solida, latere in planta, docent ejus effectus. FLORES abundant resina, HERBA mucilagine, RADIX volatilis partes possidet: FOLIA ovata, integra, pilosa, supra saturate viridia, infra dilute viridescentia, nervosa, saporis acris, subamari. Cel. WIEGLEB ex unciis quatuor Foliorum seu Herbae drachmam unam et grana quindecim Resinae obtinuit, cel. CARTHEUSER ex unciis duabus Foliorum aut Herbae drachmam unam et grana decem Resinae et drachmas duas et dimidiam extracti gummosi, et ex eadem quantitate Florum drachmam unam et dimidiam Resinae et drachmas duas et grana viginti extracti gummosi. Hinc Flores plus Resinae et Folia seu Herba plus extracti gummosi continent. Cel. HEYER (in CRELL *chym. Journal 3. Thl. p.* 100.) destillatione aquosa aliquam quantitatem olei essentialis coerulei chamomillae oleo similis obtinuit. RADIX ARNICAE coctionem nonnisi levissimam admittit, quam tamen ejusdem FLORES sat productam requirunt, ut idcirco á radicis decocto fortiori, diuturniori tempore parati aut ejus Extracti speres nihil, quo tamen utroque modo Flores prosunt, STOLL. Tam RADIX, quam FLORES in vitro probe clauso serventur.

VIRES. RADICIS emeticae. FLORUM stimulantes, potenter resolventes, cardialgicae, subemeticae.

USUS. Florum *interne* in Febribus putridis pituitosis, soporosis, ubi major humorum lentor esse solet et quae minus tumultuarie decurrunt et quae in longius tempus protrahuntur, in febribus verminosis, in intermittentibus pituitosis protractis, absente viscerum obstructione, et absente plethora et facta primarum viarum evacuatione. Tussi convulsiva stomachica, Epilepsia, maxillae Tetano et aliis morbis convulsivis consensualiter ex primis viis ortis. In rheumatismo et paralysi. In cerebri et aliorum viscerum commotione, unde Panacea lapsorum dicitur. *Externe* in paralysi, locis contusis, sugillatis, fractis, resolvens et antiputredinosum fomentum ex floribus decoctis paratur.

DOSIS. RADICIS rarus usus a granis quinque ad decem forma pulveris. FLORUM vero pulvis forma Electuarii cum Syrupo corticum aurantiorum ita exhibetur, ut aeger quotidie bis vel quater copiat, quantum nux moschata aequat et hac forma optimos vidi effectus, nunquam vero in decocto.

PRAEPARATUM.

EXTRACTUM FLORUM ARNICAE.) *vide praeparata P. II.*

N.

N. ph. l. ⊙ RADIX ASARI.

N. germ. *Haselwurz, Mausohr, wilder Nardus.*

N. syst. L. (Asarum Europaeum.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 383. ZORN Pl. med. Tab. 74. *Flor. Danic.* Tab. 633.

Partes usuales. *Radix et Folia, sicca.*

Tempus collectionis. *Radix colligitur Mense Martio dum folia progerminant. Tunc enim efficacissima est, si vero serius effoditur virtutem emeticam fere penitus perdidit; hinc tempore mox dicto colligenda, umbra siccatur et in vitro clauso conservatur, si dein in pulverem redigenda erit, antea leniter iterum siccatur.*

Asarum Europaeum; foliis reniformibus obtusis binis LINNAEI *Sp. pl. p.* 633.

Est planta indigena perennis vulgaris in sylvis uliginosis, umbrosis, montosis, praesertim in coryletis crescens. Etiam ex Oriente adfertur, de cujus efficacia vero certi esse non possumus. RADIX tenuis, repens, articulata, incurvata, multis fibrillis obsessa, quae fibrillae proprie radices sunt, coloris externe grisei vel bruni, interne ex albo flavescentis, saporis acris, aromatici, amaricantis, nauseosi, odoris gravis, fragrantis, subaromatici ex Nardo Celtica et Valeriana fere mixti, siccatione utriusque debilitati. Supra dictis cautelis in collectione et siccatione observatis semper haec radix erit emeticum certum et tutum indigenum, quod jam illustr. á LINNE *Ipecacuanchae* exoticae substituendum suasit, et quod hanc exoticam superfluam reddet. In pulvere á granis decem ad scrupulum unum, duo, certissime emesin excitat, Tinctura spirituosa et infusum vinosum frigide paratum non minus efficax; infusum calidum aquosum et magis adhuc decoctum radicis vires emeticas penitus amisit, mutantur vero tum istae vires in diureticam, diaphoreticam, et emmenagogam. FOLIA reniformia, obtusa, bina, longe petiolata, coriacea, venosa, superne profundius viridia et nitida, infra dilutius et in junioribus lanata.

PRAEPARATUM.

PULVIS STERNUTATORIUS.) *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ☉ RADIX BARDANAE.

N. germ. *Klettenwurzel, Groſsdeckenkrautwurzel.*

N. syst. L. (Arctium Lappa.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 117. ZORN Pl. med. Tab. 387.

Partes usuales. *Radix sicca.*

Tempus collectionis. *Est Mense Majo.*

Arctium Lappa; foliis cordatis inermibus petiolatis LINNAEI *Sp. pl. p.* 1143. Flores compositos tubulosos habet, calice, ex squammis, apice reflexo hamatis, imbricato sustentatos, thalamo setaceo inhaerentes, semina striata, brevi pappo sustentata.

Est planta biennis idigena, crescit in omni Europa; ad vias et locis ruderatis frequens. RADIX perpendicularis, crassa, simplex, longa, recta, extus cortice nigricante vestita, intus alba, spongiosa; saporis subdulcis, subamari austeri. Rejiciatur vetusta et lignosa. Extractum aquosum aeque ac spirituosum levi dulcedine gaudent, cum admixta amaritie et levi salsedine LEWIS. Extracti aquosi fere ¼, spirituosi ¼, circiter NEUMANN obtinuit, illius ultra ⅓, hujus ⅓ circiter CARTHEUSER.

VIRES. Mundificantes, diureticae, diaphoreticae.

USUS. In tumoribus arthriticis, rheumaticis, ulceribus crurum antiquis, in morbis venereis, in sabulo renum et vesicae.

DOSIS. Uncia una radicis cum libra aquae coquitur ad remanentiam unciarum octo.

N. ph. l. Radix Belladonnae, seu Solani furiosi.

N. germ. *Belladonnawurzel, Tollkirschenwurzel, Teufelsbeerwurzel, Nachtschattenwurzel.*

N. syst. L. (Atropa belladonna.)

Icon. Vide MILLER'S Figures Tab. 62. BLACKWEL *Hist. Stirp.* Cent. VI. Tab. 564. ZORN Pl. med. Tab. 21.

Partes usuales. *Radix recens et sicca; Folia recentia et sicca.*

Tempus collectionis. *Est Mense Martio* RADICIS, *et Aprili* FOLIORUM.

Atropa belladonna; Caule herbaceo, foliis ovato-lanceolatis integerrimis LINN. *Sp. pl. p.* 260.

Est

Est planta perennis crescens in sylvis caeduis, juxta parietes et sepimenta agrorum, aliisque perinde parum cultis ac desertis locis umbrosis et in locis paludosis, Austriae, Helvetiae, Italiae, Angliae. Ex stirpibus, veneno narcotico deleteriis ferme primaria. RADIX longa, crassa, in plures ramos divisa glabros sparsim fibrosos, extus e flavo fusca sive grisea, intus succosa alba, recens odoris pastinacei ingrati, saporis dulcis subadstringentis. FOLIA ovato-lanceolata, tenuia, plus vel minus magna, integerrima, juniora villosa, adultiora nuda, cum petiolo brevi, superne saturatius viridia, subtus pallidiora et pilosa, saporis et odoris ferme oleracei. Ob vim deleteriam separate siccanda, et RADIX et FOLIA in vitro clauso serventur.

Analysi chymica, ex herbae floridae et jam fructiferae libr. v per vaporarium destillatis, prodierunt humoris limpidi, odoris et saporis herbacei cum acrimonia levi, qui nullam aut acidi aut alcali notam praebuit libr. ij, et unc. xiij, humoris limpidi obscure acidi libr. j, unc. x et gr. v. Ex massa sicca in alembico residua per retortam destillata prodierunt humoris tum acidi tum alcali urinosi unc. iij dr. v, gr. xij. Olei spissi butyracei unc. ij, dr. v et gr. x. Massa nigra in retorta superstes pendebat unc. v, dr. i, gr. xviij, quae in crucibulo per 12 horas calcinata relinquit cinerum fuscorum unc. ij, dr. i et gr. xvj, ex quibus Salis fixi mere alcali unc. i, gr. xix lixivio extracta sunt. Partium jactura in destillatione fuit unc. xviij, dr. iij, gr. x, in calcinatione unc. ij, dr. vij, gr. xxiv. Per hanc analysin patet Belladonnam mediocri salis essentialis tartarei quantitate donari, et multo oleo acri et narcotico admixto.

VIRES. Narcoticae, antispasmodicae, sudoriferae.

USUS. In morsu canis rabidi specifice, in cancro, convulsionibus.

DOSIS. RADIX forma pulveris infantibus ab uno ad quatuor annos granum unum aut tria: a quatuor ad sex annos ad grana quinque; adultioribus ad grana quindecim in Hydrophobia aut morsu canis rabidi exhibetur. In cancro FOLIA eadem forma a grano uno ad quatuor infantibus. Adultis à tredecim ad sedecim grana. Quandoque cum rheo miscetur. EXTRACTUM HERBAE BELLADONNAE a grano semis ad unum semel aut bis de die cum saccharo in morbis convulsivis exhibetur.

PRAEPARATUM.

EXTRACTUM HERBAE BELLADONNAE.) *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. ⊙ RADIX BISTORTAE.

N. germ. *Natterwurzel, Schlangenwurzel, Schlippen oder Krebswurzel.*

N. syst. L. (Polygonum bistorta.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 254. ZORN Pl. med. Tab. 92. Flora Danic. Tab. 421.

Partes usuales. *Radix sicca.*

Polygonum bistorta; caule simplicissimo monostachyo, foliis ovatis in petiolum decurrentibus LINN. *Sp. pl.* p. 516.

Est planta perennis in montosis et pratis humidis Germaniae ut Austriae, Hercyniae, Weisneri, Hassiae, item Galliae crescens. In Helvetia et Anglia occupat prata humida. RADIX digitum crassa, compressa, inflexa sive geniculata. rugis annularibus cincta et multis fibrillis obsessa, extrinsecus fusca vel ex spadiceo nigricans, intus primo rubelli postea aurantii coloris; saporis intense austeri, odoris nullius. Solutionem vitrioli martis nigram reddit. Lac et serum sanguinis coagulat, et corium densat. Tam aqua quam spiritus vini recipit adstingentem ejus naturam et inspissatis hisce menstruis extracta emergunt valde stiptica.

VIRES. Adstringentes.

USUS. Ad dentifricia et in decocto ad dentes firmandos; in vulneribus et ulceribus; in febribus intermittentibus et diarrhoeis chronicis habitualibus juxta CULLEN et MOENCH.

DOSIS. In intermittentibus per se forma pulveris a granis triginta ad quadraginta vel additis aliis amaricantibus. In diarrhoea eadem forma a granis quinque ad decem per se aut cum gummi arabico.

N. ph. l. V. ⊙ RADIX CALAMI AROMATICI.

N. germ. *Kalmus, gute Ackerwurzel.*

N. syst. L. (Acorus Calamus.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 466. ZORN Pl. med. Tab. 207.

Partes usuales. *Radix sicca.*

Acorus Calamus; spadice amentaceo, flores hexapetalos, isanteres, monogynos, in caspulas triangulares abeuntes gerens LINN. *Sp. pl.* p. 462.

Est planta perennis, in fossis, aquis stagnantibus piscinis Europae creber. RADIX longa, subcompressa, geniculata, digitum circiter crassa, recens extrinsecus coloris è bruno subviridis, siccata cicatriculis numerosis ex resectis fibrillis deorsum notata, coloris pallide bruni, intus ex albo rubelli et spongiosa, saporis aromatici, pungentis, calidi, amaricantis, odoris grati balsamici, fragrantis. Aqua amaras partes optime extrahit, spiritus vini aromaticas. Destillatione cum aqua obtinetur aqua fragrans, un-

unaque tantillum olei, scilicet ex radicis libris quinquaginta, olei uncias duas elicuit HOFFMANNUS (*Observat. chym.* p. 8. ex libra autem radicis una, olei drachmam unam, vel scrupulos duos NEUMANNUS (*Chym. Vol. 2. P. I.* p. 272.) et CARTHEUSER (*Mat. med.* T. 2. p. 79.); quod remanet post destillationem nauseose amarum est. Extracti spirituosi multum aromatici $\frac{1}{8}$, Extracti aquosi fere inertis $\frac{1}{4}$ largitur NEUMANNUS. Inter indigena aromata palmam facile sensu, quem linguae imprimit, et vi reliquis praeripit. FOLIA ipsa grate odora, unde facile evitari potest confusio Rhizotomorum cum *Iride Pseudacoro*, quae et olim invaluit.

VIRES. Calefacientes, stimulantes, incidentes, stomachicae.

USUS. *Interne* in digestione vitiata a debilitate ventriculi, absente plethora in intermittentibus, chlorosi. *Externe* in carie per se aut cum sabina.

DOSIS. *Interne* à granis decem ad viginti forma pulveris. In infuso vinoso à drachmis duabus ad unciam semis in libra vini.

PRAEPARATUM.

EXTRACTUM CALAMI AROMATICI GUMOSO - RESINOSUM.) *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ☉ RADIX CARICIS ARENARIAE seu SARSAPARILLAE GERMANICAE.

N. germ. *Sandriedgraswurzel, grosse Pühdenwurzel, Eiserpühdenwurzel, deutsche Sarsaparillwurzel.*

N. syst. L. (Carex arenaria.)

Partes usuales. *Radix sicca.*

Carex arenaria; spica composita spiculis androgynis, inferioribus remotioribus foliolo longiori instructis, culmo triquetro LINN. *Sp. pl.* p. 1381.

Est stirps perennis in arena mobili sterilissima, quam egregie firmat, crescens, et quidem in Suecia, Dania, Anglia, Belgio, Marchia Brandenburgica, Holsatia aliisque Germaniae regionibus. Caveas ne cum radice *Caricis hirtae* LINNAEI commutetur, quae non solum in nodis articulorum sed etiam in articulis ipsis fibrosa est, et odore balsamico carens. RADIX *Caricis arenariae* longa est, recta, vix ramosa, crassitie pennae columbinae et etiam crassior, lignosa, articulata, in nodis articulorum fibrosa, in articulis ipsis vero glabra, extus subbruna, intus alba, recens odoris balsamici resinosi, guajacini, saporis amaricantis resinosi balsamici. Quo profundius effoditur eo efficacior censenda.

In Analysi chemica radicis caricis arenariae novissime desudavit cel. MERZ (*Dissert. de Caricibus quibusdam medicinalibus Sarsaparillae succedaneis Erlangae* 1784. *p.* 9. *sqq*) et detexit sequentia. Contusione et maceratione ejus cum aqua frigida obtinetur amyli s. foeculae albicantis $\frac{1}{8}$. Ma-

 teria

teria saccharina, nisi omnino desit huic radici, aegre tamen separatur; aqua destillata nihil odori vel sapidi manifestat. Uncia radicis una extracti aquosi, dulcis, levissime adstringentis, drachmam unam semis et grana quindecim erogat; alio experimento paulo minus elicitum, scilicet ex unciis radicis quatuor, extracti hujus drachmae sex cum dimidia. Extracti vero spirituosi primi drachma dimidia cum granis septendecim ex uncia radicis evocata; vel paulo minus, scilicet extracti hujus drachmae duae et scrupulus unus ex unciis radicis quatuor. Extracta haecce dulcedinem cum miti adstrictionis sensu linguae imprimunt, spirituosum insuper amaritiem levem, utrumque autem odorem guajacinum spirat. *Sarsaparilla* manifeste plus mucilaginis ac terrearum partium continet, quam *carex arenaria*, et haec ob saporem et odorem guajacinum extractorum natura proxime ad Guajacum accedere videtur; tamen ratione virtutum conveniunt, nam ratione saponaceae indolis Decoctum radicis *caricis arenariae* pariter maculas pinguedinosas sub spuma multa eluit, ut illud *Sarsaparillae*. Cum his binis convenit quoque Radix *saponariae rubrae*, quae praeterea majori copia apud nos invenitur.

VIRES. Similes cum pretiosa *Sarsaparilla exotica* vires in morbis venereis exserit.

USUS. In morbis venereis.

DOSIS. Unciae duae radicis in libris duabus aquae ad remanentiam librae unius et semis coquantur.

N. ph. l. V. ⊙ RADIX CARYOPHILLATAE.

N. germ. *Nelkenwurzel, Benediktenwurzel, Merzwurzel.*

N. syst. L. (Geum Urbanum.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 255. *Flor. Danic.* Tab. 672. ZORN *Pl. med.* Tab. 221.

Partes usuales. *Radix sicca.*

Tempus collectionis. *Tempore verno ex solo sicco effodienda radix simulac herba progerminat, et leni lentoque calore, optime in umbra siccanda et in vitris clausis servanda.*

Geum urbanum; floribus erectis, fructibus globosis villosis, aristis uncinatis nudis, foliis lyratis LINNAEI. *Sp. pl. p.* 716.

Est planta perennis, vulgatissima in umbrosis ad sepes, et in collibus sylvaticis crescens. RADIX; dum aetate paulo provectior est, constat ex brevi trunculo oblongo calamum crasso, ex quo plures fibrae longae fusiformes sparguntur, extrinsecus subfuscae, intus ex albo rubellae sive flavescentes. Recens odoris aromatici ad Caryophillaceum accedentis, saporis similis austeri et amari; incaute siccata aromate suo utplurimum privata est. Fibrillae minime rejiciendae, minus enim sunt lignosae et plus aromatis spargunt

gunt trunco. Radix contrita pulverem pallide rubellum sistit. Aquam vel Spiritum vini colore obscure rubro tingit. Aromaticam partem optime spiritus vini extrahit. Destillatione per aquam facta pauxillum concrementi albidi oleosi evolvitur (LEWIS *Mat. med.* p. 190.) et aqua ipsa, quae transit, fragrans est. Iuxta cel. ANJOU (*in Diss. de radice Caryophil. Götting.* 1783.) extracti resinosi seu spirituosi ¼ odoris aromatici largitur, extracti vero aquosi tertia parte minus; secundum cel. LEWIS l. c. ¼ extracti aquosi inodori, saporis adstringentis. Cerevisia radice fragrantior fit et ab acore munitur LINN. *Flo. suec. n.* 460.) Vi antiseptica corticem peruvianum, saltim secundum experimenta carnibus instituta, superat (BUCHHAVE *Observat. circa rad. gei urb.* 1781. *p.* 121 *et sqq.*)

VIRES. Roborantes, adstringentes, calefacientes.

USUS. In febribus intermittentibus, in diarrhoea et dysenteria à laxitate; in defectu mensium a laxitate, in chlorosi et çachexia. Plethoricis non convenit.

DOSIS. Forma pulveris ad drachmam unam; forma decocti uncia una cum unciis sedecim aquae ad remanentiam unciarum octo coquitur. Pulvis dosi dicta quater de die et decoctum omni hora aut secunda hora ad cochlearia duo exhibetur.

N. ph. l. ⊙ RADIX CHELIDONII MAJORIS.

N. germ. *Grosse Schöllkrautwurzel, Schwalbenkrautwurzel.*

N. syst. L. (Chelidonium majus.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 91. ZORN Pl. med. Tab. 22. *Flor. Danic.* Tab. 542.

Partes usuales. *Radix et Herba*; *recentia et sicca.*

Chelidonium majus; pedunculis umbellatis LINN. *Sp. pl. p.* 723.

Est planta perennis, in locis ruderatis et ad sepes copiosissima. Odor totius stirpis recentis ingrate gravis, praecipue radicis, quae eo refert mucorem septicum. Insidet plantae amarities, cum acrimonia juncta, tenax, ut à contrectantibus digitis lotione difficile abstergatur. RADIX ramosa, digitum et ultra crassa, multis longis fibrillis stipata; dum recens extus ex fusco rubicunda, siccatione autem nigrescens, saporis acris, amaricantis, odoris ingrati. Recens succo croceo acri turget. FOLIA alternatim pinnata cum impari, inaequaliter crenata, folio terminali majori, foliis quercuum similia, tenuia et mollia, coloris ex flavo dilute viridia, saporis amari et acris, odoris ingrati gravis. Recentia succo scatent croceo acri.

VIRES. *Interne* solventes, stimulantes, attenuantes, diureticae et diaphoreticae. *Externe* antiputredinosae, abstergentes, anticancrosae.

USUS. *Interne* in morbis Corneae et obstructionibus viscerum et glandularum infarctu, ictero, et hydrope forma extracti exhibetur. *Externe* succus ad

ad verrucas et herpetem; MEL CHELIDONII ad ulcera sordida laudatur. Huc pertinent pulcherrima observata celeb. nunc bea. D. ALEX. MAYR Medici Viennensis, Patris mei, qui in Nosocomio magnae domus pauperum et magnae domus militum invalidorum Viennae plurima tentamina felicia fecit cum radicis exsiccatae pulvere in cancro nervoso et occulto faciei, ulceribus cancrosis in cantho interno oculi ad nasum usque extensis; Cancro mammarum aperto et ichore inde in bonum pus converso; in ulceribus cancrosis ad canthum oculi internum vero, quae in integrum consolidata, antea ad omnia medicamina rebellia, viderunt ibi plures egregium effectum et testis ocularis fuit filius quoque, Author hujus Dispensatorii CHRISTO. MAYR, qui in Nosocomio militari Viennae eadem experimenta cum radice Chelidonii majoris repetiit et una cum celeb. ejusdem Nosocomii tunc temporis status militaris Chirurgo supremo D. ODENKIRCHEN egregium effectum hujus radicis in ulceribus cancrosis ad omnia cognita medicamenta rebellibus observavit. Methodus autem, qua haec radix applicata fuit, sequens formula erat.

℞ pulveris radicis Chelidonii majoris et radicis Gentianae rubrae singulorum drachmas duas, pulveris corticis peruviani unciam semis, Unguenti Elemi quantum satis, misceantur, fiat consistentia unguenti. Hinc cum effectus, et virtutes hujus radicis antea nondum Typis publicatae fuerint, optandum esset, ut plures Medici et Chirurgi in similibus casibus eosdem effectus salutares per repetita experimenta confirmarent. In similibus enim morbis plerumque incurabilibus plura medicamina efficacia a Medicis et Chirurgis adhuc desiderantur.

PRAEPARATUM.

EXTRACTUM RADICIS CHELIDONII MAJORIS.) *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ RADIX CICHORII SYLVESTRIS.

N. germ. *Wilde Hindläuft, Zichorie, Wegwartwurzel.*

N. syst. L. (Cichorium Intybus.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 183. ZORN Pl. med. Tab. 37.

Partes usuales. *Radix et Herba, recentia et sicca.*

Tempus collectionis. *Tempore verno Mense Aprili pharmacopola sponte crescentem radicem colligat, spernatque in hortis cultam. Rejicitur vero radix lignosa et ingrate amara.*

Cichorium Intybus; floribus geminis sessilibus, foliis runcinatis LINNAEI *Sp. pl. p.* 1142. Cichorium sylvestre seu officinarum.

Est planta biennis ubivis in apricis, ad vias agrorumque oras crescens. Colitur vero in hortis in usum oeconomicum. Hinc sativae, quae procerior et omnibus partibus major, saepe ex rubro variegata, herba acetarii instar editur, prout radix cocta. Recentius quoque ejusdem radix Coffeae in mo-

modum tosta hujus vires supplevit. Toti plantae, ut affinibus semiflosculosis inest succus lacteus subamarus, isque quidem in fera planta quam in culta amarior. RADIX cichorii sylvestris longa, digitum crassa, subramosa, fibrosa, extus subfusca, intus alba; recens succo lactescente turgida, saporis subdulcis subamari.

VIRES. Involventes, saponaceae, solventes et roborantes.

USUS. In obstructionibus viscerum et horum atonia.

DOSIS. Adhibetur solummodo in decocto ab uncia una ad duas.

N. ph. L. RADIX COLUMBAE.

N. germ. *Colombawurzel.*

N. syst. L. (Planta adhuc incognita.)

RADIX communiter transfertur in taleolis inaequaliter orbicularibus, a semi ad tres pollices latis et a quarta parte pollicis ad tres integros crassis, plerumque perforatis, superficie aspera, cortice rugoso; extus ferrugineo sive obscure fusco, intus luteo, unam vel duas lineas crasso, substantia interior compactior vel lignosa, intima farinacea, coloris è viridi flavescentis vel subfusci et huc illuc etiam è luteo albicantis aut nigricantis. Discerni oculis in orbiculis facile possunt tria strata, *Cortex*, *pars lignea*, et *medulla*. Sapor ingrate amarus, odor peculiaris balsamicus ad odorem seminis cumini sativi nonnihil accedens, mox vero, si radix non rite servatur, decrescens. In pulverem redacta viridescentem colorem induit et humiditatem attrahit.

Destillatio radicis cum aqua nullum olei aetherei vestigium prodit, attamen debilem saporem balsamicum habet et odorem quasi ex cumino (CARTHEUS. *Diss. de radice columba.* 1773. *recusa in ejusd. Diss. phys chym. med. p.* 149.) Ex radicis uncia una, digesta cum aqua sufficiente, infusum subfuscum redundat valde amarum et blanda evaporatione extracti drachma una cum granis viginti quatuor, quod ipsum valde amarum, sed odoris descripti debilis. Tinctura cum spiritu vini facta saturate flava odoris balsamici grati ad Moschum vel Hyacinthum accedentis et saporis intense amari; extracti spirituosi primi grana modo viginti quatuor ex uncia radicis evolvuntur (CARTHEUSER l. c.) Vinum cum radice digestum mediocriter amarum est. Ex hisce consequitur, quod odorae partes, licet in reliquis primaria virtus resideat, avidius a spiritu vini, quam aqua excipiantur, et gummosarum plus quam resinosarum radici insit. Infusum radicis aquosum celerius corruptelam init, quam illud reliquorum amarorum, nam intra nychthemerum sedimentum in eo apparet copiosum et intra biduum viscosum et vapidum evasit. (PERCIVAL *Essays medical and experimental Vol.* 2. *p.* 3. *sqq.*) Advehitur e Zeilonia, interdum etiam juxta longitudinem secta radix. Facile cariosa evadit. Hinc solicite integra in vitro vesica bubula muniendo et loco frigidiusculo custodienda.

VIRES. Roborantes, antiputredinosae et involventes, antiemeticae.

USUS. In debilitate ventriculi, diarrhoeis à laxitate et morbis biliosis, cholera et dysenteria, cardialgia saepe cum vomitu juncta primis viis puris, absentibus obstructionibus viscerum.

DOSIS. In pulvere a granis decem ad drachmam semis omni secunda vel tertia hora. In decocto uncia semis radicis Columbae cum simili copia Ligni Quassiae in aquae decem unciis coctis ad remanentiam unciarum sex, sic omni hora cochlear exhibetur; etiam in infuso vinoso convenit.

N. ph. l. V. ⊙ RADIX CONSOLIDAE.

N. germ. *Schwarzwurzel*, *Wallwurzel*, *Schanzwurzel*, *Schmeerwurzel.*

N. syst. L. (Symphytum officinale.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 252. ZORN Pl. med. Tab. 137. *Flor. Danic.* Tab. 664.

Partes usuales. *Radix sicca.*

Symphytum officinale ; foliis ovato-lanceolatis decurrentibus LINN. *Sp. pl. p.* 195.

Est planta perennis, in pratis humidis, ad fossas, rivos Europae australioris copiosissima. RADIX ramosa, magna, digitum crassa, recens carnosa et viscida, siccata vero et diu servata spongiosa et farinosa, fragilis, extus nigra, interne alba, inodora, saporis mucilaginosi, et viscidi, masticata copiosam mucilaginem emittit. Atque haec causa est, cur adoptata jam à veterum tempore in medicina sit. Tanta vero ejus ubertas, ut radix aqua decocta tres circiter partes mucilaginis insipidae ex quatuor ponderis sui partibus eroget: majorem igitur mucilaginis quantitatem, quam Althaea, eamque tenaciorem largitur. (LEWIS *M. m. p.* 29.)

VIRES. Adstringentes, involventes.

USUS. In dysenteriis et diarrhoeis a laxitate. Ad firmandos dentes. In ulceribus ad nimium humorum affluxum prohibendum.

DOSIS. *Interne* drachmae duae in decocto. *Externe* uncia semis. *Interne* cum aqua, *exrerne* cum aceto adhibetur. Haec planta enim cum principio adstringente continet copiosam mucilaginem.

N. ph. l. RADIX CONTRAJERVAE.

N. germ. *Giftwurzel*, *Bezoarwurzel*, *Wiedergift.*

N. syst. L. (Dorstenia contrajerva.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 578.

Partes usuales: *Radix sicca.*

Dorstenia contrajerva; habitu acauli, foliis pinnatifidis et pinnis serratis distinguitur LINN. *N.*

Contrajerva est vox hispanica, qua plantam venenis oppositam denotant, tales cum plures praedicare solent, hinc plures Contrajervae apud Auctores occurrunt. Primus *Dracken* Eques Anglus anno 1581 quasdam radices in Europam attulit, illa demum medio Seculo superiore in officinas fuit recepta.

Perennis in America meridionali, in nova Hispania, in Peru, Mexico, Tabago, Insulis Vincenz et vera Cruce, et circa Campechy crescens. RADIX rugosa, solida ex trunculo nodoso et tuberculato pollicem unum vel alterum longo et pollicem dimidium circiter lato emittit ad latera et deorsum copiam fibrarum longarum ramosarum tenuium, tenacium, nodosarum, extus e flavo bruna, intus ex albo flavescens, saporis subacris, et amaricantis, odoris debilis aromatici. Nullum vestigium adstringendi potentiae detegit Vitriolum martis. Decoctione cum aqua haec tam mucilaginosa redditur, ut per filtrum transigi nequeat (LEWIS *M. m. p.* 230.) Aquae caloris ope impertit colorem profundum ex bruno rubicundum, et longe plus haec abripit, quam spiritus vini, qui tincturam gratius rubicundam praebet, ita ut extractum aquosum primum pondere spirituosum pr. duplo fere excedat (v. NEUMANN *Chym. Vol.* 2. *P.* 2. *p.* 167. LEWIS l. c.) Debilior est sapor aquosi quam spirituosi, nam hoc manifestius prodit saporem radicis et diu in ore acrimoniae quasi vibrantis et caloris impressionem relinquit. Antisepticam Contrajervam esse vel inde probari potest, quod carnem praeservet contra putredinem tam fortiter, ut ejus grana sex hac in re superent grana sexaginta salis communis (PLINGLE *Dis. of the army. App. p.* 21.) Multis medicis quoad vires cum Serpentaria Virginiana pari passu ambulat, cujus tamen amarities insignis jam docet, non omnino convenire. Potentiorem vim in universum Serpentariae tribuit cel. MURRAY (v. *Apparatum Medicam. etc. Vol. IV. p.* 576.) Eligatur radix non inveterata, non cariosa, ponderosa et a fibris liberata.

VIRES. Stimulantes, excitantes et diaphoreticae.

USUS. In febribus putridis ut Radix Angelicae adhibetur.

DOSIS. Ad drachmam semis in pulvere, in infuso ad drachmas duas vel unciam semis.

N. ph. l. V. RADIX CURCUMAE.

N. germ. *Gelbwurzel, gelber Ingber.*

N. syst. L. (Curcuma longa.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 396. ZORN Pl. med. Tab. 421.

Partes usuales. *Radix sicca.*

Curcuma longa; foliis lanceolatis; nervis lateralibus numerosissimis LINN. *Sp. pl. p.* 3.

Est planta perennis Indiae orientalis. Colitur in hortis Indorum, nominatim Chinensium, Malaccae copiosissime, item in Java et Balega.

H Pro-

Propagatio facilis per dissectas radices, Zingiberis instar. RADIX longa, crassa, subinde in finem olivae formem desinens, subinde in apicem acuatam, solida, ponderosa, tuberosa, nodosa, rugosa, extus pallide lutea, intus profunde flava, crocea et temporis decursu punicea; saporis amaricantis, subacris, et calorem mitem ore excitans, leviter aromatici, odoris fragrantis. Masticando facile emollitur salivamque croceo colore imbuit. Infusione aquae obtinetur tinctura crocei coloris, quae addito alcali in colorem badium mutatur. Idem contingit in charta per hanc amylo adjuvante tincta, et quidem vel ab exigua modo alcali quantitate; unde commodius redditur experimentum. Acida pallidiorem reddunt flavedinem. Itaque eximium adjumentum praestat *Curcuma* in dignoscendis alcalinis BERGMANN *Opusc. Vol. I. p.* 95 (vide in hoc *Dispensatorio reagentia.*) Spiritus vini rectificatissimus rubedinem inde obtinet elegantem, quae digitos tamen aliaque flavedine crocea tingit. Olei destillati valde exiguum modo continet, ita ut unus ex radicis libra dimidia modo olei circiter drachmam eruerit vide (BÜCHNERI et LÖBERI *Diss. de Curcuma officinarum p.* 15.) Extracti aquosi saporis blande aromatici amaricantis et salsi ad summum quarta pars elicita (CARTHEUSER); alii minorem quantitatem ejus lucrati sunt. Par inconstantia in pondere extracti spirituosi, cujus summum fuit fere $\frac{1}{3}$, idque notabiliter acre aromaticum simulque nauseosum reperitur (CARTHEUSER). Eligatur radix longa, quae diffracta particulas resinosas micantes exhibet, dura et ponderosa. Quidquid fibrosum est rejicitur, reliquum servatur et pro figura diversa in officinis vel nomine Radicis Curcumae *rotundae* vel C. *longae* obviam venit. Curcuma *longa* in universum usitatior est.

USUS. Ad parandam Tincturam Curcumae et detegenda salia alcalina. Vide *Reagentia.* Tanquam medicina non amplius utitur.

N. ph. l. RADIX CYCLAMINIS seu ARTHANITAE.

N. germ. *Saubrodwurzel, Schweinbrodwurzel, Erdscheibe.*

N. syst. L. (Cyclamen Europaeum.)

Icon. Vide MILLER'S Figures Tab. 115. ZORN Pl. med. Tab. 72.

Partes usuales. *Radix recens.*

Cyclamen europaeum; corolla retroflexa, foliis cordatis, denticulatis; radicalibus binis LINNAEI *Sp. pl. p.* 207.

Est planta perennis in locis umbrosis et siccis Austriae, Carnioliae, Helvetiae alibique in Europa australi crescens. RADIX recens rotunda et aliquantum compressa est, deorsum fibras demittens. Sub epidermide obscure bruna continet succosa cutem, quae lineam crassa est, intra quam caro alba. Gustata recens initio insipida, dein subacris sentitur et linguam quasi obtundit, alii valde acrem describunt; sicca vero nihil acrimoniae prodit, imo haec assatione ita perit, ut radix esculenta fiat; sic circa Astracanum comeditur (SCHOBERUS in MÜLLER'S *Sammlungen russischer Gesch.*

Gesch. T. 7. p. 88.) tamen si vera, quae de vehementia effectus narrantur, latens virus continere illam oporteat. Ideo pro usu interno obsoleta hodie est radix haec, quae omni aevo suspecta fuit. Hinc hodie solummodo externe caute tamen utiliter adhibetur.

VIRES. Irritantes, purgantes.

USUS. Solummodo externus. Succus umbilico illitus alvum ducit. Forma unguenti cum coindicatis scopo anthelmintico abdomini inungitur.

N. ph. l. V. ⊙ RADIX DAUCI SATIVI *seu* CAROTAE.

N. germ. *Gelbe Möhren, Möhrruben, Karotte, Vogelnest.*

N. syst. L. (Daucus Carota.)

Icon. Vide ZORN Pl. med. Tab. 471. BLACKWEL Tab. 546. RIVIN Tab. 27.

Partes usuales. *Radix recens.*

Daucus Carota; seminibus hispidis, petiolis subtus nervosis, radice lutea LINN. *Syst. veg.* p. 228. *Gen pl.* p. 131.

Est planta perennis, quae in agris hortisque colitur. RADIX fusiformis, succosa, crassa, plerumque lutei vel aurantii coloris, saporis grate dulcis. Blandum salubreque cibi genus constituit cum jure carnium cocta. Liquidum syrupo simile inde elicuit illu. MARGGRAF (*Memo. de l'Acad. de Soc. de Berlin.* 1747. *p.* 89. *item chemische Schriften. T.* 2. *p.* 85.) quod tamen in saccharum compingi se non passum est. Commendabilis maxime succus ex radice coctione emollita expressus et in EXTRACTI formam redactus loco sacchari vel syrupi vel mellis in cibis; tanquam medicamentum demulcens saponaceum abstergens quoque non spernendus. Succus hujus dauci sativi virtute solvente succum radicis recentis graminis aequat aut adhuc superat, ita omnes succi saccharini similem virtutem in corpore humano exserunt. Praeterea ob pretium adeo leve et efficacitatem vix non praeferendus succo radicis graminis; externe quoque cataplasma ex daucis paratum in ulceribus cacoethicis magnam celebritatem nactum est.

PRAEPARATA.

EXTRACTUM DAUCI SATIVI. }
ROOB DAUCI SATIVI. } *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. ☐ ⊙ RADIX ENULAE, seu HELENII.

N. germ. *Alantwurzel*, *Helenenkrautwurzel*, *Glockenwurzel.*

N. syst. L. (Inula Helenium.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 473. ZORN Pl. med. Tab. 475.

Partes usuales. *Radix sicca.*

Tempus collectionis. *Primo vere colligenda radix sponte crescens.*

Inula Helenium; foliis amplexicaulibus ovatis rugosis subtus tomentosis, calycum squamis ovatis LINNAEI *Sp. pl. p.* 1236.

Est planta perennis, in pratis humidis depressis Angliae, Belgii, Oelandiae, Scaniae, Italiae, Helvetiae sponte crescens; apud nos colitur etiam in hortis, quae vero ad usum medicum minime colligenda. RADIX magna, longa, ramosa, non multum fibrosa, recens extus bruna, siccata vero glauca, interne pallida, saporis initio subrancidi glutinosi, postea amari, acris subaromatici, odoris recens camphoracei aromatici, siccata vero violacei. Aqua longe plures partes eruuntur ad $\frac{7}{8}$ fere, spiritu vini ad $\frac{1}{3}$ modo cum olei butyracei adinstar spermatis ceti foliacei $\frac{1}{192}$ (NEUMANN). Alii (CARTHEUSER, LEWIS) dimidium modo extracti aquosi obtinuerunt. Cel. DEHNE ex libris duodecim radicis drachmas tres cum dimidia olei butyracei odoris fortis proprii ipsius radicis obtinuit. Sub destillatione aquae vitri collo adhaerescit camphora (MALOUIN *Chemie T. I. p.* 321.)

VIRES. Stimulantes, leniter calefacientes.

USUS. In morbis pectoris pituitosis chronicis, absente inflammatione et ulcere ad sputa promovenda; in Tussi stomachica.

DOSIS. In pulvere a granis triginta ad drachmam cum melle.

PRAEPARATUM.

EXTRACTUM ENULAE.) *vide praeparata P. II.*

RADIX FILICIS FOEMINAE, vide *Filices.*

RADIX FILICIS MARIS, vide *Filices.*

N. ph. l. V. ⊙ RADIX FOENICULI.

N. germ. *Fenchelwurzel*, *süsse Wurzel.*

N. syst. L. (Anethum foeniculum.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 288. ZORN Pl. med. Tab. 63.

Partes usuales. *Radix et Semen, sicca.*

Anethum foeniculum; fructibus ovatis LINN. *Sp. pl.* p. 372. *Duae* habentur varietates in officinis, Foeniculum *vulgare germanicum*, et Foeniculum

lum *dulce* seu *Italicum.* RADIX potissimum ex Foeniculo vulgari germanico; SEMEN vero ex Foeniculo dulci seu Italico in officinis adhibetur.

Est planta biennis in Europa calida, in Gallia, Hispania, Helvetia, Anglia, Italia sponte crescens, in diversis regionibus Germaniae, inprimis in Thuringia, Franconia, Saxonia in agris, et apud nos in hortis colitur.

RADIX fusiformis, digitum crassa, in duas partes exeuns, fibrillis paucis obsessa, alba, saporis dulcis aromatici. Secundo anno effodienda. *Semina Foeniculi Italici seu dulcis* majora, quam *vulgaris germanici*, oblonga sunt, uno latere plana, altero convexa, striata, angustata, subscabra, ponderosa, saepissime incurvata, coloris pallide flavescentis, odoris fortis peculiaris, saporis aromatici cum dulcedine majori quam vulgaris. Spiritus vini ex radice et seminibus plus extrahit, quam aqua, etsi infusi aquosi sapor longe fortior sit: nam exhalatione plurimum dulcedinis et aromatis perit (LEWIS *M. m. p.* 277). Radix extracti spirituosi aromatici et cum quadam amaritie dulcis $\frac{1}{12}$, aquosi, insipidi parum, largitur. Semina scatent oleo essentiali, nec minus oleo unguinoso ad expressorum naturam accedente; librae duodecim seminum olei odorati aromatici fragrantis uncias quatuor aut quinque largiuntur (HAGEN *Lehrb. T. I. p.* 272). Extracti resinosi $\frac{1}{12}$, aquosi $\frac{1}{4}$ fere inde obtinuit (NEUMANN). (CARTHEUSER) $\frac{1}{8}$ extracti resinosi et paulo majorem quantitatem aquosi refert.

VIRES. Leniter stimulantes.

USUS. Semina potissimum in colica flatulenta infantum adhibentur, etiam tanquam remedium leniter irritans in morbis pectoris pituitosis sputa promovent. In lacte cocta ad augendum lac nutricum ROSENSTEIN commendat.

DOSIS. Grana decem ad viginti; per se aut cum Magnesia alba aut saccharo.

PRAEPARATA.

AQUA DESTILLATA FOENICULI; *ex semine paratur.* OLEUM ESSENTIALE FOENICULI; *ex semine.* TINCTURA SEU ESSENTIA FOENICULI; *etiam ex seminibus paratur.*	*vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ☉ RADIX GALANGAE MINORIS.

N. germ. *Kleiner Galgant.*

N. syst. L. (Maranta galanga.)

Icon. Vide RUMPH. Herb. amboin. Vol. 5. p. 143. Tab. 63.

Partes usuales *Radix sicca.*

Maranta galanga; culmo simplici, foliis lanceolatis subsessilibus LINN. *Syst. veg. p.* 49. *Gen. pl. p.* 3.

Est

Est planta perennis; *major* crescit in Iava, Malabaria, *minor* in regno Sinensi. *Major* segmentis radicis propagatur in Amboina, Banda, Moluccis in hortis satis copiose; *minor* in Amboina rarius. Utraque radix tam *Galangae majoris* quam *minoris*, ex eadem specie provenit, cujus varietates officinales nullis aliis notis quam magnitudine discrepant; *major* tamen mox rufa, mox alba, intus pallidior, minus odora debilior et ignobilior. *Minoris* radix tuberosa, nodosa, dura, digitum crassa, annulata; praesto est in particulas pollicem circiter longas vel minores transversim secta, extus spadiceo rubra, intus rubella, saporis fervidi, acris, subamari, constrigentis, odoris fragrantis. Eligatur ponderosa et solida, non cariosa. Radice subinde Cyperi longi commutatur, qui error vero sapore amariori distinguendus. Ex India orientali advehitur. Chemiae ope eruitur oleum aethereum, cujus circiter drachmam unam *Galangae minoris* radix in quavis libra continet (NEUMANN *Chem. Vol.* 2. *P*. 2. *p*. 333.) blandius ipsa radice, suaveolens ceteroquin. Aqua plus extrahit spiritu vini, scilicet uncias sex extracti ex libra integra, quod linguam quidem haud parum vellicat, minus tamen extracto spirituoso. Ad calidissima omnino aromata pertinet.

VIRES. Stimulantes, calefacientes.

USUS. Per se in paralysi linguae forma pulveris sub lingua applicatur; etiam tanquam stomachium cum coindicatis in laxitate primarum viarum adhibetur, raro tamen in pulvere, potissimum in Tinctura.

PRAEPARATA.

TINCTURA SEU ESSENTIA GALANGAE.)
ELIXIRIUM AROMATICUM.) *vide praeparata P. II.*

N. ph. L. V. ⊙ RADIX GENTIANAE RUBRAE.

N. germ. *Rother Enzian, Bitterwurzel, gemeiner Enzian.*

N. syst. L. (Gentiana lutea.)

Icon. Vide ZORN Pl. med. Tab. 257. MÜLLER'S Figures Tab. 139. Fig. 2.

Partes usuales. *Radix sicca.*

Gentiana lutea; corollis quinquefidis rotatis verticillatis, calycibus spathaceis LINN. *Sp. pl. p.* 329.

Est planta perennis in montibus et subalpinis Helveticis, Apenninis, Pyrenaicis, Austriacis, Silesiacis etc. crescens ubi latos tractus occupat. RADIX longa, pollicem unum vel duos crassa, cylindrica, multifida, annulata, rugosa, spongiosa, tenax, foris fusca, intus ex flavo rubescens, saporis intense amari. Praestantissima inter amara, ut vix aliud, quam Quassia, cum ea comparari possit, minusque reliquis plerisque, quin ipso Centaurio minori, nauseosa, vel calida. Tam aqua quam vini spiritus elicit amaras partes, copiosius tamen hic, quam illa. (LEWIS l. c.), ut quo-

nam

nam menstruo radix efficacior sit, inde cognoscatur. Extracti aquosi $\frac{9}{16}$, spirituosi $\frac{7}{16}$ fere obtinuit (NEUMANN), CARTHEUSER autem illius fere $\frac{3}{8}$, hujus ultra $\frac{1}{4}$. Infusum hujus, ut aliorum amarorum e vegetabilium censu, fermentationem carnis cum pane et aqua in vitris retardavit, sicque antisepticam vim suam declaravit (PRINGLE *Dis. of the army App. p.* 66.) Ita et extractum aqua solutum a putredine carnem bovillam per binos menses munivit (*Essai sur la putrefaction p.* 313. *sq. p.* 324 *sq.*) Narratur de adulteratione gentianae rubrae cum radicibus *ranunculi thorae* L. vel *Aconiti lyctonum;* radix adulterans per colorem extus ex griseo fuscum, vel pallidum vel ex viridi nigricantem, per tenuiores quidem sed frequentiores rugas, per fragilitatem faciliorem, odorem ingratum et saporem urentem vel pungentem dignoscenda. Rejiciatur radix gentianae rubrae corrugata, intus nigricans, mucida vel cariosa.

VIRES. Roborantes, stomachicae.

USUS. In laxitate primarum viarum, cachexia, hypochondriasi, ictero, rheumatismo, hydrope a laxitate, ulceribus scorbuticis.

DOSIS. In pulvere a granis quinque ad decem aut quindecim. Potissimum tamen praeparata ejus adhibentur.

PRAEPARATA.

TINCTURA SEU ESSENTIA GENTIANAE RUBRAE.
EXTRACTUM GENTIANAE RUBRAE.
MASSA PILULARUM AMARARUM.
} *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙	RADIX GRAMINIS CANINI.
N. germ.	*Graswurzel, Quekenwurzel, Hundsgraswurzel.*
N. syst. L.	(Triticum repens.)
Icon.	Vide ZORN Pl. med. T. 460. BLACKWEL Tab. 337. SCHREBER *Beschreib. und Abbild. der Gräser. p.* 24.
Partes usuales.	*Radix recens et sicca.*
Tempus collectionis.	*Verno vel autumnali tempore, nunquam vero aestivo tempore colligenda.*

Triticum repens; calycibus quadrifloris subulatis acuminatis, foliis planis LINN. *Syst. veg. p.* 109. gramen caninum arvense. Triticum repens, glumis mucronatis aristatisve, aristis spicula brevioribus (SCHREBER l. c.)

Planta perennis in agris, ruderatis et pratis vulgatissima. RADIX subramosa, undique sese horizontaliter dispergens, filiformis, culmum frumenti, dum recens est, crassitie aequans, longissima, glabra, geniculata, geniculis fibrosis, ex flavo alba. Sapor tam recentis quam siccae subdulcis.

Libra

Libra una harum radicum circiter uncias quinque succi expressi erogat, qui facile fermentationem subit, qua finita liquor vinosus dulcis, non tamen palato placens emergit. Continuata fermentatione et fermento addito acescit (HOFFMANN in CRELLS *Beytr. zu den chym. Annal. Vol.* 3. *p.* 124.) Concisa et contusa radix cocta et fermento mista spiritum vini exhibet, spiritui vini non cedens. Cerevisiae pariter species inde redundat (idem.) Foecula inde emergens solvitur aqua bulliente, quae dum refrixerit gelatinosam substantiam exhibet (PARMENTIER *sur les vegetaux à supplecr en temps de disette.*) Succus elicitus dulcem quidem saporem prae se fert, sed in solidum saccharum non concrescit (MARGGRAF *chym. Schrift. Vol.* 2. *p.* 85.) Acido nitri tractatus acidum sacchari suppeditat (HOFFMANN l. c. p. 126.) Saccharinis pariter ac nutrientibus particulis instrui hancce radicem dicta declarant.

VIRES. Solventes, saponaceae, leniter diureticae.

USUS. In febribus acutis, obstructionibus viscerum, cachexia etc.

DOSIS. Ab uncia semis ad unam in decocto. Ob ingratum saporem saepius cortex citri additur. Exhibetur per se aut cum coindicatis cum cremore Tartari, aceto, melle. In obstructionibus cum stipitibus dulcamarae aut saponaria rubra. Succus recenter expressus ab unciis duabus ad tres exhibetur.

EXTRACTUM RADICIS GRAMINIS.) *vide praeparata P. II.*

N. ph. L. ⊙ RADIX GRATIOLAE.

N. germ. *Wilde Urinwurzel, Gnadenkrautwurzel, Gottesgnadewurzel.*

N. syst. L. (Gratiola officinalis.)

Icon. Vide ZORN Pl. med. Tab. 449. KOSTRZWSKI Dissert. de gratiola Viennae 1775, cum Figura non satis accurata. Praestantior Icon vide in FLORA DANICA Tab. 363. item BLACKWEL Tab. 411.

Partes usuales. *Radix et Herba, sicca.*

Gratiola officinalis; foliis lanceolatis serratis, floribus pedunculatis LINN. *Syst. veg. p.* 60.

Est planta perennis in udis Europae australioris, Germaniae, Austriae, Helvetiae, Galliae, Italiae crescens. RADIX cylindrica, calamum crassa, geniculata, alba, horizontalis, fibris descendentibus, intense amara, cum adstrictionis sensu, odoris nullius. Videtur esse pars efficacissima totius plantae. Uncia sesquialtera drachmas duas et dimidiam extracti aquosi erogat; spiritus vini de radice minus extrahit quam aqua (BOULDUC *in Memoir. de l'Acad. R. d. Sc.* 1705. *p.* 188.), tamen RADIX longe copiosiores partes resinosas possidet, quam HERBA. HERBAE folia oblonga, lanceolata, sessilia, serrata, nervosa, glabra, laete viridia, saporis valde amari subacris. HERBA valde amara et nauseosa est, absque odore. Unciae sedecim Her-

Herbae siccatae largiuntur extracti aquosi uncias quinque vel sex, mitius purgantis; Spiritus vini ex eadem quantitate uncias quatuor extracti efficacis extrahit. Spiritu vini igitur minus, quam aqua eruitur. Aquam itaque cum Spiritu vini convenientissimum gratiolae menstruum esse colligitur. *Sicca* HERBA viridi et succosa longe debilior est (LINN. *Amoenit Acad. Vol. 7. p.* 306.) *Succus* ejus expressus non eo gradu amarus est, ut residuum ab expressione (BOULDUC l. c. p. 189.) Inspissatus sal commune largitur (MARGGRAF in *Memoir. de l'Acad. de Sc. de Berlin* 1747. *p.* 79.) Haec planta ad efficaciora purgantia pertinet. Quin saepe alvum eluens simul vomitum excitat majori dosi, praecipue RADIX, quae Ipecacuanhae aemula habita a drachma dimidia vel integra; minima dosi vero ut efficax resolvens agit. Hodie tamen radix aut herba raro in substantia adhibentur, sed solummodo in EXTRACTO.

VIRES. Supra jam dictae.

USUS. Herbae siccatae pulvis a granis decem ad viginti et triginta est remedium purgans valde efficax et simul innocuum. In infuso aquoso aut vinoso ad drachmam aut drachmam unam et semis. Hodie vero potissimum gratiola in EXTRACTO adhibetur. Est enim EXTRACTUM remedium majori dosi purgans, minori dosi vero alterans, potenter resolvens. Hinc in obstructionibus viscerum abdominalium in tumorem inflatis et non contractis et exsiccatis ut in scirrhis esse solet, absente febre, et plethora. Sic Author hujus Dispensatorii EXTRACTUM gratiolae in magno Nosocomio militari Viennae in obstructionibus viscerum post febres intermittentes diuturnas, in Tympanitide ab obstructionibus viscerum, in Hydrope vario una cum obstructionibus viscerum juncto, adeo feliciter adhibuit, ut Teste oculari celeberr. tunc Professore Chirurgorum militarium D. Doctore REINLEIN, celeb. ODENKIRCHEN status militaris Chirurgo supremo et Chirurgo simul hujus Nosocomii, et multis aliis expertis Chirurgis militaribus praesentibus, maximam partem horum aegrotorum similibus antea enumeratis morbis affectis penitus sanitati restituerit, alias saepe aliis cognitis medicamentis adhibitis incurabilibus. Hinc Author hujus Dispensatorii declarat EXTRACTUM herbae gratiolae minori dosi, tanquam alterans remedium, potenter solvens et quasi specifice ad viscera abdominalia agens; haec etiam fuit ratio, quare in hydropicis adeo felix fuerit et maximam partem Hydropicorum radicaliter, diureticis junctis cum gratiola, sanitati restituerit.

DOSIS. Adhibuit EXTRACTUM GRATIOLAE ab initio cum pauca copia pulveris HERBAE GRATIOLAE forma boli a granis duobus sensim bis de die ad grana tria, dein pedetentim aucta dosi ad scrupulum unum bis de die, ita tamen ut solummodo solvendo non purgando vires suas exserere potuerit; quamprimum saepius, quam binis vicibus aegrotus alvum de die deposuerit, illico dosin diminuebat, aut penitus hac die omisit gratiolam; exhibuit sequenti formula.

℞ EXTRACTI HERBAE GRATIOLAE AQUOSI CALIDE PARATI grana duo vel tria, PULVERIS HERBAE GRATIOLAE quantum satis, misceantur, fiat consistentia boli, sumat bis de die talem dosin; continuavit hanc dosin per

 ali-

aliquot dies, dein hanc sensim auxit, donec ad grana decem bis de die aucta fuerit, tunc plerumque hac dosi effectus sequebatur. In Hydropicis forma Mixturae EXTRACTUM cum diureticis exhibuit parva dosi; et evacuatis aquis per urinae vias; nunc aucta dosi Gratiolae obstructiones seu causam morbi abstulit, et sic multos hydropicos sine omni recidiva radicaliter curavit. Optandum esset, ut publicatis nunc his experimentis, alii Medici excitarentur ad repetenda haec experimenta, et efficaciam Gratiolae in tot morbis chronicis saepe incurabilibus ulterius confirmandam; cum Author hujus Dispensatorii in hoc Nosocomio omnia nota solventia in obstructionibus viscerum saepissime frustra tentaverit; solam Gratiolam vero, in dictis morbis cum debita cautela et symptomatibus rite perpensis, adhibitam, efficacissimam declarat.

PRAEPARATA.

EXTRACTUM GRATIOLAE AQUOSUM CALIDE PARATUM.
EXTRACTUM GRATIOLAE VINOSUM FRIGIDE PARATUM.
} *vide praeparata P. II.*

Radix Hellebori albi.

N. ph. l. Radix Hellebori albi.

N. germ. *Weisse Nieswurzel, Kräzwurzel.*

N. syst. L. (Veratrum album.)

Icon. Vide ZORN Pl. med. Tab. 295. BLACKWEL Tab. 74. JACQUIN Flor. austr Tab. 325. IO. MÜLLER'S Illustr. Syst. sex. GUNNER Flor. Norv. P. 2. Tab. I.

Partes usuales. *Radix sicca.*

Veratrum album; racemo supradecomposito, corollis erectis flore subviridi LINN. *Sp. pl. p.* 1479.

Est planta perennis, in montibus Austriae, Helvetiae, Italiae, Norwegiae, Sibiriae, item in pyrenaeis, ut et in America septentrionali crescens. RADIX conico-cylindrica apice obtuso, subinde ultra pollicem crassa, pulposa, vel adhuc numerosis albicantibus vel badiis oblongis fibrillis stipata, vel harum fibrarum resectarum vestigiis notata; foris fusca, vel grisea, intus alba cum medulla grisea, saporis acerrimi, amaricantis, nauseosi et urentis, trituratione in pulverem sternutationem excitat. Recens odore instruitur ingrato, sicca inodora.

Chemica analysis non multum lucis de natura hujus radicis accendit. Aqua non aeque efficax est in acrimonia ejus eruenda, ac spiritus vini, nam infusum aquosum saporis debilioris est, et extractum praebet, quod dimidium fere ponderis ipsius radicis constituit, exiguae acrimoniae. Spirituosum autem infusum tam amarum quam haud parum acre est, ex quo, si uncia una radicis experimento subjicitur, drachmae circiter sex extracti elici-

eliciuntur, quarum grana vix sedecim vera resina sunt (CARTHEUSER *Mat. med. Vol. I. p.* 471.) Quod extractum quum infuso cedat sapore: palam est et volatiles partes huic radici inesse aere et ignis vi evanidas. Acrimonia extracti vero ejus naturae est, ut sensim sensimque modo se se evolvat et semel linguae impressa diu tenax illi inhaereat. Ceterum venenatissima omnibus partibus stirps non hominibus modo, sed et brutis.

VIRES. *Interne* venenatae majori dosi, minori violenter purgantes, et errhinae.

USUS. *Externe* cum coindicatis in scabie forma pulveris adhibetur.

N. ph. l. ⊙ RADIX vel FIBRILLAE HELLEBORI NIGRI.

N. germ. *Schwarze Nieswurzel, Christwurzel.*

N. syst. L. (Helleborus niger.)

Icon. Vide ZORN Pl. med. Tab. 185. BLACKWEL Tab. 506. SCHMIDEL Icon pl. et anal. part. Tab. 6. p. 26. JACQUIN Flor. Austr. Tab. 201. Vol. 3. p. 1.

Partes usuales. *Radix sicca.*

Helleborus niger; scapo subbifloro subnudo, foliis pedatis, flore roseo LINN. Syst. veg. p. 431.

Est planta perennis in montibus et collibus Austriae, Stiriae, Helvetiae, Silesiae, Apenninis et Pyrenaeis crescens. Habetur varietas stirpis, quae consistit in magnitudine, caulis vel simplicitate vel ramosa natura, qualis quidem unice in orientali occurrit, foliorum vel majori vel minori latitudine, item florum magnitudine, et colore; quorum omnium vix limites exacti poni possunt. Sufficit hic indicasse varietatem quoad foliorum latitudinem inter *Orientalem* et *Stiriacam* a multis dictam, *mediam* sive *angustifoliam*, quae vulgaris in hortis est, sub nive ineunte anno saepe florens, ibidemque non ornamenti unice causa, sed et in usum veterinarium colitur. Haec ultima species *vera* est, ex qua Hellebori nigri officinalis RADIX petenda. Ex tubere subgloboso nucem moschatam crasso, nigro et sulcato, oriuntur rami breves, articulati, ex quibus germinant copiosae fibrillae carnosae, cylindricae, tenues, nonnihil tenaces, nigrescentes vel badii. Tuber sive caput RADICIS saepissime una alterave squamula obsessum, ad usum medicum vix adhibetur, ergo Medici communiter solummodo fibrillas praescribunt. Quae fibrillae a spithama ad pedem longae, contortiplicatae, culmum frumenti crassae et exsiccatione rugosae, fragiles, extus e fusco griseae, intus albidae sive e flavo albae, saporis sunt amaricantis acris, nauseosi et sensum caloris stuporisque in lingua excitantis, odoris nauseosi et acris. Rejiciantur fibrillae vetustae, nimis fragiles, pulverulentae, insipidae, et inodorae.

RADIX *Hellebori nigri veri* vulgo cum aliis radicibus commutatur vel adulteratur: inprimis ferme in totius germaniae pharmacopoliis pro *Hellebori nigri veri* radice, prostat radix *Adonidis vernalis* LINN. ab helleboro

 nigro

nigro genuino per caput brevius, per crebriores, carnosiores, et subtiliores fibrillas, majoremque contortiplicationem et longitudinem discernenda, praeter ea radix *Adonidis vernalis* intensiori nigredine extus et candidiori albitudine intus, sapore amaro et acri quidem sed cum dulcedine mixto et odore fortiori distinguitur. Pro fibrillis hellebori nigri etiam radices *Trolli europaei* LINN. circumferuntur, capite brevissimo, fibris sex vel septem pollicibus longis, valdeque ramosis, praecipue versus apicem dignoscendae. *Acteae spicatae* LINN. sive Christophorianae radix etiam pro helleboro nigro vero divenditur, a qua caudice ramisque articulatis distinguitur, quorum infimus articulus crebriores edit fibras easque lignosas. Sic etiam radix *Astrantiae majoris* LINN. ex radice fusiformi articulata, fibrisque undique sparsis, trium vel quatuor pollicum longis et fusco nigricantibus cognoscitur. Etiam radix *hellebori viridis* pro hellebori nigri radice divendi solet, quae vero fibris numerosioribus, brevioribus, tenuioribus magisque nigris et sapore denotatur amarissimo et acriori. Radix *hellebori albi* etiam helleboro nigro substituitur, ast tubere longiori crassiorique, colore albidiori, saporeque amariori et urente discriminanda. Periculosissimus vero error sive vitiatio est, si pro genuina, radix *Aconiti napelli* propinatur, quae valde venenata, facile autem a genuina discernenda per caudicem fusiformem vel subglobosum, per copiosas tres vel quinque pollices longas, culmum Zeae crassas et supradecompositas fibras, admodum fragiles et coloris e nigro grisei vel fusci. Denique etiam radix *hellebori foetidi* LINN. pro genuino helleboro nigro habetur, ast per caudicem rectum, fibras pauciores et breviores, colorem nigerrimum et saporem fortiorem magisque perdurantem distinguenda a radice hellebori nigri.

Quas fraudes et adulterationes ad evitandas apud nos *Lex esto, ne pharmacopolae, fibrillas hellebori nigri ex peregrinis aromatariis emant, sed in hortis propriis solo apto alant plantam veram ex horto Imperiali botanico desumtam, quod etiam de aliis plantis notandum, quae saepe adulterantur et in pauca copia solummodo in officinis adhibentur.* Gummosae partes dimidium fere pondus radicis constituunt, quae ipsae arcte et vix separabili vinculo cum resinosis nectuntur; hinc et fere idem pondus spiritu vini, quod aqua eruitur. Oleum quod inest, tam tenaciter quoque resinae adhaeret, ut suetam alias fragilitatem induere renuat. Praeter dictas pondere determinandas partes, reliquum terrestribus constat. Sed plurimum virium sine dubio a subtilibus particulis dependet, quae magna parte siccatione avolant; et quae diuturniori coctione in aqua pariter aufugiunt, item ex protracta per aliquot dies digestione, ita, ut sensim purgandi potestas radicis pereat. Hae ipsae particulae et destillando aquam impraegnant et acrem reddunt. Iuxta cel. LEWIS ¼ extracti aquosi et ¼ resinosi largitur; NEUMANN ⅙ resinosi obtinuit. Vix unquam pulveris forma hodie adhibetur; suetissimus vero exhibendi modus hodie in EXTRACTO est.

VIRES. Purgantes, non calefacientes.

USUS. In Melancholia, Mania, Epilepsia a saburra in primis viis haerente, tanquam remedium violenter purgans, etiam in Enemate adhibetur; in vermibus et Hydrope. In substantia haec radix non utitur, verum in

Ex-

Extracto, et si hoc minori dosi exhibetur, est remedium egregie solvens, deobstruens.

DOSIS. Extracti grana duo, ad viginti. Enematibus ad grana quadraginta additur.

PRAEPARATA.

EXTRACTUM HELLEBORI NIGRI AQUOSUM.
EXTRACTUM HELLEBORI NIGRI GUMMOSO-RESINOSUM. } *vide praeparata P. II.*

N. ph. l.	V. ⊙	RADIX JALAPPAE.
N. germ.		*Jalappenwurzel, Purgierwurzel, Gallenwurzel.*
N. syst. L.		(Convolvulus Jalappa.)
Partes usuales.		*Radix sicca.*

Convolvolus Jalappa; foliis difformibus cordatis, angulatis, oblongis, lanceolatis, caule volubili, pedunculis unifloris LINN. *Syst. veg. p.* 169. seu convolvolus americanus Jalapium dictus RAJI *Hist. pl. p.* 724.

Est Planta perennis in Mexico inprimis in Vera cruce habitans. RADIX non integra in nostris praesto est officinis, sed vel in orbiculos vel in duas partes longitudinaliter secta, figurae dum pyri divisi similis et leni tostione siccata. Quae segmenta sunt inaequalia, ponderosa, resinosa, solida, extus rugosa, ex lucido fusci vel nigricantis coloris, intus obscure grisei, striis nigris variegati, saporis acris, resinosi ac nauseosi, acidiusculi, odoris debilis, nauseosi, pulverisata colore apparet ex flavo griseo. Eligantur frusta ponderosiora, crassa, extrinsecus nigricantia, intrinsecus multis micantibus punctis et pluribus striis nigris variegata, prunis aut flammae admota promte inflammabilia, quae manibus non statim infringi, malleo vero mortarii mox comminui possunt. Frusta leviora intus albida vel pallide cinerea, mucida, cariosa, pulverulenta strenue rejicienda. *Radicis Bryoniae* segmentis adulterari dicitur, quae vero facile colore pallidiori vel albidiori, textura spongiosa, majori levitate et fragilitate circulisque vel radiis discernitur. Interdum magnarii radices mittunt, ex quibus jam multum Resinae extractum et quae iterum exsiccatae sunt; Pharmacopola ideo ante usum medicum quantitatem in comparatis radicibus contentam Resinae per affusionem spiritus vini examinet; radices non expilatae sextam usque ad quartam partem largiuntur Resinae, reliquae sunt partes terrestres et potissimum gummosae.

VIRES. Radicis purgantes.

USUS. In morbis chronicis, in vermibus, Taenia, in Hydrope pertinaci, in saburra primarum viarum, absente febre, et plethora.

DOSIS. Radix a granis quinque ad scrupulos duos, per se, vel cum Cremore Tartari, Arcano duplicato, Mercurio dulci, Saccharo.

Re-

Resinae Jalappae VIRES ut radicis, minori vero dosi efficaciores.

DOSIS. Infantibus usque ad quinque annos *Resinae* granum unum ad duo, infantibus adultioribus grana duo ad tria aut quatuor ad summum. Ab anno nono ad decimum quintum grana octo ad decem. Hominibus adultis nunquam ultra grana octodecim. Cum Amygdalis decorticatis, vitello ovi, Syrupo amygdalino aut Saccharo subacta *Resina* exhibetur. Hoc remedium nempe *Resina Jalappae*, *Scamoneum* optime supplet.

PRAEPARATA et COMPOSITA.

EXTRACTUM JALAPPAE GUMMOSO - RESINOSUM.
MORSULI PURGANTES.
RESINA JALAPPAE PURA.
SAPO JALAPPAE.
} *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ RADIX IMPERATORIAE.

N. germ. *Meisterwurzel, Kaiserwurzel, Magistranz, Ostriz.*

N. syst. L. (Imperatoria ostrutium.)

Icon. Vide ZORN Pl. med. Tab. 24. BLACKWEL Tab. 279.
RIVINI pent. Tab. 7.

Partes usuales. *Radix sicca.*

Imperatoria ostrutium; LINN. *Sp. pl. p.* 371.

Est Planta perennis in montibus Helvetiae, Italiae, Austriae et Silesiae sponte crescens; etiam in hortis colitur, cujus radices tamen minorum virium cum sint, minime colligendae. RADIX teres, oblonga, nodosa, pollicem crassa, nonnihil plana, annulata, geniculata, fibrata, foris grisea nigrescens, intus albida, saporis calidi, pungentis penetrantis, aromatici, odoris *Angelicae* et *Levistici* similis, sed adhuc validioris fragrantis. Rejiciatur mucida et diffracta fibrosae compagis. Eligatur crassa, masticationi tenax, diffracta viscosa, recenter siccata aromatica et nonnullos pollices longa. Succus ex radice recenti incisa stillans, insigniter acris largitur extractum gummi-resinosum, amarum acre, ope spiritu vini, aquosum autem vix odorum cum nauseosa amaritie LEWIS. Ultra $\frac{1}{3}$ extracti aquosi, $\frac{1}{2}$ fere spirituosi obtinuit NEUMANN.

VIRES. Stimulantes, calefacientes, sudoriferae. *Externe* detergentes, antiparalyticae.

USUS. *Interne* in morbis rheumaticis chronicis forma infusi, etiam febribus malignis putridis, ut *Radix Angelicae* et *Contrajervae*. *Externe* pulvis ulceribus inspersus eadem repurgat. Idem cum pauxillo seminis Anisi mistus in paralysi linguae specificus censetur.

N.

N. ph. l. ⊙ RADIX IPECACUANHAE VULGARIS S. GRISEAE S. CINEREAE.

N. germ. *Brechwurzel*, *Ipecacuanha*, *Ruhrwurzel graue.*

N. syst. An radix *ex viola ipecacuanha* L. an ex *Psychotria emetica* L. an ex *Euphorbia ipecacuanha* L. an alius plantae adhuc incertum.

Partes usuales. *Radix sicca.*

Existunt tres species Ipecacuanhae, nempe 1mo. Ipecacuanha peruana vulgaris grisea, quae proprie sola in officinis habetur, 2do. Ipecacuanha fusca, radix brasiliensis, 3tio. alba.

Ipecacuanha vulgaris grisea officinalis ex America meridionali, inprimis ex Peru per Hispanos advehitur. Haec in pharmacopoliis nostris obvia, calamum majorem minoremve crassa, digitum circiter longa, dura, varie inflexa, aspera, annulis incisurisque profundis notata, extus cinerea, intus ex albo flavescens, nucleo ligneo albo vel flavo percussa a cortice facile secernendo. Odor fere nullus vel mucidus, sapor partis corticalis amaricans et subacris, nuclei vero lignosi mucilaginosus. Rejiciatur albicans, gilva, fusca, spongiosa et sulcis non distincta, etiam quam nucleus transit ruber, haec enim radix dicitur speciei cujusdam *Apocini.* Eligatur densa, tenax, solida, a fibris liberata, et fracta resinosis splendens particulis. Fibrae interdum adhuc adhaerentes et nucleus lignosus non in pulverem redigendae sed rejiciendae, pulvis in contusione tenuis avolans, nares, oculos, et pulmones irritat et moleste afficit.

Vires hujus radicis griseae praecipue in cortice ejus latent; coctione radix vires emeticas perdit, infusum aquosum colatum est pellucidum, coloris ex fusco flavescentis, saporis amari, acris, parumper adstringentis, odoris debilis instar seminum carvi. Unciae sedecim Ipecacuanhae griseae vulgaris largiuntur uncias tres extracti resinosi et uncias quatuor et semis extracti aquosi. Residuum radicis ab hac extractione juxta experientiam cel. LASSONE et CORNETTE emesin tamen adhuc excitat, unde haec vis nec spiritu nec aqua penitus extrahi potest. Pulverisata radix diu non debet asservari, alias enim vires perdit.

VIRES. In minima dosi resolventes, alterantes, in majori emeticae aut etiam laxantes; opio juncta radix vires sudoriferas exserit.

USUS. In saburra primarum viarum. In febribus acutis, dysenteria, diarrhoea, morbis biliosis tanquam vomitorium. In febribus intermittentibus, rheumatismis, diarrhoea habituali, haemorrhagia uteri minima dosi ad nauseam usque exhibetur. In tussi convulsiva stomachica, melius vero tunc TARTARUS EMETICUS convenit.

DOSIS. Scopo alterante et solvente ab una quarta parte grani, ad unum aut duo cum saccharo omni tertia aut quarta hora. Scopo emetico seu ad excitandum vomitum a granis quinque ad drachmam semis, vel scrupulos duos per se aut cum Cremore Tartari forma pulveris, sic *Ipecacuanhae*

scru-

scrupulus cum granis decem Cremoris Tartari exhibentur. Aut forma liquida cum OXYMELLIS SQUILLITICI uncia semis ad scrupulum radicis. Si vero haec radix non esset satis efficax, tunc TARTARUS EMETICUS exhibeatur. Ne vero TARTARUS EMETICUS in dispositis aegris instar purgantis agat loco vomitorii additur RADIX IPECACUANHAE.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

PULVIS SUDORIFICUS, VULGO DOWERI.
SYRUPUS IPECACUANHAE.
VINUM IPECACUANHAE.
} *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ RADIX IRIDIS FLORENTINAE.

N. germ. *Florentinische Violenwurzel.*

N. syst. L. (Iris florentina.)

Icon. Vide BLACWEL Tab. 414. ZORN Pl. med. Tab. 186. item MÜLLER'S Fig. of plants, Tab. 154.

Partes usuales. *Radix sicca.*

Iris florentina; corollis barbatis, caule foliis altiore subbifloro, floribus sessilibus LINN. *Sp. pl. p. 55.*

Est planta perennis in Europae calidioribus regionibus, v. c. in Italia, in Carinthia etc. crescens. Colitur radicis causa in FLORENTIA absque multa opera in muris, sepibus ex humo, et ad oras camporum, ubi aliae stirpes non succedunt. Radices, quae mense Augusto et Septembri terrae mandantur, post trium annorum spatium modo in usum effodiuntur. Depurandi et decorticandi illas officium foeminis mandatum est. Cuticula ablata super strato ex arundine texto solis vi siccantur. (*Opuscoli interessanti l'Agricoltura p. 39 sqq.*)

RADIX SICCA tuberosa, ponderosa, pulposa, nodosa, ex Italia cortice rubro et fibris sublatis ad nos adportatur in fustulis digitum crassis, oblongis, aliquo modo planis, nodosis, extus superficiei ex separata epidermide et ex stigmatibus fibrillarum resectarum inaequalis, albis punctisque e fulvo fuscis notatis, intus albis vel e flavo albis, saporis acris et subamari, odoris violae martiae similis. Facile reducitur in pulverem farinaceum albidum. Brevi et a vermibus consumitur, nisi loco bene tecto servetur. Adulteratur interdum cum radice varietatis vilioris, quae vero minor, tenuior, mollior, coloris in cinereum vergentis odorisque valde debilioris est genuina. Eligatur ponderosior, densior, candidior et odoratissima; rejiciatur mucida et odore carens.

Destillatione aqua transiens secum abripit omne odorum; id quod remanet praebet extractum amarum et leviter acre. Oleum aethereum apparuisse, a quibusdam negatur (a NEUMANNO et LEWIS); sed restringi potest horum effatum ad valde exiguam quantitatem (KORTUM *Diss. de vera indole et virtute radicis Iridis florentinae Halae* 1739.) *et* CARTHEUS.

M.

M. m. Vol. 2. *p.* 75.) Extractum aquosum primum ⅜ circiter constituit radicis et extractum spirituosum primum ⅛ (NEUMANN *Chym. V.* 2. *P.* 3. *p.* 187), ut tamen memor sis connubium gummi et resinae esse tam arctum, ut utriusque pars semper simul absorbeatur. Tinctura spirituosa et extractum quoque spiritu vini factum longe acrius est, quam ea, quae extractione cum aqua resultant. Tinctura scilicet spirituosa piperis instar linguam et fauces adurit (CARTHEUS. l. c.) item extractum ipsum. Igitur acre inest huic radici, sed resinae irretitum. Verum longe acrior est radix recens, nauseam pariens, purgans cum vehementia. Hinc adhibetur hodie solum radix sicca mitior.

VIRES. Leniter stimulantes, incidentes, resolventes.

USUS. In morbis pituitosis pectoris chronicis, etiam infantibus in colica a muco acri orta optime convenit.

DOSIS. In pulvere a granis decem ad drachmam semis. Infantibus a granis quinque ad grana decem.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

AQUA DESTILLATA RADICIS IRIDIS FLORENTINAE. } vide *praeparata P. II.*
ROTULAE PECTORALES. }

N. ph. l. V. ⊙ RADIX LAPATHI ACUTI, seu OXYLAPATHI.

N. germ. *Grindwurzel, Mangelwurzel, Bubenkrautwurzel.*

N. syst. L. (Rumex acutus.)

Icon. Vide CURTIS Flora Londin. BLACKWEL Herb. Tab. 491. ZORN Pl. med. Tab. 587.

Partes usuales. *Radix sicca.*

Rumex acutus; floribus hermaphroditis, valvulis dentatis graniferis, foliis cordato-oblongis acuminatis LINN. *Sp. pl. p.* 478.

Est planta perennis totius Europae in locis humidis crescens. RADIX longa, pollicem et ultra crassa, cylindrica, vel simplex vel ramosa, nonnihil fibrosa, externe fusca, interne flava, saporis amari constringentis acris, odoris nullius; masticata salivam croceam reddit intsar rhei.

VIRES. Roborantes, purificantes.

USUS. In morbis cutaneis in decocto cum *Radice Saponariae, Caricis arenariae, Graminis.*

N. ph. l. V. ⊙ RADIX LAPATHI AQUATICI, seu HYDROLAPATHI.

N. germ. *Wassermengelwurzel, Wasserrhabarbar, Rofsampferwurzel.*

N. syst. L. (Rumex aquaticus.)

Icon. Vide REGNAULT Botanic. La Parelle des marais ou Patience aquatique. ZORN Pl. med. Tab. 588. BLACKWEL Tab. 490.

Partes usuales. *Radix sicca.*

Rumex aquaticus; floribus hermaphroditis: valvulis integerrimis nudis, foliis cordatis acutis LINN. *Sp. pl. p.* 479.

Est planta perennis vulgaris ad fossas lacusque. RADIX grandis, per plures series ramosa, extus nigricans, intus crocea. Sapor ejusdem manifeste austerus et amarus. Infusum ejus aqua factum vitriolo martis mox nigrescit; longe magis adstringit quam radix Lapathi acuti. Prae tot aliis stirpibus medicorum attentione dignissima.

VIRES. Roborantes, adstringentes.

USUS. In scorbuticis in decocto. *Externe* forma pulveris instar dentifricii dentes purificat et conservat.

PRAEPARATUM.

PULVIS DENTIFRICIUS RUBER.) *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ RADIX LEVISTICI.

N. germ. *Liebstöckelwurzel, Badkrautwurzel, Saukrautwurzel.*

N. syst. L. (Ligusticum levisticum.)

Icon. Vide BLACKWEL Herb. Tab. 275. ZORN Pl. med. Tab. 233.

Partes usuales. *Radix sicca.*

Ligusticum levisticum; foliis multiplicibus, foliolis superne incisis LINN. *Sp. pl. p.* 359.

Est planta perennis, in alpibus Apenninis et in montibus Rhaeticis sponte crescens, in hortis crebro pro medicina domestica colitur.

RADIX crassa, racemosa, carnosa, extus e gilvo nigricans, intus alba in medio autem subflava, odoris peculiaris fragrantis, saporis subdulcis, acris et ingrati. Odor toti plantae specificus, sapor calidus, aromaticus. Abundat succo luteo gummi-resinoso, Opopanacem quodammodo referente. Virtute *Angelicae* et *Imperatoriae* haud dispar. Radix aliquid olei odorati fundit et omnes suas vires extracto spirituoso impertit. LEWIS.

Olei

Olei odorati $\frac{1}{18}$, extracti aquosi dulciusculi $\frac{3}{8}$, spirituosi ultra $\frac{1}{4}$, dedit CARTHEUSER.

VIRES. USUS. In omnibus cum *Angelica* et *Imperatoria* convenit.

N. ph. l. V. ⊙ **RADIX LIQUIRITIAE, seu GLYCIRRHIZAE.**

N. germ. *Süſsholzwurzel.*

N. syst. L. (Glycirrhiza glabra et echinata.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 495. ZORN Pl. med. Tab. 209 et 350. JACQUIN Hort. Vindob. Tab. 95.

Partes usuales. *Radix sicca.*

Glycirrhiza glabra; leguminibus glabris, stipulis nullis, foliolo impari petiolato LINN. *Syst. veg. p.* 557. *gen. pl. p.* 380. Altera species est

Glycirrhiza echinata; leguminibus echinatis, foliis stipulatis, foliolo impari sessili LINN. *Syst. veg. p* 557. ex utraque specie Radix desumitur.

Est planta perennis in Hispania, Gallia inferiori, Italia, item australiori deserto ad Jaikum Rutheniae et in Apulia sponte crescens; sed in Anglia, Lotharingia aliisque locis, ut in Franconia in agris copiose colitur, unde nobis adfertur. RADIX digitum et ultra crassa, tenax, longa et siccatione rugosa, extus bruno - fusca, intus flava; transversim secta, etiamsi sicca, radios et vasa succosa prodit, quae majora et distinctiora sub microscopio in Hispanica radice, quam Franconica, apparent. Sapor radicis dulcis, inprimis parte corticali, et nonnihil mucilaginosus; diutius gustata levem amaritiem prae se fert. Coctione ingrate amarescit. Aqua extractum dimidii fere ponderis radicis eruitur; spiritu vini autem extractum, quod modo quartam circiter ejus partem constituit; quod ipsum prius dicto dulcius longe est, utpote non insipida mucilagine commistum (LEWIS *M. m. p.* 297.) Ab aliis dulcibus Glycirrhiza in eo differt, quod difficile fermentationem subeat. Eligatur radix tenax, dissecta laete flava, radios et vasa succosa prodens, rejiciatur mucida et cariosa.

VIRES. A principio saccharino contento dependent.

USUS. Ad decocta edulcoranda forma infusi additur; in Tussi catarrhali simplici pulvis cum gummi arabico. Ad conspergendas pilulas.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

EXTRACTUM LIQUIRITIAE, SEU SUCCUS LIQUIRITIAE DEPURATUS. } *vide praeparata P. II.*
PASTA LIQUIRITIAE.

N. ph. L. RADIX MEZEREI.

N. germ. *Seidelbastwurzel, Kellerhalswurzel, Bergpfefferwurzel.*

N. syst. L. (Daphne Mezereum.)

Icon. Vide BLACKWEL Herb. Tab. 582. ZORN Pl. med. Tab. 3. *Flor. Danic.* p. 268.

Partes usuales. *Radix, Cortex radicis, et Cortex trunci vel ramorum; recentia et sicca.*

Tempus collectionis. *Radix, Cortex radicis et trunci vel ramorum, vere ineunte colligenda.*

Daphne Mezereum; floribus sessilibus ternis caulinis, foliis lanceolatis deciduis LINN. *Sp. pl. p.* 509.

Est frutex quatuor supraque pedum in sylvis, praecipue Germaniae frequens, primo vere floribus purpureis hyacinthini oderis oblectans; hinc et in hortis hospitari solet. Rarior in Anglia, ubi tamen prope Andover in Hampshire recentius inventus est. RADIX calamum scriptorium et supra crassa, brevis, laevis, cortice tenui e flavo bruno tecta, intus lignosa et alba. Corticis sapor ad primum gustatum vix acris, sed paulo post sensum ardoris producit vix tollerandum; id non in sicco unice cortice sed et in recenti contingit. Rejiciatur Radix inveterata, acredine destituta. Corticis unciae duae digestae aqua calida erogant extracti gummosi fere drachmas duas cum dimidia; extractum spirituosum secundum praebet resinae purissimae grana quadraginta octo. Extracta haecce, prout et illud aceto factum, tarde linguam afficiunt, sed post horae quadrantem sat acrem et diuturnum stimulum impertiunt, instar Dracunculi masticati, vehementiorem extractum resinosum, leniorem illud aceto paratum. Aqua destillata albicans saporis moderate acris absque olei peculiaris vestigio. (ENGEL *Specimen med. p.* 5.) CORTEX *ex trunco* vel *ramis* tenuis sit, aliquo modo striatus, extrinsecus cuticula subtili cinerea in rubrum vergenti tectus, postea viridis, succosus et intrinsecus libero albo tenaci in fibras lineares scissili obductus.

VIRES. *Externe* irritantes, rubefacientes, quandoque vesicantes; *interne* diaphoreticae et diureticae.

USUS. *Externe* in morbis chronicis ad revulsionem et humores acres obstruentes ad partem quandam avocandos, evacuandos et effluxum horum diutius conservandum. Sic in morbis oculorum et aurium, in rheumatismis chronicis, exanthematibus chronicis retropulsis, Fonticulis exsiccatis, in Paralysi. In morbis acutis non adhibenda. In his vesicantia et sinapismi celerius agunt et tutius. *Interne* in doloribus osteocopis venereis, rheumatismis, morbis cutaneis venereis.

DOSIS. Drachmae duae *radicis recentis* forma decocti et uncia semis *corticis recentis.* Radix in libris tribus ad duas cocta, ad libram semis in decocto exhibetur sensim ascendendo. *Corticis,* qui cum sex libris aquae ad qua-

quatuor cocti addita adhuc uncia semis liquiritiae ab initio dimidium, dein integra portio decocti de die sumitur. Facile vomitum excitat.

N. ph. l. V. RADIX ONONIDIS SPINOSAE.

N. germ. *Hauhechelwurzel*, *Ochsenbrechwurzel.*

N. syst. L. (Ononis arvensis.)

Icon. Vide BLACKWEL Hb. Tab. 301. ZORN Pl. med. Tab. 131.

Partes usuales. *Radix sicca.*

Ononis arvensis; floribus subsessilibus racemosis geminatis, foliis ternatis, superioribus solitariis, ramis spinosis LINN. *Syst. veg. p.* 541. *gen. pl. p.* 370.

Est planta perennis vel frutescens indigena vulgaris ad vias et in aridis. RADIX cylindrica, pollicem crassa, pedem et supra longa, ramosa, tenacissima, extus fusca, intus alba, saporis subdulcis, quodammodo nauseosi et subfoetidi.

VIRES. Aperientes, diureticae, interdum valde moventes.

USUS. In Ischuria calculosa, in Sarcocele, Hydrocele.

DOSIS. Pulveris drachma una bis de die datur, vel uncia una radicis in quatuordecim unciis aquae coquitur, et libra una sit quotidie pro dosi.

PRAEPARATUM.

SYRUPUS ONONIDIS, LOCO 5 RADICUM.) *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ RADIX ORCHIDIS, seu SATYRIONIS, seu SALAP.

N. germ. *Knabenkrautwurzel*, *Stendelwurzel*, *Kukusblumenwurzel*, *Salapwurzel.*

N. syst. L. (Orchis mascula.)

Icon. Vide JACQUIN in Icon. pla. rarior. Tab. 180. HALLERUS Hist. stirp. Helvet. n. 1283. Tab. 33. *Flora Danica* Tab. 457. ZORN Tab. 275 et 267.

Partes usuales. *Radix sicca.*

Tempus collectionis. *Colligi debet aestate exeunte, quando semen maturari, stirps vero emarciari incipit.*

Orchis mascula; bulbis indivisis, nectarii labio quadrilobo crenulato; cornu obtuso, petalis dorsalibus reflexis LINN. *Sp. pl. p.* 1333.

Est planta perennis, in pratis, pascuis, sylvis et arboretis indigena. RADIX bulbosa, oblonga, in parte inferiori nonnihil acuminata, solida, du-

ra,

ra, carnosa, circiter magnitudinis nucis moschatae, saporis mucilaginosi, coloris pallidi. In colligenda radice communiter duo vel tres inveniuntur bulbi, ex quibus solidiores, et succosi eligendi, rugosi ac exsucci rejiciendi sunt. Radices ejusdem ferme figurae, qualitatis et virtutis largiuntur *Orchis bifolia*, *Orchis militaris*, *Orchis morio* LINNAEI; quia vero *Orchis mascula* LINN. grandiore radice praedita et eodem modo copiose habetur ut *Orchis morio*, illam elegi.

Nomen *Salap* Turcis et Persis idem significat ac apud nos Orchis; olim enim Radix Salap ex Persia et China nobis allata fuit, nunc autem tam observationes quam experimenta chemica et practica in Gallia, Suecia, Anglia et Germania facta extra dubium posuerunt omnes plantas praedictas ex genere Orchidum in Europa indigenas suppetere radices, neque notis externis, neque interne natura nec virtutibus medicis Salap orientali secundas. Modus praeparationis in Europa est sequens; harum, nimirum radicibus aqua lotis, postquam aquae calidae intinctae fuerant, ope lintei rudioris cuticula externa detergitur, dein filo trajecto suspensae aere siccantur.

Plurimum operae efficit separatio cuticulae, unde et ideo tanto majori pretio venditur, ea tamen relicta neque sapori neque salubritati aliquid decedere observatum fuit. Radices sic praeparatae sunt transparentes, duritiei instar cornu, tenaces, coloris ex flavo - albicantis, saporis mucilaginosi instar Tragacanthae, odoris nullius, odorem enim hircinum, quem recentes possident, siccando perdunt. Masticatae radices penitus in ore difluunt in mucilaginem et labia adglutinant. Drachma una hujus radicis Salap dissoluta in octo unciis aquae ebullientis lagitur mucilaginem gummi Tragacanthae similem. Hac mucilagine radicis Salap subiguntur oleosa et resinae; et retardat lactis fermentationem acidam. In pulverem trita radix solvitur non solum aqua, lacte, sed et vino et aceto, non autem spiritu vini aut oleis. Continet praeterea in centum partibus radix viginti octo acidi Sacchari juxta cel. MÖNCH.

VIRES. Nutrientes, involventes.

USUS. In febribus cum diarrhoea symptomatica, in dysenteria, diarrhoea, tabe, et ubicunque nutriendum.

DOSIS. Drachma una ad duas. In jusculo per se, aut cum Cerasis recentibus aut siccatis, Uvis contusis et simul coctis scopo nutriente. In aqua cocta instar medicamenti ita, ut drachma una radicis ad libram unam et semis aquae adhibeatur.

N. ph. l. RADIX OREOSELINI.

N. germ. *Grundheilwurzel*, *Bergpetersiliewurzel*, *Vielgutwurzel.*

N. syst. L. (Athamanta Oreoselinum.)

Icon. Vide ZORN Pl. med. Tab. 400. RIVIN. Pentap. Tab. 8.

Partes usuales. *Radix*, *Herba et Semen*; *sicca.*

Athamanta Oreoselinum; foliolis divaricatis LINN. *Sp. pl. p.* 352.

Est

Est planta perennis, in rupibus collibusque apricis Helvetiae, Galliae, Angliae, Germaniae, item in pratis siccioribus et plerisque collibus Scaniae crescens. RADIX fusiformis extus cuticula nigra obducta, intus alba, in medio lignosa, ex albo flavescens, saporis amari aromatici, odoris aromatici grati, succosa, succum vulnerata lactescentem fundens, subamarum, glutinosum, qui exsiccatus in resinam ex rufo aureum perlucentem concrescit. Recens destillatione aquam fragrantem erogat. Tinctura ex eadem Spiritu vini facta saporis et odoris Essentiae Pimpinellae. Infusum aquosum gratum habet saporem et odorem corticum citri. Extractum aquosum ejusdem aut vinosum primo acidulum, postea summe amarum et adstringens. Infusum HERBAE gratum quoque odorem corticum citri possidet. SEMEN ovatum, compressum, planum, leve, cinctum margine albicante membranaceo, nares acriter ferit, saporis gravis instar corticum aurantiorum. Efficacissima est aqua, ex seminibus eruta, vires eorundem colligens.

VIRES. Aperientes, incidentes, roborantes, diureticae.

USUS. In Hydrope, Obstructionibus jecoris et lienis, Ictero, in Calculo, in laxitate primarum viarum, Cachexia, Chlorosi.

DOSIS. In pulvere a granis decem ad viginti aut triginta *Radicis.* In infuso uncia semis, una. *Seminis* eadem.

PRAEPARATA.

AQUA DESTILLATA OREOSELINI, *paratur ex semine.*
TINCTURA SEU ESSENTIA OREOSELINI, *paratur ex radice.*
} *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. ⊙ RADIX PIMPINELLAE ALBAE.

N. germ. *Pimpinellwurzel, Bibernellwurzel, Steinpeterlein, Pfefferwurzel.*

N. syst. L. (Pimpinella Saxifraga.)

Icon. Vide BLACKWEL Herb. Tab. 492. ZORN Pl. med. Tab. 108.

Partes usuales. *Radix sicca.*

Pimpinella Saxifraga; foliis pinnatis foliolis radicalibus subrotundis, summis linearibus LINN. *Syst. veg. p.* 241. *Gen. pl. p.* 145.

Est planta perennis, in collibus et pratis apricis frequens. RADIX vix digitum crassa, spithamam longa, extus e flavo cinerea, intus alba, nucleo nonnihil lignoso, punctis notata resinosis, saporis amaricantis, acris, pungentis, recens odoris penetrantis, volatilis. Rejiciatur inveterata, fragilis, saporis vix acris; quae in pratis humidis crescit non colligenda est, minoris enim est virtutis. Verum ejusdem menstruum spiritus vini est, nam exiguam modo partem sibi aqua vindicat. Oleum, quod una cum aqua destillatione ascendit essentiale, flavum est acerrimum.

vi-

VIRES. Stimulantes, diaphoreticae et diureticae, incidentes, stomachicae.

USUS. In morbis pituitosis primarum viarum, pectoris, et faucium.

DOSIS. In pulvere a granis decem ad drachmam semis, in infuso drachmae duae, aut uncia semis.

PRAEPARATUM.

TINCTURA SEU ESSENTIA PIMPINELLAE.) *vide praeparata P. II.*

N. ph. l.	RADIX POLYGALAE AMARAE CUM TOTO.
N. germ.	*Bittere Kreuzblumenwurzel, bittere Polygalawurzel.*
N. syst. L.	(Polygala amara.)
Icon.	Vide ZORN Pl. med. Tab. 83.
Partes usuales.	*Radix et Herba, sicca.*
Tempus collectionis.	*Est Mense Junio.*

Polygala amara; floribus aristatis racemosis, caulibus erectiusculis, foliis radicalibus obovatis majoribus LINN. *Sp. pl. p.* 987.

Est planta perennis, in montosis Austriacis, Saxonicis, Magdeburgensibus, Silesiacis, Goettingensibus etc. crescens. RADIX ex capite nodoso multas fibras racemosas et fibrillis stipatas germinans; extus ex albo grisea, intus albida, saporis balsamici amaricantis. *Polygala amara* cum *herba* colligitur et ne in colligendo cum *vulgari* commutetur, ut saepe fit, scito *herbam polygalae amarae*, foliis radicalibus valde numerosioribus, majoribus, crassioribus, latioribus et ovatis, intense amaris et caulibus multis, partim procumbentibus, partim erectis, distinguendam esse a *vulgari*, quae praeterea saporis ferme nullius est. Cave ne in udis et paludosis pratis crescentem colligas, quae raro coeruleos sed plerumque albos monstrat flores et pro amaro sapore, herbaceo baccis fragarum simili et nonnihil ingrato praedita est.

VIRES. Demulcentes, roborantes.

USUS. In Phthysi pulmonali pituitosa et ulcerosa cum lactis usu.

DOSIS. Forma pulveris a granis viginti ad drachmam semis bis de die, in decocto uncia una in libra una aquae ad remanentiam medietatis cocta vasculatim de die, optime tamen pulvis forma pilulari cum melle.

N. ph. l. V. ⊙ RADIX PTARMICAE.

N. germ. *Wilde Bertramwurzel, weisser Dorant.*

N. syst. L. (Achillea ptarmica.)

Icon. Vide BLACKWEL Hb. Tab. 276. ZORN Pl. med. Tab. 342.

Partes usuales. *Radix sicca.*

Achillea ptarmica; foliis lanceolatis acuminatis argute serratis LINN. *Sp. pl. p.* 1266.

Est planta perennis, in pratis humidis, ad agros et in pascuis udis crescens. RADIX longa, tenuis, tenax, fibrosa, extus cinerea, intus alba, saporis urentis, mordacis, salivam excitantis, naribus attracta sternutationem movens. Vulgo radici *Pyrethri* substituitur et omni quidem jure, qua re etiam pro illa, quae peregrina est, et raro in officinis genuina occurrit, colligatur et servetur.

VIRES. Sternutatoriae, apophlegmatisonta.

USUS. Collutorium in odontalgia, et angina pituitosa ad faucium mucum eliciendum datur.

N. ph. l. V. ⊙ RADIX RHABARBARI VERI, seu RHEI ORIENTALIS.

N. germ. *Rhabarbarwurzel, Rhabarber.*

N. syst. L. Utrum *Rheum undulatum* LINN. vel *Rheum palmatum* LINN. vel *Rheum compactum* LINN. vel *Rheum hybridum* LINN. radicem largiatur Rhabarbari nostrarum officinarum, vel utrum ex pluribus nominatis speciebus desumatur, adhuc ambiguum.

Icon. *Rhei palmati* LINN. vide ZORN Pl. med. Tab. 255. *Rhei rhabarbari* sive potius *undulati* LINN. Tab. 418.

Partes usuales. *Radix sicca.*

Omne Rheum in pharmacopoliis prostans, radix est decorticata, solida, compagis spongiosae, levis, extus obscure flavi vel ex albo lutei, vel ex viridi lutei, intus aurantii coloris, rubris et albis maculis striisque variegati, odoris peculiaris quodammodo aromatici, saporis amari, subacris, subadstringentis et ingrati. Triplici via nostris officinis procuratur haec radix; imo Itinere maritimo ex China et India orientali a belgis petitur, idque Rhabarbarum *Sinicum*, *Chinense*, *Indicum* sive *Hollandicum* nominatur. 2do Itinere terrestri, vel per Turcas adportatum unde *Turcicum* nominatum, vel a mercatoribus Bucharicis, Kiachtam Sibiriae transvehitur, hujusque emtionem ut jus peculiare Russia sibi vindicat, quod *Russicum*, *Sibiricum*, *Moscoviticum* nuncupatur; 3tio et in diversis Europae regionibus

e. g. in Anglia, Scotia, Gallia, Suecia et etiam in Germania, ibi praeprimis in Palatinatu, in Borussia et in ducatu Brunsuicensi, plantationes non parvae *Rhei palmati* LINNAEI coluntur et bene succedunt, hinc inde etiam experimenta hujus generis minora capta sunt, et radices hujus *Rhabarbari indigeni* in chemicis et medicis examinibus bene steterunt, ita ut omnino verisimile sit, in variis officinis praesto esse et dispensari.

Rhabarbarum optime notae est *Russicum* et *Turcicum* itinere terrestri advectum, ergo nec humido maris attracto, nec vaporibus mercium aliorum adjacentium depravatum, et praecipue, quia in Russico regno binas censuras subit, omnes vitiosas radices segregantes et delentes. Quod *Rhabarbarum Russicum* in frustis ex cultro applicato multangularibus, oblongis, subteretibus, palmaribus, pollices duos vel infra crassis, vel prostat in subplanis, latioribus ungulae equinae similibus, utraque species foraminibus perforata, censurae Russicae forsan reliquiae. Rhabarbarum, quod *Turcici* nomine in officinis signatur, descripto Russico simillimum solis exceptis foraminibus. *Rheum Indicum sive Hollandicum*, in frustis praesto est longioribus, subteretibus, durioribus et compactioribus, cum lateribus duobus planis, forsan expressione vehementi exortis. *Rhabarbari Europaei* vel *indigeni* frusta communiter sunt minora, transversim secta, coloris viridis lutei, odoris et saporis quidem rhabarbarini, sed amarioris, nec stridorem inter dentes excitantia.

Eligatur Rhabarbarum cujus frusta sunt solida, sed non lapidea, externe obscure flava in rubicundum vergentia, vel ex albido lutea, vel ex viridi lutea, quae coloris diversitas an solo, an diversitati speciei, an modo siccandi tribuenda? nondum constat, et quae digitis fricata colorem dictum nullo modo amittunt; interne omnia frusta sint coloris lutei vel crocei, roseis et albidis punctis, subinde Stellulis et striis flexuosis conspicua, facile in pulverem contundenda pallide luteum, masticata strideant inter dentes, et salivam protinus colore imbuant croceo, nec saporem gignant viscidum sive mucilaginosum; sal tartari liquidum frustulis instillatum colorem priorem mutet in fuscum ruborem, odor et sapor sit supra descriptus. Omne Rheum coloris insueti v. c. nigricantis, odoris minoris vel alieni, vel plane nullius, cariosum et mucidum, strenue rejiciatur. Ad celandas verminosas erosiones, foramina subinde pulvere rhei implentur, sic et ad malam qualitatem occultandam, externe ochra flava vel pulvere rhei boni frusta illiniuntur, quae fraus facile manu amovetur; quod si vero hocce illinimentum Tragacanthae mucilagine factum, radix hujus fraudis suspecta frangenda et caries et depravatio interne inquirenda. Radices *Rhapontici*, frustis Rhei veri immixtae facile per colorem extus profundius brunum, intus ex albo et subluteo et striis radiosis rubellis ex peripheria ad centrum percurrentibus variegatum, per saporem subviscidum, et subdulcem magisque adstringentem ac per odorem debiliorem, discernuntur. Planta ex qua Rhabarbari radix habetur est perennis, in Mongoliae ditione Chinensibus subjecta sponte crescens, ac uti dictum in Europa arte colitur.

Odora Rhei pars una ex praecipuis est, quibus illud conflatur, quae si perit, virtutis purgantis plurimum simul sufflaminatur. Dispellitur facilius in pulvere radicis, quam eadem integra, hinc non debet diu in pulve-

re

re servari. Tostione quoque fortiori, item coctione avolat, ex vulgari experientia, quin ipsa radicis aetate. Imo aqua ejus destillata nauseosa et purgans est. Gummosae et resinosae partes maximum rhei pondus efficiunt, quarum gummosae autem superant alterum genus. Proportio earum inconstans est, ut conferendo experimenta vario tempore et a variis Chemicis facta elucet, et tam arctus inter hasce nexus obtinet; ut menstruum sive aquosum sive spirituosum utriusque generis partes una excipiat. Quartum partium genus, quae radicem ingrediuntur, ad novissima tempora usque neglectum fuit, quum tamen reliquis facilius longe se se prodat. Est haec ejus pars ad speciem terrea, quae albedine sua et stridore inter dentes mox cognoscitur, plane insipida. Ex infuso aquoso radicis ruditer pulverisatae in quiete posito terrá ista ob pondus gravius fundum petit; tum liquido tincto defuso repetitis vicibus aqua calida infundatur, donec terra perfecte albescat. Haec siccata inter digitos refert sabulum subtile. Quo annosior radix est, eo plus hujus terrae continet, ita ut ex Rhei diu servati drachmis tredecim unciam ejus unam elicuerit cel. SCHEELE (BERG. *M. m. p.* 336). Est haec ipsa sal aqua insolubile ex acido Acetosellae, quod cl. vir cum acido Sacchari idem censet, et calce conflatum, species selenitis, quae et in aliis variis vegetabilibus latet et a cl. viro, sed minori quantitate, eruta. Infusum radicis aqua paratum, aeque aç spirituosum colorem croceum induit, sed hoc posterius pallidiorem; a solutione martiali addita nigrescit, quod adstringentes ejus vires denotat.

VIRES. Leniter laxantes, roborantes, et parum calefacientes. Urinam croceo rubro colore tingit.

USUS. Infantibus neonatis inservit ad moeconium evacuandum, in dysenteria sine febre et inflammatione, in constipatione Hypochondriacorum et Hystericarum a laxitate, in diarrhoeis a laxitate, in Ictero, in acido primarum viarum, in gravidis constipatis a laxitate et ubi alia laxantia nimium irritant, nutricibus, et haemorrhagiis subjectis a laxitate, in nimio fluxu haemorrhoidum cum saburra. Post morbos devictos, praecipue gastricos, ad tonum primarum viarum restituendum tanquam stomachicum forma Tincturae. *Externe* pulvis subtilissimus *Rhabarbari* in ulceribus rebellibus mali moris, praesertim crurum, quae non tam in senili aetate infesta esse solent, verum etiam juvenibus utriusque sexus athletice valentibus, nullaque humorum acrimonia infectis, non raro molestissimis, nullis remediis cedentibus, quin imo in pejus ruentibus a celeb. Chirurgo Anglo HOME inspergitur, in rebelli casu bis de die initio; quod si in nonnullis aegris hic pulvis ulcus nimium irritet, quod tamen raro contingit, solet IDEM drachmam *Opii* unciae integrae pulveris *Rhabarbari* rite triturando miscere, ut *Opium* aequabiliter per massam diffusum sit: atque haec *Opii* quantitas moderari potest pro gradu irritabilitatis, qui peculiaris est unicuique ulceri. Hic pulvis initio utplurimum aliqualem excitat ardorem, gradatim evanescentem, carnem spongiosam et luxuriantem coercet, ichorem in blandum pus convertit et totum ulcus ad cicatricem formandam disponit.

DOSIS. Pulvis infantibus usque ad unum annum decem grana, usque ad decimum annum grana viginti; adultioribus drachma semis, una, aut una et semis exhibentur. Vel enim scopo laxante aut roborante et simul solvente propinatur forma Pulveris, Pilulari, Tinctura, Syrupi, aut Extracti. Adultis grana quinque ad grana decem omni secunda aut tertia hora scopo roborante exhibentur. In plethoricis et dispositione febrili aut inflammatoria *Rheum* nunquam exhibendum.

PRAEPARATA.

EXTRACTUM RHABARBARI SEU RHEI. TINCTURA SEU ESSENTIA RHEI SPIRITUOSA SEU DULCIS. SYRUPUS RHABARBARI SEU RHEI.	*vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ RADIX RUBIAE TINCTORUM.

N. germ. *Färberröthe*, *Krapp*.

N. syst. L. (Rubia tinctorum.)

Icon. Vide BLACKWEL Hb. Tab. 326. ZORN Pl. med. Tab. 331.

Partes usuales. *Radix sicca.*

Rubia tinctorum; foliis annuis, caule aculeato *Syst. veg. p.* 218.

Est planta perennis, in Italia, Gallia, Helvetia spontanea, in Germania arte culta. RADIX longa, reptans, ex trunculo nodoso, calamum anserinum crassis, lignosis fibris, exortis lateralibus obsessa, extus parenchymate pallide bruno, tenui obducta, intus rubra cum medulla rubicundiori, saporis subadstringentis aliquantulum amari. In officinis praesto sit a parenchymate lignoso, quantum fieri potest, liberata, ergo extus et intus eleganter rubra, rejiciatur nigrescens, maculis notata, cariosa, pulverulenta. Color alcali elevatur, acido obscuratur; nec siccata radix modo, sed et recens tingit. Tingit tam aquam, quam spiritum vini et olea destillata rubedine sua.

Singulari exemplo casu primum, dein experimentis crebris, constitit, illam in ipsa adeo ossa colorem suum transferre, si animalia radice in pulverem trita aqua lacteque subacta per aliquot dies nutriuntur. Perit vero rubedo ossis, si loco Radicis rubiae consuetum pabulum animali iterum per aliquod tempus offertur. Ut ne vero credas, solida unice quaedam corporis animalis Rubia colorari: sciendum fluidis ut lotio, sanguini, sero, lacti, bili idem contingere recenter pariter confirmatum. Omnes enim terrae absorbentes et multae partes animales juxta cel. BRUGNATELLI (vide CRELLS *Ann. len* 1787 *l. c. p.* 415) partem tingentem Tincturae Laccae coeruleae attrahunt, ita et Decocto Rubiae tinctorum et omnibus vegetabilibus tingentibus contingit. Oritur enim color ossium tinctorum a vi attrahente terrae calcareae materiam colorantem, quae vero ad humores ossium emendandos nihil efficit.

V I-

VIRES. Leniter adstringentes, ossa et urinam rubro colore tingentes.

USUS. In morbis ossium, rachitide, Tussi chronica et ictero nigro.

DOSIS. Drachmae duae ad unciam semis in decocto; etiam ad unciam semis radicis in decoctione grana quinque aut decem Salis alcalini vegetabilis adduntur.

N. ph. l. V.. ⊙ RADIX SAPONARIAE RUBRAE.

N. germ. *Seifenkrautwurzel, rothe Seifenkrautwurzel.*

N. syst. L. (Saponaria officinalis.)

Icon. Vide BLACKWEL Hb. Tab. 113. ZORN. Pl. med. Tab. 136.

Partes usuales. *Radix et Herba; sicca.*

Saponaria officinalis; calycibus cylindricis, foliis ovato - lanceolatis LINN. *Sp. pl. p.* 584.

Est planta perennis, in locis ruderatis ad vias aggeresque crescens; in hortis facile luxuriat, in quos varietas flore pleno rubro aliquando recipitur. RADIX profunde descendit cylindrica duorum vel trium pedum, digitum circiter minimum crassa, geniculata, superne ramosa, fibrosa, solida, extus recens vestita epidermide ex rubro flavescente, siccata vero ruffa, intus albidi vel ex albo flavescentis coloris, saporis primo subdulcis, subglutinosi, postea vero amaricantis subausteri, odore caret; Decoctum radicis agitatum instar saponis spumescit et sordes pingues linteorum, si eodem lavantur, eluit; hoc principium saponaceum vero ab acidis non decomponitur, ut in sapone contingit. Aqua insignem ejus partem elicit, scilicet ex unciis duabus radicis Extracti drachmas sex et grana viginti quatuor obtinuit (CARTHEUSER *M. m. p.* 448). Hocce initio subdulce dein notabilem linguae acrimoniam imprimit. Spirituosum Extractum quantitate longe minori se se effert, sed acrius et penetrantius cum sensu constantiori (IDEM l. c.) Extracta quoque ore agitata salivam proliciunt eamque spumescentem reddunt. Haecce singularis natura manifestius tamen in foliis se se declarat et ideo putat cel. MURRAY (*Apparatus Med. T. III. p.* 507) folia esse radici praeferenda et quantum apparet, istis potissimum olim auctores usos fuisse. Hodie tamen Radicem Saponariae rubrae *Sarsaparillae* parem, imo efficaciorem plurimi practicorum censent. Saepe in officinis pro Saponaria genuina sive rubra, occurrit radix, *Lychnidis Dioicae* LINN. quae a quibusdam etiam Saponaria alba appellatur, carente rubore et sapore, hinc et efficacitate nulla, facile discernenda; radices *Cucubali Behen* LINNAEI (*Lychnis sylvestris* BLACKWEL Tab. 286. etiam pro radicibus Saponariae verae passim colliguntur et adhibentur.

VIRES. Solventes, acrimoniam lymphae corrigentes, purificantes.

USUS. In morbis cutaneis, venereis, Rheumatismis, Arthritide.

DO-

DOSIS. Drachmae duae aut uncia semis aut una in decocto per se aut cum radice *Caricis arenariae, Stipitibus dulcamarae, Ligno Guajaco*; *et radicem Sarsaparillae exoticae* pulcherrime supplet.

PRAEPARATUM.

EXTRACTUM RADICIS SAPONARIAE.) *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. RADIX SARSAPARILLAE EXOTICAE, seu AMERICANAE.

N. germ. *Sarsaparillwurzel amerikanische.*

N. syst. L. (Smilax Sarsaparilla.)

Icon. Vide BLACKWEL Hb. Tab. 393. ZORN Pl. med. Tab. 560.

Partes usuales. *Radix sicca.*

Smilax Sarsaparilla; caule aculeato angulato foliis inermibus ovatis retuso-mucronatis trinerviis LINN. *Sp. pl. p.* 1459.

Est frutex sarmentosus in America praecipue in regno peruviano, Mexicano, et Brasilia sponte crescens. In nostris pharmacopoliis solummodo praesto sunt RADICIS crassae, longae, tuberosae rami aliquot pedes longi, ad pennam usque anserinam crassi, fibris parvis amicti, tenaces, flexiles, facillime juxta longitudinem diffindendi et diversimode invicem complicati, qui foris aliquantulum rugosi, longitudinaliter sulcati et ex griseo fusci, interne albi apparent. Sapor subamarus, farinaceus et subviscidus.

Eligantur rami externe ex griseo fusci, interne albidi, in margine rubelle radiosi, pennae anserinae crassitie et facillime scissiles; rejiciantur fragiles, duri, lignosi, valde fibrosi, nigricantes, farinacei et cariosi. Adferuntur ex regno Peruano et Mexicano, ubi frutex sponte crescit, in corbibus vel globosis vel sphaericis, ibi externe optimi a fibris liberati rami sunt collocati, interne vero communiter viliores et ramenta. Rami cum trunculo adhuc connexi et laxe invicem colligati sub appellatione Sarsaparilla de Honduras ad nos allati, minoris sunt virtutis. Decoctum fatuum lenissime salsum pronunciat illu. v. SWIETEN (*Comment. T. 5. p.* 568). Extractum praeterea aquosum amaricans (NEUMANN), spirituosum autem subacre (CARTHEUSER). Aqua lota spumam agit et manus nitentes reddit (ERNDTELII *Warsavia phys. illustr. p.* 212).

VIRES. Similes *Saponariae.*

USUS. Idem.

DOSIS. Unciae quatuor Sarsaparillae cum libris quatuor ad remanentiam librarum duarum coquuntur; sic per longius tempus continuatur.

N.

N. ph. l. V. RADIX SCORZONERAE.

N. germ. *Wilde Scorzonerwurzel, wilde Haberwurzel, Natterwurzel.*

N. syst. L. (Scorzonera humilis.)

Icon. Vide ZORN Pl. med. Tab. 296.

Partes usuales. *Radix sicca.*

Scorzonera humilis; caule subnudo unifloro foliis lato - lanceolatis nervosis planis LINN. *Sp. pl. p.* 1112.

Est planta perennis, in pratis, pascuis nemorosis indigena. RADIX longa, digitum aut calamum scriptorium crassa, lignosa, fragilis, annulata, foris ferruginea, intus alba, saporis subamari et recens lactescente succo praedita. Ne huic radici Scorzonerae verae officinali *Scorzoneram hispanicam* LINN. substituas, quae mere oleracea est, in omni horto culinari colitur, et cujus radix recens foris nigra, pollicem crassa, carnosa et saporis dulcis est, siccata vero ruffescit et sapore fere omni destituta evadit. Extractum tam aquosum quam spirituosum subamarum est, prius radicis dimidiam, alterum tertiam partem aequat. CARTHEUSER et LEWIS.

VIRES. Aperientes, temperantes.

USUS. In variis morbis chirurgicis ab acrimonia humorum pro potu ordinario.

DOSIS. Uncia una radicis cum libra aquae ad remanentiam unciarum octo coquitur.

N. ph. l. RADIX SENEGAE, seu SENEKAE.

N. germ. *Senekawurzel, Klapperschlangenwurzel.*

N. syst. L. (Polygala senega.)

Icon. Vide MILLER'S Gard. Dict. ad speciem 5 comm. Noric 1741. Tab. 4. Fig. 1, 2, 3.

Partes usuales. *Radix sicca.*

Polygala senega; floribus imberbibus spicatis, caule erecto herbaceo simplicissimo, foliis lato - lanceolatis LINN. *Sp.pl. p.* 990.

Est planta perennis, in Virginia, Pensylvania et Marilandia spontanea. RADIX ex vertice nodoso ramosa, digitum fere longa, pennam anserinam crassa, lignosa, flexuosa, nodosa et articulata, crista membranosa utrique lateri adhaerente. Cortex radicis crassus, resinosus, flavescens, epidermide cinerea vestitus, medullam cingit duram lignosam et albam, quae iners est. Sapor primo farinaceus, mox subacidus, et denique acris et amarus.

Analysin chemicam studiose cel. KEILHORN et BURCKHARD (*Diss. de Radice Seneka Argent.* 1750) persequuti sunt. Infusum corticis aqua factum primo amaricans, dein acre, quem sensum cum constrictione faucibus praecipue circa uvulam imprimit. Sapor extracti aquosi, quod ⅓ aequat, idem. Spiritus vini parciorem quantitatem abripit, nempe Extractum

tum eodem paratum ℥ aequat, quod ipsum Myrrhae instar amarum, sed altero longe mitius est. Verum et lignosa radicis pars Extractum tam aquosum quam spirituosum praebet, quorum istud amaricans et acre, hoc utroque momento debilius est. Experimenta hujus generis, si integra radice fiunt, rationes nonnihil diversae notantur.

VIRES. Sudoriferae et diureticae, solventes, emeto - catharticae.

USUS. In peripneumonia et pleuritide, hydropis variis speciebus, acrimonia humorum, asthmate humorali, in rheumatismis, arthritide, intermittentibus, morbis pituitosis et vermibus.

DOSIS. Forma pulveris a granis decem ad quindecim; in decocto uncia semis radicis in unciis sedecim aquae ad remanentiam medietatis coquitur et inde omni hora cochleare unum exhibetur. Pulvis omni secunda aut tertia hora cum aqua aut melle mixtus exhibetur. Haec radix facile vomitum et alvum movet, hinc debita cautela adhibenda. Fortasse adhuc per alia indigena medicamina viribus superatur et superflua redditur.

N. ph. l. RADIX SERPENTARIAE VIRGINIANAE.

N. germ. *Virginische Schlangenwurzel.*

N. syst. L. (Aristolochia serpentaria.)

Icon. Vide CATESBY nat. History of Carol. T. I. p. 29. Tab. 29.

Partes usuales. *Radix sicca.*

Aristolochia serpentaria; foliis cordato-oblongis planis caulibus infirmis flexuosis teretibus, floribus solitariis LINN. *Sp. pl. p.* 1363.

Est planta perennis, in America septentrionali inprimis in Virginia habitans. RADIX formatur ex copia fibrillarum numerosarum invicem complicatarum ex trunculo saepe particulis herbae adhuc instructo, nodoso, praemorso erumpentium; extrinsecus ex viridi brunei, intus pallidi vel flavescentis coloris, odoris aromatici, Valerianae quodammodo similis, camphoracei, saporis ejusmodi amaricantis, pungentis, aromatici. Coctione vires perdit; Extracti gummosi ℥ et resinosi ℨ CARTHEUSER obtinuit, quae ambo camphoram redolent, praecipue vero ultimum.

VIRES. Calefacientes, stimulantes, sudoriferae.

USUS. *Interne* in febribus malignis viribus in integrum exhaustis, in intermittentibus, in sphacelo: *externe* in angina gangraenosa.

DOSIS. In pulvere a granis viginti ad drachmam unam; in infuso ad drachmas duas, per se aut cum cortice peruviano, acido vitrioli, salibus mediis, aut camphora exhibetur. Agit haec radix instar camphorae, sed stimulus hujus adhuc diutius durat. Hinc in exanthematibus retropulsis aut viribus dejectis ad horum eruptionem promovendam. Forma pulveris in vino sumpta efficacissima.

N.

N. ph. l. ☉	RADIX SQUILLAE, seu SCILLAE.
N. germ.	*Meerzwiebel, Mauszwiebel.*
N. syst. L.	(Scilla maritima.)
Icon.	Vide ZORN Pl. med. Tab. 380.
Partes usuales.	*Radix seu Bulbus recens.*

Scilla maritima; nudiflora; bracteis refractis LINN. *Sp. pl. p.* 442.

Est planta perennis in locis arenosis prope mare in Lusitania, Hispania, Sicilia, Normandia, Africa septentrionali, et Syria spontanea; praecipue ex Hispania et Natolia ad nos advehitur. RADIX recens est bulbus pugni magnitudinis, et ultra, pondere librae unius aut quatuor, pyriformis, ex squamis supra obtusis, carnosis, crassis in latere utroque attenuatis, nervosis consistens, aliisque vero exsuccis, membranaceis, tenuibus et lineatis tunicatus. Ex bulbi basi prodeunt fibrae numerosae, quae vero ante usum cum squamulis effoetis praeciduntur. Squamae externae vel rubrae vel albae sunt, internae vero semper albae vel pallide viridescentes. Bulbus ruber olim, etsi temere, albo efficacior aestimatus, ergo in medicina frequentioris usus est.

RADIX recens tota scatet albo et viscido succo tam acri ut manibus pruritum, ustionis sensum, quin vesiculas excitet, saporis acris est valde amari et nauseosi, odoris ferme nullius. Vel bulbus integer vel squamae ejus siccatae, fragiles, ac convexae, subpellucidae, intus glabrae ac lineatae, et masticatae tenaces absque acrimoniae manifestae indiciis, valde amarae nobis divenduntur. Pharmacopola Scillae bulbos integros et recentes sibi procuret, et ipse siccatione debita (*vid. Part. II.* SQUILLA SICCATA) ad usus medicos praeparet. Bulbo vero deficiente squamae solidae, graves et saporis fortis eligendae; leves exsuccae, sapore carentes rejiciendae.

Radix sicca ex mucilagine recondita, dum masticatur, tenax sentitur, et eadem de causa, si lente fuerit siccata, difficulter in pulverem redigitur; amaritiem praeterea intensam ingratam et diuturnam linguae imprimit, sed absque acrimoniae manifestae indiciis, quae tamen effectu doseos justo largioris, vel extra opportunitatem praeceptae, abunde declaratur. Siccando radix recens quatuor ponderis partes ex quinque amittit, quae jactura fere nihil nisi aquae esse videtur.

Infusum aquosum pallide flavescens est, intense amarum et acre, et evaporatione odorem, qualem Rapae coctae vel radix Apii hortensis spargit. Inspissatum ℥ ex radice sicca erogat Extracti bruno flavi, amari simulque acris et urentis. Spiritus vini tingitur radice hac colore aureo, et insignem amaritiem et acrimoniam adsciscit, qui sensus etiam ex Extracto bruno inde parato excitantur (Conf. SCHULZ *Diss. syst. examen chem. radicis Scillae marinae, Hal*) et CARTHEUSER *M. m. V. I. p.* 458.). Alcali debilitat saporem amarum insigniter (SCHULZ l. c. p. 16.) acetum autem paullulum modo (l. c. p. 17.). Nolo analysi igne fortiori factae inhaerere (*vide loc. cit.*).

VIRES. Stimulantes, diureticae, incidentes, emeticae.

USUS. In Hydrope absente plethora, febre et obstructionibus viscerum abdominalium, in Tussi pituitosa, in genere in morbis pectoris pituitosis, in tumoribus oedematosis, muco sabuloso et doloribus calculosis. *Externe* in angina mucosa, in hydrocephalo, tumoribus articulorum oedematosis; ad enemata irritantia et revellentia.

DOSIS. In pulvere granum unum ad tria, plus emesin excitat. Miscetur potissimum cum Cinnamomo aut Eleosaccharo Cinnamomi aut corticis Aurantiorum aut radice Calami aromatici aut pulvere ROTULARUM MENTHAE PIPERITIDIS, cum Salibus mediis, Sulphure antimonii aurato, cortice Peruviano, Camphora, Gummi ammoniaco, aromatibus, Melle, Extractis amaricantibus, Gummi arabico. ACETUM SQUILLITICUM ratione virium et usus cum radice convenit. Tanquam diureticum a drachma semis ad duas, ad gargarismata et enemata drachmae duae aut uncia semis. Etiam Sinapismis ACETUM SQUILLITICUM additur ad stimulum augendum. OXYMEL SQUILLITICUM mixturis additur; infantibus cochlear unum coffeanum, adultioribus cochlearia coffeana duo ad tria. Mixturis ad unciam unam, enematibus et gargarismatibus ad unciam unam aut duas additur. Enematibus irritantibus seu revellentibus praecipue in apoplexia pituitosa et serosa et vulneribus et contusionibus capitis pulvis radicis ad drachmam unam additur. PILULAE SQUILLITICAE praecipue in hydrope et obstructionibus viscerum utiliter adhibentur. TINCTURA SQUILLAE a cel. HAHNEMANN omnibus aliis praeparatis praefertur. EXTRACTUM SQUILLAE ad granum unum bis, aut ter de die cum Eleosaccharo cinnamomi aut aliis supra memoratis mixtum exhibetur.

PRAEPARATA et COMPOSITA.

ACETUM SQUILLITICUM.
EXTRACTUM SQUILLAE AQUOSUM.
OXYMEL SQUILLITICUM.
OXYSACCHARUM SQUILLAE.
SQUILLA SICCATA SEU PRAEPARATA.
TINCTURA SEU ESSENTIA SQUILLAE.
} *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ RADIX TARAXACI.

N. germ. *Löwenzahnwurzel, Pfaffenröhrchen, Röhrlkrautwurzel, Butterblumenwurzel.*

N. syst. L. (Leontodon taraxacum.)

Icon. Vide BLACKWEL Herb. Tab. 1. et 501. ZORN Pl. med. Tab. 59.

Partes usuales. *Radix et Herba; recentia et sicca.*

Leontodon taraxacum; calyce squamis inferne reflexis, foliis runcinatis, denticulatis laevibus LINN. *Sp. pl. p.* 1122.

Est

Est planta perennis in pratis, pascuis et ad vias frequens. RADIX longa, digitum minorem crassa, ramosa, interdum vero simplex, fibrosa, foris subfusca, intus alba filo lignoso trajecta, saporis amaricantis, recens succo turget lactescente. FOLIA sunt runcinata, denticulata, laevia, optime viridia, saporis subamari. Efficacia omnes fere suae gentis haec superat. Succus lactescens amarus, in radice adhuc magis. Communis Radici, Herbae et Scapis virtus est.

VIRES. Roborantes, solventes, saponaceae, diureticae.

USUS. In obstructionibus viscerum abdominalium, in hydrope incipiente; in extenuatione corporis et Tabe; in morbo nigro et morbis cutaneis, forma succi, decocti, extracti, aut enematis.

DOSIS. SUCCUS ab uncia una ad tres; EXTRACTUM a granis decem ad drachmas duas, radix pro decocto cum herba recenti ab uncia una ad duas, ita et in enemate solvente. Miscetur succus cum sero lactis, succo Fumariae, Nasturtii, Cochleariae, Chaerophilli. EXTRACTUM cum Gummi ammoniaco, Gummi guajaco nativo, Kermete minerali, Sulphure aurato antimonii, forma pilulari. Forma liquida cum Melle, Oxymelle squillitico, salibus mediis exhibetur.

PRAEPARATUM.

EXTRACTUM TARAXACI.) *vide praeparata P. II.*

RADIX TORMENTILLAE.

N. ph. l. ⊙,

N. germ. *Tormentillwurzel*, *Blutwurzel*, *Ruhrwurzel.*

N. syst. L. (Tormentilla erecta.)

Icon. Vide BLACKWEL Herb. Tab. 445. ZORN Pl. med. Tab. 358.

Partes usuales. *Radix sicca.*

Tormentilla erecta; caule erectiusculo, foliis sessilibus LINN. *Sp. pl. p.* 716.

Est planta perennis, in sylvis, pratis et pascuis siccis frequens. RADIX nodoso-tuberosa, brevis, contorta, solidioris compagis, valde fibrosa, foris fusca, interne ex flavo rubescens, saepe maculis lignosis variegata, saporis constringentis et austeri. Aquae aeque ac Spiritui vini adstringentes partes impertit, huic abundantius. Infusa colorem rubrum adsciscunt. Aqua cum illa destillata odorem saporemque rosaceum habet (NEUMANN *Chem. B.* 2. *Th.* 4. *p.* 485.) Tam vero adstringens est radix, ut ad coria densanda in insulis Feroensibus nec non Orcadibus adhibeatur, quin per istam firmiora evadant, quam vulgo per corticem Quercus fit.

VIRES. Valde adstringentes, hinc roborantes, antiputredinosae, haemorrhagias sistentes.

USUS. In diarrhoeis chronicis et symptomaticis febrilibus a principio morbi, praecipue morbis pectoris inflammatoriis, in haemorrhagiis internis et febribus intermittentibus. Haec radix cum radice Gentianae mixta in intermittentibus pauperum loco Chinae attentionem meretur et cum hac tentamina iteranda.

PRAEPARATUM.

EXTRACTUM TORMENTILLAE.) *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. **RADIX VALERIANAE CELTICAE, seu SPICAE, seu NARDI CELTICAE.**

N. germ. *Alpenbaldrian, Zeltischer Narden oder Spikwurzel, Spikanarden.*

N. syst. L. (Valeriana celtica.)

Icon. Vide CLUS. Stirp. pannon. p. 515. JACQUIN Flor. Vindob. p. 203.

Partes usuales. *Radix sicca.*

Valeriana celtica; floribus triandris, foliis ovato - oblongis obtusis integerrimis LINN. *Sp. pl. p.* 46.

Est planta perennis, in alpibus italicis vicinisque helveticis et styriacis sponte crescens. Quod dicto nomine in officinis servatur sunt RADICES tenues fuscae squamulis obsessae, fibrillas copiosas ad latera emittentes, una cum Cespite Foliorum ex apice radicum emergente. Odorem prae se fert gravem Valerianae etsi fortiorem sed gratum et amoenum, saporem acrem, amaricantem, aromaticum. Prout acriori odore, ita et virtute praestare existimat ill. ab HALLER (*Opusc. pathol. p.* 196.) Quidam Spicae Indicae supparem judicant, imo praeferunt. Apud populos inferioris Africae, Abyssiniae et Aethiopiae tanto in pretio est, ut quotannis ex Germania per Venetos 60 tonnae, quarum quaevis centum fere imperialibus venditur, in Egyptum transmittantur; inde enim unguentum cosmeticum parant et ad balnea adhibent. NEUMANN $\frac{1}{4}$ Extracti spirituosi, aquosi autem $\frac{1}{3}$ et paucissimum olei odorati obtinuit: CARTHEUSER Extracti spirituosi $\frac{1}{12}$ circiter et $\frac{1}{6}$ aquosi aromatici.

VIRES et USUS *Valerianae sylvestris* similis, imo praeferendus cum illa odore fortiori et sapore acriori hanc superet, ita HALLERUS.

N.

N. ph. l. V. ⊙ RADIX VALERIANAE SYLVESTRIS, seu VALERIANAE MINORIS.

N. germ. *Waldbaldrian, Kazenwurzel, Augenwurzel.*

N. syst. L. (Valeriana officinalis.)

Icon. Vide BLACKWEL Herb. Tab. 271. ZORN Pl. med. Tab. 117.

Partes usuales *Radix sicca.*

Tempus collectionis. *Radix colligi debet solummodo in locis siccis et montanis et evelli primo vere, antequam planta caulem emittit, per meram agitationem a squalore liberari et in loco sicco, umbroso, aere perflato siccari. Ne virtus in auras avolet, perfecte siccata in vitro clauso arctissime compacta locoque in sicco et frigido servanda.*

Valeriana officinalis; floribus triandris, foliis omnibus pinnatis LINN. *Sp. pl. p.* 45.

Est planta perennis, in locis siccis montanis nemorosis indigena. RADIX ex trunco brevi, oblongo, ubique fibrae egrediuntur longae, pennam corvinam crassae, divaricatae, teretes, tenaces, pilosae, recentes extus coloris sordide pallidi, siccatae bruni in oleagineum vergentis, intus albidi splendentis, ac rite si collecta medullam cingit circulus pallidus vel viridescens, saporis acris aromatici, et tandem subamaricantis et subadstringentis, odoris gravis, penetrantis hircini et subnauseosi. Inter radiculas saepe oriuntur stolones pedales et longiores, simplices, recti vel flexuosi, geniculati, teretes nonnunquam rubentes, ad singulum articulum squama alba vestiti, qui stolones a radicibus separandi et rejiciendi.

Saepe adulteratur radix Valerianae genuina, radicibus varietatis foliis latioribus splendentibus in locis humidis ad fossas crescentis, quae vero crassiores, minus pilosae, magis lignosae, fragiles, extus e cinero castanei vel bruni in flavedinem vergentis, intus vero obscurioris vel nigrescentis coloris, odoris magis nauseosi et debilioris, saporis non aromatici sed acrioris, et diffractae saepissime in medio cavae. Radices *Valerianae dioicae* LINN. a radicibus Valerianae sylvestris albedine distinguendae. Rejiciantur radices Valerianae sylvestris, quae odorem spargunt moschatum, is enim ab inquinatione cum felium lotio exoritur. Unciae duodecim radicis Extracti aquosi uncias tres largiuntur, et ex sedecim libris radicis cel. GRABERG unciam unam et semis Olei aetherei obtinuit viridescentis, aquae innatantis, odoris penetrantis, saporis vero non acris.

VIRES. Antispasmodicae, calefacientes.

USUS. In Epilepsia, debilitate nervorum, colica flatulenta, morbis uteri spasmodicis, debilitate visus, et in genere in morbis spasticis, convulsi-

sivis. Enematibus antispasmodicis quoque additur; item contra vermes utitur.

DOSIS. In pulvere a drachma semis ad duas; in infuso ab uncia semis, una, ad libram aquae. Miscetur cum Saccharo, Moscho, Camphora, floribus Chamomillae et Sambuci, Speciebus emollientibus pro enemate. TINCTURA VALERIANAE VINOSA seu SIMPLEX ad cochlearia tria de die exhibetur. OLEUM ESSENTIALE VALERIANAE cum Saccharo, gutta una olei et drachmae duae Sacchari, cum VITRIOLO MARTIS ARTIFICIALI in vermibus convenit.

PRAEPARATA et COMPOSITA.

AQUA DESTILLATA VALERIANAE.
EXTRACTUM VALERIANAE.
OLEUM ESSENTIALE VALERIANAE.
TINCTURA SEU ESSENTIA VALERIANAE SIMPLEX.
TINCTURA SEU ESSENTIA VALERIANAE VOLATILIS.
} *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ **RADIX ZEDOARIAE.**

N. germ. *Zittwerwurzel, langer Zittwer.*

N. syst. An haec radix ex *Kaempferia rotunda* LINNAEI? an ex *Amomo Zedoaria* BERGII? proveniat, nondum recte constat.

Partes usuales. *Radix sicca.*

RADICIS frusta plerumque aliquot pollices longa, et minimum digitum crassa, altera extremitate cultro transversim vel oblique dissecta comparent, altera in obtusum apicem desinentia, incurva, rugosa, angulosa, subinde tuberculis rotundis notata et compressa, externe pallide cinerei, interne e fusco rubelli vel obscure cinerei coloris, saporis aromatici, subamaricantis et subacris, Camphorae similis, odoris penetrantis camphoraceae fragrantiae.

Aether ex hac radice colorem ex rubro fuscum extrahit; infusum aquosum coloris ex rubro fusci, saporis acris, amaricantis, camphoracei, odoris proprii radicis; infusum spirituosum ex flavo rubrum, saporis et odoris non adeo camphoracei ut aquosum, magis vero amarum et acrius hocce. Extracti aquosi ¼ largitur; parando Extractum spirituosum evaporatione instituta in superficie liquoris apparent particulae Salis essentialis. Destillatione cum aqua ex libra una radicis 60 et ultra grana Olei crassiusculi essentialis aquae fundum petentis odoris et saporis validi radicis obtinentur. Eligatur ponderosa, tenax, parum fibrosa, minime cariosa, intus obscure cinerea et maxime fragrans. Ex India orientali, praecipue ex Malabaria et Zeilonia per Belgas advecta.

VI-

VIRES. Stimulantes, calefacientes, solventes, stomachicae, carminativae, sudoriferae.

USUS. In debilitate ventriculi, colica flatulenta, spasmis hystericis absente plethora, etiam contra vermes laudatur.

DOSIS. In pulvere a granis quinque ad scrupulum unum.

N. ph. l. V. ⊙ **RADIX ZINGIBERIS ALBI.**

N. germ. *Weisser Ingber, Ingwer.*

N. syst. L. (Amomum Zingiber.)

Icon. Vide MILLER'S fig. of plants, Tom. I. Tab. 26. JACQUIN Hort. Vindob. V. I. p. 31. Tab. 75. ZORN Pl. med. Tab. 401.

Partes usuales. *Radix sicca.*

Amomum Zingiber; scapo nudo, spica ovata LINN. *Sp. pl. p.* 1.

Est planta perennis, in India orientali et Africa occidentali, ut insula Madagascar, Guinea et aliis occidentalibus Africae regionibus spontanea. Ex India orientali in Americam translata, praecipue hodie in Antillanis et Iamaica colitur atque radix exinde ad nos adportatur. RADIX constat ex segmentis nodosis, tuberosis, bipollicaribus, sublobatis, compactis, et compressis, coloris externe albidi sive straminei, sive cinerei; intus solida, resinosa, ex rubro flava, saporis valde acris, fervidi et odoris grati aromatici. Rejiciantur frusta leviora, fragiliora, mollia, valde fibrosa et cariosa.

Inest radici huic Oleum aethereum, sed pauxillum modo, scilicet librae radicis uni, Olei circiter drachma una (NEUMANN l. c. et CARTHEUSER l. c.) Hoc ipsum Oleum odorem quidem Zingiberis habet, sed destituitur pungente et fervente sapore matricis suae. Infusum aquosum primum et acre valdopere est et odore radicem aemulatur. Inspissatum in Extractum superstitem modo saporem servat; et pondus circiter quartam partem Zingiberis constituit. Cum infuso et Extracto spirituoso primo inspissato obtinetur ex uncia una radicis Resinae vix odorae grana viginti aut triginta, saporis fervidi, urentis, ex flavo rubrae. Ceterum arctum connubium jungit resinosas et gummosas partes, ita, ut menstruum alterutrum facile easdem junctim eliciat.

VIRES. Stimulantes, calefacientes.

USUS. In colica flatulenta, debilitate primarum viarum, hydrope, cachexia, et morbis pituitosis.

DOSIS. A granis duobus, quinque, ad decem; cum rheo aut cortice peruviano.

S.

§. II. *CORTICES.*

N. ph. l. **CORTEX ANGUSTURAE, seu ANGUSTINUS.**

N. germ. *Angusturarinde.*

N. syst. Ex quanam arbore proveniat, nondum evictum; ex *Mangolia glauca* LINN. esse, conjectura fuit. Nuperrime tamen momenta quaedam probabilia suadere visa sunt, ex abyssinico frutice, *Wooginoos* in Abyssinia dicto, seu *Brucea antidysenterica* JO. FRID. MILL. 36 *Coloured Plants*, Tab. 25. quae eadem est ac *Brucea ferruginea* (L'HERETIER *Stirp. nov. tab.* 10. AITON *Hort. Kewens. Vol.* 3. *p.* 397.), peti. Descriptio enim corticis, quam BRUCE (*Travels to discover the Source of the Nile, Vol.* 5. *p.* 70.) de dicta planta praestitit, congruit cum ista corticis Angusturae, et ipse ille agnovit convenire utrumque; et cortex fruticis vivi, in horto Kewensi obvii, in plerisque quoque convenit.

Partes usuales. *Cortex siccus.*

Quantum constat, Hispani corticem hunc ex Angustura Americae australis in insulam Trinitatis (Trinidad) transvexerunt; unde ad nos adfertur hic CORTEX frustis convexis, diametri circiter sesquipollicis, vel minoris, longitudinis plurium ad sex pollicum, lineam circiter dimidiam crassis, diffractis splendentibus, et resinosis, nunquam fibrosis, extus inaequalibus et sulcatis, ex fusco ochroleucis, et albicantibus, intus brunneis, saporis amari debilioris, subaloetici, aromatici, cinnamomei et subacris, odoris debilis aromatici, specifici, nauseosi. Facile tritu, et pulvis, in quem contunditur, flavedine Rhabarbarum fere refert, caveas igitur linteo super mortarium tecto, ne subtiliores corticis partes avolent, pulvis brevi post pulverisationem tempore flavus, dein ochroleucus, odoris fortioris, saporis non ingrati.

Tam aqua, quam spiritus vini tingitur infundendo colore pallide aureo. Aqua nihil nisi amaras partes eruit, spiritus vini autem aromaticas simul. Ex corticis uncia una alcohol vini digestione drachmas duas Extracti resinosi primi, valde amari, eruit; aqua autem ex eadem quantitate decoctione Extracti gummosi circiter drachmas tres cum semisse, paullo minus amari; infusione autem Extracti scrupulos quatuor, quod clarum est, et saporis fere ejusdem, ac Sal Chinchinae (HEYER *in Braunschweig. Magaz. l. c. p.* 76.).

VIRES. Roborantes.

USUS. In febribus intermittentibus, in laxitate ventriculi et digestione vitiata, in dysenteria et diarrhoea, in animi deliquiis periodicis, cephalalgia et doloribus dentium periodicis; in debilitate nervorum, in virium defectu post morbos.

DOSIS. Pulvis a granis decem ad drachmam unam; in decocto drachmae duae cum unciis quatuor. Miscetur cum Eleosaccharo, Saccharo, Cremore Tartari, Sale ammoniaco aut Rheo.

PRAEPARATUM.

EXTRACTUM CORTICIS ANGUSTURAE.) *vide praeparata P. II.*

CORTEX AURANTIORUM IMMATURORUM seu VIRIDIUM. vide *Fructus aurantiorum immaturorum.*

V. ⊙ CORTEX AURANTIORUM MATURORUM. vide *Fructus aurantiorum maturorum.*

N. ph. l. V. **CORTEX CANELLAE ALBAE.**

N. germ. *Weisser Zimmet, weisser Kanell.*

N. syst. L. (Canella alba.)

Icon. Vide BROWNE Nat. histor. of Iamaic. p. 275. Tab. 27. Fig. 3. SLOANE Natu. histor. of Iamaic. Vol. 2. p. 87. Tab. 191. Fig. 2. item CATESBY'S Nat. histor. of Carolin. Vol. 2. p. 50. Tab. 50.

Partes usuales. *Cortex siccus.*

Canella alba; foliis oblongis, obtusis, nitidis, racemis terminalibus (LINN. *Syst. veg. ed.* 14. *p.* 443. *Supplem. plant. p.* 247 *et* BROWNE *l. c.*)

Est Arbor vulgaris, qui altitudinem 16, 20, vel 30 pedum attingit, crassitiem surae vel diametrum pollicum 5 vel 6 in America, praesertim in Iamaica et Carolina aliisque insulis Indiae occidentalis sponte crescit. Omnibus partibus aromatica est. CORTEX arboris internus in forma tubulorum convolutorum plerumque comparet diametri circiter ¾ pollicis et crassitiei lineae dimidiae, quae testantur ex ramis fuisse collectum; immista tamen et deprehenduntur fragmenta planiora et crassiora, quae originem ex trunco traxisse probabile est. Solidus ast fragilis est, extus ex albo flavus vel pallide cinereus rubellisque lineis transversis et rugis variis notatus, superficies interna albicans epidermide candida cernitur vestita; compages paulo laxior videtur, color quoque quoad omnes partes pallidior, quam in cortice Winterano vero; saporis acris, aromatici, quodammodo caryophyllacei, quasi miscella ex caryophyllis, cinnamomo et Zingibere, plus autem de caryophyllis, amaricantis; integer odoris nullius fere, ast contusus vel decoctus gratum spargit odorem fortem cinnamomi vel caryophyllorum adinstar aromaticum.

Eligantur tubuli crassiores et pallidiores. Destillatione largitur Oleum aethereum profunde flavi coloris aromaticum in aqua fundum petens odoris grati cinnamomei vel caryophyllacei, ponderis scrupuli unius ex libra di-

midia corticis (CARTHEUSER *Diss. de cort. Winterano p.* 22.) Extractum aquosum ex residuo post destillationem paratum valde amarum est, item spirituosum insignem jacturam fragrantiae patitur. Spiritus vini debilior et sapidas et odoras partes infusione absorbet, unde hoc menstruum praeter vinum commodissimum est.

VIRES. Calefacientes, roborantes, stomachicae, incidentes, carminativae.

USUS. In morbis pituitosis et debilitate primarum viarum, obstructionibus viscerum pituitosis a laxitate, in paralysi linguae, colica flatulenta pituitosa.

DOSIS. In pulvere a granis decem ad viginti, in infuso ad drachmis duabus ad tres.

N. ph. l. ⊙ CORTEX CASCARILLAE seu CHACARILLAE.

N. germ. *Kaskarillrinde, Shakarill, graue Fieberrinde.*

N. syst. L. (Croton Cascarilla.)

Icon. Vide ZORN Pl. med. Tab. 595. SLOANE Natural hist. of Iamaica Tom. I. p. 133. Tab. 86. Fig. 1. CATESBY'S Nat. hist. of Carolina, Florida and the Bahama Islands, Tom. II. p. 46. Tab. 46. BÖHMER Diss. de cortice Cascarillae praes. Frid. HOFFMANN Hal. 1738.

Partes usuales. *Cortex siccus.*

Croton Cascarilla; foliis lanceolatis acutis integerrimis petiolatis subtus tomentosis, caule arboreo LINN. *Sp. pl. p.* 1424.

Est frutex in America meridionali in regno peruano, in Iamaica, Florida, et insulis Bahamicis Floridae vicinis obvius. CORTEX prostat in frustis tubulosis plus minusve convolutis, longitudinis aliquot pollicum, et diametri pollicis circiter dimidii, lineam dimidiam vel unam ad tres crassis, solidis, compactis, ponderosis ac si franguntur fragmentis aequalibus, obscurius brunis. Extus vestitur epidermide e cinereo alba, saepissime rugosa, lineisque transversalibus notata, subinde etiam Lichenibus obsita, qua derasa, cortex apparet pallide brunus, interne ferrugineus, sive obscure fuscus. Sapor amarus, aromaticus, acris, quo totum os incalescit cum durabili impressione. Odor, quem sponte spargit, aromaticus est, sed debilis, cortex vero igni admotus flammam facile concipit et sic accensus vel recenter contusus odorem excitat fragrantem aromaticum moschatum.

Eligatur ponderosus et diffractus particulis nitens resinosis. Infusum aquosum habet saporem amarum leviter balsamicum, et odorem similem, colorem ex flavo rubescentem. Destillatione largitur Oleum aethereum viride, odoris fragrantis gratique, saporis pungentis. Ex libra una ponderis civilis drachmam unam elicuit (BÖHMER *Diss. l. c. p.* 24.). Alius ex libris triginta quadrantem librae (DEHNE in CRELLS *Chem. Journal P. III. p.* 8.). Multum resinae continet, nam ex uncia ejus una per spiritum vini drachmae quinque erutae (BOULDUC *Hist. de l'Acad. R. d. sc. l. c. p.* 54.). Extrac-

tracti aquosi quarta pars inest (SPIELMANN.). Quod remanet ex cortice post extractionem spirituosam omni odore et sapore destituitur, quum contra ea in residuo post extractionem aquosam multum adhuc odoratarum et sapidarum partium superstes sit. Spiritus vini igitur potentius partes efficaces absorbet. Memorabile tamen, Extractum spirituosum, si in siccitatem usque densatur, orbum fere omnis saporis esse, quum tamen humidum amarum, aromaticum, pungens, existat (LEWIS *M. m. p.* 280.).

VIRES. Adstringentes, roborantes, calefacientes.

USUS. In debilitate ventriculi; EXTRACTUM Cascarillae Lithontripticum juxta MEIBOM et MELLIN. Ad suffimigia additur ob gratum Ambrae aemulum odorem.

DOSIS. Pulvis ad drachmam unam, in infuso corticis uncia una in sedecim unciis aquae ad remanentiam sex unciarum coquitur, inde cochlearia dua pro dosi. EXTRACTUM a granis decem ad scrupulum unum. Miscetur cum Salibus mediis, Rheo. Instar Lithontriptici Extracti Cascarillae et Terebinthinae larignae p. aequales miscentur, fiant pilulae pond. granorum duorum, exhibentur hae pilulae ad grana sex de die absente dispositione inflammatoria, donec urina pellucida, et symptomata remittant; inde sabulum nephriticum ob Terebinthinam expellitur.

PRAEPARATA.

TINCTURA SEU ESSENTIA CORTICIS CASCARILLAE.)
EXTRACTUM CORTICIS CASCARILLAE.) *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ CORTEX CHINAE, KINKINAE, seu CORTEX PERUVIANUS LUTEUS.

N. germ. *Chinarinde, Fieberrinde, gelbe peruvianische Rinde.*

N. syst. L. (Cinchona officinalis.)

Icon. Vide ZORN Pl. med. Tab. 292. DE LA CONDAMINE in Memo. de l'Acad d. sc. de Paris 1738 p. 226 cum Icone Tab. 5, 6. item in RICHARDI PULTENEY Diss. de Cinchona officinali LINN. Edinbu. 1764.

Partes usuales. *Cortex trunci et ramorum siccus.*

Cinchona officinalis; floribus panniculatis ab aliis speciebus distinguitur LINN. *Syst. veg. p.* 178. *Sp. pl. p.* 244.

Est Arbor excelsa et crassa, interdum superans crassitiem corporis humani, crescens in America australi in regno Peruviano praecipue prope urbem Lojam vel Loxam distantia milliaris circiter in montibus et in tota ista catena montium, quae inde usque ad 25 vel 30 milliaria austrum versus se se extendit, item circiter 20 milliaria septentrionem versus (DE LA CONDAMINE *l. c. p.* 236.) CORTEX Chinae a Hispanis in Sarcinis,

Zeronnas appellatis et ex pellibus animalium confectis, quae centum et quinquaginta libras ponderant advehitur. In his CORTEX variae qualitatis bonus, vilior, aut mediae qualitatis inter se commixtus continetur, quae variae species corticis ratione qualitatis, aut adulteratae a se invicem separari debent. Hinc notae integritatis corticis ante omnia in aprico esse debent.

CORTICIS trunci et ramorum frusta plus minusve convoluta, magnitudinis circiter digiti minimi et duos vel tres pollices longa, sicca, ponderosa, fragilia, extrinsecus fusca, scabra et communiter lichene albo vel cinereo hinc inde obducta, intrinsecus laevia et ferruginea sive coloris cinnamomei, saporis subamari, subadstringentis cum aliquo mucore et amaritie, odoris debilis, specifice mucidi et subaromatici. Eligantur cortices tenues, convoluti, fusci et lichene albo vestiti, interne coloris cinnamomei ast obscurioris, solidi, ponderosi et siccissimi et qui si diffringuntur, neque fibrosi neque pulverulenti sed aequales et punctis resinosis nitentes apparent colorisque cinnamomei; frusta crassiora et planiora, quae ejusmodi coloris, saporis et odoris sunt genuini, et diffracta nec fibrosi nec pulverulenti apparent et splendent, etiam bonae creduntur notae. Bonitas corticis Chinae etiam ex decocto aquoso dijudicatur; quod si dum calidum, rubicundo-brunum sistit colorem, frigefactum vero pallescit in colorem bruno-flavescentem et sedimentum dejicit, corticis denotat probitatem. Rejiciantur vero strenue cortices externe glabri et quasi politi, nigri, pallide flavi vel rutilantes, tenaces vel fungosi, interne albidi vel cinerei, diffracti fibrosi, lignosi, in farinam dehiscentes, amarioris vel ferme nullius saporis aut nauseosi, aut valde adstringentis.

Pharmacopola nunquam emat a magnariis Corticem Peruvianum jam in pulverem redactum, adulterationis vel depravationis semper maximopere suspectum; occurrit interdum cortex Chinae pulverisatus et subinde etiam integer, antea cum aqua decoctus, ergo viribus suis valde privatus, quae detestabilis fraus nullo alio modo detegendus, quam iterata decoctione aquosa ad censendam Extracti gummosi quantitatem, cujus cortex non expilatus ad minimum largitur octavam partem; defectus mutationis coloris profundioris in decocto calido in pallidiorem simulac frigescit, hanc fraudem etiam denotat. Gummosas pariter ac resinosas, quae junctim dimidiam circiter corticis partem constituerunt, (MAUTT *Diss. de cortic. peruv.* 1770 in SANDIFORT *Thes. Vol. I. p.* 181.), terreas insuper et alcalini salis tantillum, elicuit. De proportione vero inter gummi et resinam non conveniunt auctores: gummosas potiorem partem constituere cl. MAUTT per sua experimenta affirmat. Libra una ponderis civilis seu 16 unciarum corticis coctione cum aqua et per subsidentiam depuratum decoctum Extracti aquosi mellis consistentiae ad uncias tres largitur. Idem pondus corticis cum vino 6 uncias; cum spiritu vini Extracti resinosi uncias duas et drachmas duas. Infusum aquosum ex libra una corticis optimae qualitatis unciam unam et drachmas sex Extracti exhibet. In Extracto gummoso semper pars resinosa juncta manet.

Vis adstringens in resina latere videtur, quae coctione protracta cum aqua elicitur vel eliquatur, non vero omnino solvitur, unde decoctum sensim turbidum fit et frigefacto resina fundum petit. Si resina coctione extracta fuerit, nullus amplius adstrictionis sensus, sed amarities fere unice in

in residuo inspissato percipitur. Corticis Peruviani ut aliorum vegetabilium amarorum et adstringentium virtus, aequae facile aqua frigida, ac fervente, eruitur. Resinae ejus eadem quantitas maceratione quae coctione elicitur; ast trituratione solutio in aqua et magis adhuc vino acceleratur. Optimum igitur menstruum corticis Peruviani, quod omnes constitutivas partes corticis, tam volatiles sive balsamicas, quam fixas extrahit, est vinum.

Pulveri corticis ferreae insunt particulae (MODEL'S *erstes Schreiben von der Bestuscheffschen oder lamottischen Nerventinctur p.* 39.) Extracto quoque juxta celeb. MÖNCH (*Systematische Lehre von etc. Arzneymitteln p.* 43.). Si enim uncia semis Extracti aquosi corticis in cacabo stanno obducto parati et spatula lignea agitati comburitur in vase ex terra porcellana, et residuum candescit cum Oleo lini, potissimum grana tria ferri a magnete attrahenda obtinentur. Etsi gustando adstrictionis sensus enascitur: non tamen ita, ut ab aliis adstringentibus, solutio vitrioli martis miscela corticis nigrescit, sed potius viridescit (ALSTON *M. m. T. II. p.* 6.) Viredinem tamen in nigrum colorem mutari justa dilutione alius expertus est. (LEWIS l. c.).

VIRES. Summe roborantes, nervinae, antiputredinosae et adstringentes.

USUS. In febribus intermittentibus et putridis, in haemorrhagiis a debilitate, spasmis a debilitate, variolis malignis putridis, debilitate nervorum; gonorrhoea benigna, fluore albo a laxitate, vermibus, phthysi, scrophulis, ulceribus, gangraena et sphacelo, ophthalmia a laxitate, angina gangraenosa, laxitate gingivarum, morbis periodicis. In universum in debilitate post morbos, in morbis chronicis, sine plethora, absente fibra stricta et inflammatione, in nimia irritabilitate systematis nervosi a debilitate.

DOSIS. Pulvis a granis decem ad drachmas duas. In decocto uncia una cum unciis duodecim aquae ad remanentiam unciarum sex cocta. In infuso aquoso aut vinoso unciae duae cum sex unciis liquidi. *Externe* in fomento ratione circumstantiarum ad uncias quatuor. Ad Enemata uncia una aut duae corticis adhibentur. Miscetur cum Saccharo, Rheo, Salibus mediis, cum Alumine, Cremore Tartari, Sale ammoniaco, Serpentaria virginiana, Gentiana, Chamomillae floribus, aromatibus, aut Oleis essentialibus, Myrrha, Camphora, Marte, Melle, Vino, Aqua, Aceto, Sero lactis, Acido vitrioli.

Forma PULVERIS seu in substantia cortex Peruvianus maxime efficax et longe efficacior EXTRACTO. Hinc si vires admittunt, praecipue in intermittentibus, forma pulveris exhibendus cortex; si vero aeger pulverem ob debilem ventriculum non fert, forma DECOCTI exhibetur; sic in continuis remittentibus et putridis exhiberi poterit. In EXTRACTO solummodo iis propinatur ubi nulla febris profliganda, sed solummodo roborandum, et ubi solummodo pauciori copia sanitas et vires restitui possunt. PULVIS etiam in intermittentibus cum Melle aut Syrupo forma Electuarii aut forma boli exhibetur. Ubi vero nulla febris adest, sed solummodo roborandum, cortex Peruvianus in INFUSIONE FRIGIDA aquosa aut vinosa maxima efficacia adhibetur. EXTRACTUM HUMIDUM a granis decem ad drach-

drachmam unam aut duas. SICCUM a granis quinque ad drachmam unam.

PRAEPARATA.

EXTRACTUM CORTICIS CHINAE SEU PERUVIANI HUMIDUM. EXTRACTUM CORTICIS CHINAE SEU PERUVIANI SICCUM, SEU SAL ESSENTIALE CHINAE. SYRUPUS CORTICIS CHINAE SEU CORTICIS PERUVIANI. TINCTURA CORTICIS CHINAE SEU CORTICIS PERUVIANI VOLATILIS.	*vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. CORTEX CHINAE RUBRAE, seu CORTEX PERUVIANUS RUBER.

N. germ. *Rothe Chinarinde, spanische Chinarinde.*

N. syst. L. An etiam a *cinchona officinali* LINN., an ab alia arbore nondum est dijudicatum. Videtur esse ab alia specie cinchonae, quae in regno Mexicano in Provincia Santa Fe- in sylvis supra insulam St. Lucia anno 1779 detecta fuit, et Anglis brevi postea aufferendo Hispanis navim hoc cortice onustam, in bello inter Hispanos et Anglos gesto, primum innotuit.

Partes usuales. *Cortex siccus trunci et majorum ramorum.*

CORTEX Chinae rubrae sunt frusta potissimum crassiora et majora, quam cortex Chinae luteus, tres vel quatuor lineas crassa, imo crassiora, ab altero latere concava quidem, minime vero convoluta, quae, si diffringuntur, fibrosa apparent et manifeste tria sistent strata, quorum primum, seu exterior cuticula, tenue, scabrum et rugosum e rubro fuscum, licheneque cinereo vestitum, secundum, sive cortex proprius, crassius, solidius, coloris obscurioris, fragile et resinosum, tertium, vel liber, lignosum, fibrosum et coloris rubicundi; saporem habet Chinae luteae seu communis amariorem et magis adstringentem. Qui in pulvere aliunde adportatur ob adulterationem valde verosimilem semper rejiciendus.

Gravitate specifica ruber superat alterum (COTHENIUS *in noveaux Memoires de l'Acad. d. Sc. de Berlin* 1783. *p.* 83.). Facilius in pulverem subigitur altero. Stratum vero fusco rubrum facilius pulverulentam formam sub pistillo acquirit, altero fibroso; et istius infusum aquosum profundius tingitur affusa solutione vitrioli martis, quam hujus (IRVING'S *Experiments on the red and quill Peruvian Bark*, *Edinburg.* 1785). Unde e re est pulverem, tempore contusionis priorem, posteriori praeferre. Majorem longe quantitatem solubilium partium ruber cortex altero vulgari tam spiritu vini quam aquae impertit (SAUNDERS *Observations on the superior Efficacy of the*

the red Peruvian Bark in the Cure of fevers ed. 4. *p.* 5 *et* 27. IRVING *l. c. p.* 93). Et utrumque menstruum saturatiorem colorem ex rubro contrahit, quam ex altero; aquosum manifeste amarius est.

Plus quoque longe resinae ruber continet quam alter; nimirum resinosi Extracti $\frac{1}{4}$, gummosi $\frac{1}{8}$ et teste cl. AIKIN (apud SAUNDERS *l. c. p.* 174) Extractum resinosum rubri corticis se se habet ad Extractum idem alterius, ut 3 ad 2. Nec decoctum corticis rubri eandem decompositionem patitur, et expositum aeri libero hunc diutius fert longe absque acore, quam decoctum corticis vulgaris, in quo ipso enascitur intra paucos dies (FOTHERGILL apud SAUNDERS *p.* 114.) Crystalli, ex Extracto ad modum Garayei parato redundantes albidiores sunt iis alterius corticis, et saporem valde amarum habent, Quassiae aemulum (HERMSTADT in CRELLS *chem. Annal.* 1785 *Vol. I. p.* 117.). Aqua ejusdem destillata albido colore tingitur, et manifestius globuli aetherei Olei in ejusdem superficie conspiciuntur, quam in Aqua destillata corticis vulgaris (IRVING *l. c. p.* 33. *not.*). In corpore humano saepe dimidia dosis satisfecit (SAUNDERS *l. c. p.* 56. 180. in versione latina p. 179.).

VIRES et USUS. Cum praecedente aequalis, nisi, quod *Cortex Chinae rubrae* plus partium resinosarum contineat, magis sit adstringens et verum Oleum essentiale in destillatione largiatur, hinc etiam efficacior *Cortici Peruviano luteo* seu *communi.*

PRAEPARATA et COMPOSITA.

TINCTURA SEU ESSENTIA CORTICIS CHINAE SEU PERUVIANI SIMPLEX.	*vide praeparata P. II.*
TINCTURA SEU ESSENTIA CORTICIS CHINAE SEU PERUVIANI COMPOSITA.	

N. ph. l. V. CORTEX CINNAMOMI VERI, seu ACUTI.

N. germ. *Zimmet, brauner Kaneel, Zimmetrinde.*

N. syst. L. (Laurus cinnamomum.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 354. ZORN Pl. med. Tab. 339. JACQUIN Select. Stirp. Americ. hist. color. p. 59. Tab. 117.

Partes usuales. *Cortex siccus.*

Laurus cinnamomum; foliis trinerviis ovato-oblongis: nervis versus apicem evanescentibus LINN. *Sp. pl. p.* 528.

Arbor quoad Corticem praestantissima in Zeylona habitat modicae staturae, elegans et variarum partium egregia efficacia, CORTICIS praesertim, qui facile antistat omnibus reliquis aromatibus, celebratissma. Praestantissimum corticem errogant arbores plaga australi - occidentali insulae crescentes, et plurimum corticis petitur ex Stationibus Negumbo, Colum-

bo,

bo, Caltere, Barbary, Galc et Mature et prope littus marinum sitis et secundum longitudinem ejus porrectis ubi solum arenosum est.

Qui locis interioribus hujus partis insulae colligitur, hic rudior et acrior deprehenditur. Sed nullum est dubium, quin eadem species alibi proveniat, scilicet in Sumatra, Iava, Malabaria et aliis Indiae orientalis regionibus; nec non variis in locis Americae ut in Brasilia, Martinica ad montem Calabasse (JACQUIN), in Insulis Guadaloupe, Granada et S. Vincent, in Insula Cayenne Guianae Gallicae (AUBLET). CORTEX tenuis, vix charta regali crassior, in cannulam longam convolutus, lignosus, levis, subtenax, diffractus fibras largiens, coloris ex rubicundo flavi, subinde in brunum inclinantis, saporis aromatici subacris, subdulcis cum levi adstrictione, odoris gratissime fragantis.

Eligatur tenuis, flexilis, odoris ac saporis fortis ac qui masticatus nil mucilaginosi sed aliquid lignosi relinquit. Rejiciatur durus, crassus, coloris saturate brunei, saporis valde pungentis et urentis, vel caryophillacei, austeri, amari, viscosi. Specifica Corticis et peculiaris virtus ab Oleo essentiali, quod inest, dependet; verum Olei tantillum modo inest, vix $\frac{1}{128}$, nec in quolibet cortice idem pondus. Cel. DEHNE ex tribus libris corticis unciam semis Olei, cel. MÖNCH ex duabus libris drachmam unam et grana 40, sed nunquam ex hac quantitate drachmas duas Olei obtinuit. Genuinum est coloris aurei, et aqua fundum petit odoris cinnamomei, saporis acerrimi ignei attamen dulcedinis quodam sensu mixti. Tinctura spirituosa fusco nigricans est, odoris cinnamomei, saporis aromatici dulcis et subadstringentis; inspissata Extractum Exhibet circiter ponderis $\frac{3}{16}$ (CARTHEUSER) vel $\frac{1}{3}$ NEUMANN). Infusum aquosum e fusco rubescit, subdulce est cum reliquis modo dictis notis; inspissatione, sub qua multum odoris dispergit, Extractum erogat modice adstringens ponderis circiter $\frac{1}{10}$ (NEUMANN) vel $\frac{1}{3}$ (CARTHEUSER). Terrestres partes insunt circiter $\frac{3}{4}$ insipidae.

VIRES. Valde calefacientes et stimulantes.

USUS. PULVIS corticis aliis medicamentis ad stimulandum additur.

DOSIS. A granis quinque ad decem in pulvere.

OLEUM DESTILLATUM in spasmis abdominis a materia arthritica aut rheumatica retropulsa absente inflammatione, in partu difficili absente febre et inflammatione et ubi non adest copiosus Lochiorum fluxus. Ad gratiam forma ELEOSACCHARI aliis additur. *Externe* in carie.

DOSIS. Olei est gutta una ad drachmas duas ELEOSACCHARI.

TINCTURA CINNAMOMI exhibetur in haemorrhagia uteri a debilitate, viribus exhaustis.

DOSIS TINCTURAE est a guttis viginti ad quadraginta cum aqua, verum non antea adhibeatur, donec Ipecacuanha parva dosi exhibita inefficax sit. In gravidis aut partu absoluto, excepta placenta brevia, in ipso partu, nata haemorrhagia, TINCTURAE CINNAMOMI uncia semis cum unciis sex Aquae Melissae diluta omni quadrante aut dimidia hora ad cochlearia duo sumta semper egregios effectus producit.

PRAE-

PRAEPARATA.

TINCTURA SEU ESSENTIA CORTICIS CINNAMOMI. MORSULI STOMACHICI.	*vide praeparata P. II.*

V. ⊙ CORTEX CITRI. vide *Fructus*.

N. ph. l. V. ⊙ CORTEX FRAXINI.

N. germ. *Eschenrinde*, *Wunderholzrinde*, *Aschrinde.*

N. syst. L. (Fraxinus excelsior.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 328. REGNAULT Botan. Le Frene.

Partes usuales. *Cortex et Folia; sicca.*

Fraxinus excelsior; foliis serratis, floribus apetalis LINN. *Sp. pl. p.* 1509.

Est Arbor Europaea indigena speciosae proceritatis et celeris incrementi. Et haec Mannam in calidioribus regionibus erogat. Meloe vesicatorius saepe frondes hujus arboris, quae et pluribus aliis insectis obnoxia est, consumit. CORTEX glaber, fragilis, extrinsecus cinereus in viridem vergens, punctis lucidioribus et gibbis notatus, interne ex albo flavescens, saporis amari et austeri tam recens quam siccus, odore autem destituitur. Eligatur cortex e ramis vetustioribus, saepe fissuris et sulcis conspicuus, et ab epidermide et lichene liberetur.

Infusum corticis aquosum et spirituosum luci obversum pallide luteum exhibet colorem, deorsum autem visum vel intra oculum et opacum objectum collocatum, coeruleum apparet. Nigrum colorem cum solutione vitrioli martis commixtum generat. Decoctum amarum acremque saporem prae se fert. Uncia una corticis praebet Extracti aquosi drachmas tres; eadem vero quantitas Extracti spirituosi unciam dimidiam cum granis triginta, cujus resina pura viridis est (COSTE et WILLEMET *Essais sur quelques Plantes indigenes* p. 64). EXTRACTUM ejus *Garayana* methodo paratum et aqua solutum carnem bubulam et coagulum sanguinis diu a putredine in temperato calore praeservat, quin diutius, quam Sal sic dictum essentiale Corticis Peruviani (BUCHHOLTZ *chym. Versuche p.* 88 *sqq.*).

FOLIA alvum blande promteque purgant. Id quod a quodam TABLET, Sennae eadem aequiparante, jam anno 1711 observatum est, sed iteratis paucos ante annos experimentis constitit, dosi tertiam partem majori, quam qua *Senna orientalis* seu *alexandrina* vim praestat, opus esse; drachmae tres loco duarum, et decem drachmae loco unciae unius *Sennae orientalis* seu *alexandrinae* adhiberi debent. Praeter vires blande purgantes et quidem minori incommodo juncto quam in *Senna orientali* etiam lotium sensibiliter pellunt; quod verosimiliter dependere videtur ab Insecto Meloe vesicatorio, quod ab his foliis nutritur et ibidem degit. Cum copiose

se apud nos crescat et tanquam medicamentum indigenum, quod sine adulteratione haberi potest, attentionem medicorum meretur, hinc quoque FOLIA *Fraxini* etiam FOLIA *Sennae germanicae* dicuntur.

V. CORTEX GRANATORUM. vide *Flores balaustiorum.*

N. ph. l. V. ⊙ CORTEX HIPPOCASTANI.

N. germ. *Rosskastanienrinde, wilde Kastanienrinde.*

N. syst. L. (Aesculus Hippocastanum.)

Icon. Vide ZORN Pl. med. Tab. 68. JO. MILL. Illustr. Syst. sex.

Partes usuales. *Cortex siccus.*

Tempus collectionis. *Colligi debet cortex vere, nec ex ramis non nimis crassis vel vetustis, nec adhuc nimis teneris et alburnum adhuc adhaerens cultro auferendum.*

Aesculus Hippocastanum; floribus heptandris LINN. *Sp. pl. p.* 488.

Est Arbor, quae ex Asia septentrionali per Constantinopolin medio circiter seculo 16 in Europam transmigravit, ubi nunc in ambulacris vulgaris, procera, longaeva, quandoque 80 annorum et 50 pedes alta, umbrosa, et speciosa foliis digitatis amplisque et thyrsis erectis florum albidorum sauciata Balsamum terebinthinaceum viscidum pellucidum stillat. Apes floribus alliciuntur. Fructus vero tegmine suo externo echinato exuti oeconomis placent. Nutritiva pars maceratione conquassati fructus in aqua et subsequa colatione ejusdem per cribrum eruitur, quibus factis pulvis fundum petit, repetitis vicibus lavandus, dein blande siccandus; hic ipse omnis odoris et saporis expers amylum egregium album sistit (PARMENTIER *Recherches sur les vegetaux nourrissants p.* 176, 218.). Aqua in qua maceratio fructus contusi facta, pro lotione adhibetur et vim saponis habet; eadem vis saponacea apparet in fecula, quae instar furfurum Amygdalarum ad mundandas manus apta est.

CORTEX Peruviano colore similis, saporis pariter amari, subadstringentis instar Peruviani corticis. Servat vim suam integram per plures annos, modo non in pulverem redactus fuerit, tum enim odorem vappidum, adversum, contrahit orbaturque balsamica sua virtute. Decoctum antisepticum effectum exserit in carnem bubulam, vitellum ovi, serum sanguinis, bilem, sanguinem, quin in serum sanguinis, Cortice Peruviano potentius PEIPERS *Diss. de Cortice Hippoc. Duisburg* 1763.).

Analysis chemica praeterea visa fuit similem naturam in hoc et Cortice Peruviano arguere (PEIPERS *l. c.*) Uncia ejus una cum aqua decocta liquidum constituit austerum, quod inspissatum Extracti drachmas tres largitur. Eadem vero quantitas spiritu vini macerata Extracti drachmas duas cum dimidia erogat (COSTE et WILLEMET *l. c. p.* 61.). Infusum sive aqua sive spiritu vini factum, si aqua diluitur, colorem suum aureo luteum

in

in coeruleum mutat (REMLER *in Almanach für Scheidekünstler und Apoth.* 1785 *p.* 124.).

VIRES. Roborantes, adstringentes.

USUS. In intermittentibus febribus loco corticis Peruviani laudatur.

V. CORTEX MEZEREI. vide *Radices.*

V. ⊙ CORTEX NUCUM JUGLANDUM VIRIDIUM. vide *Fructus.*

V. ⊙ CORTEX QUERCUS. vide *Fructus.*

N. ph. l. V. ⊙ CORTEX SALICIS ALBAE.

N. germ. *Gemeine weisse Weidenrinde, weisse Felberrinde, Baumwollen Felberrinde, Jahrweidenrinde.*

N. syst. L. (Salix alba.)

Icon. Vide ZORN Pl. med. Tab. 492. HOFFMANN Fasc. II. Tab. 7, 8. Fig. 1, 2.

Partes usuales. *Cortex et Folia; sicca.*

Tempus collectionis. *Cortex colligendus est Mense Aprilis et Maji ex arboribus junioribus ramorum bi- vel triennium in loco humido ast non in palude habitantibus, et in umbra aere perflata siccandus, nec prius, quam eo utendum est, incidendus et in pulverem dissolvendus, servetur in vitro bene clauso.*

Salix alba; foliis lanceolatis acuminatis serratis, utrinque pubescentibus, serraturis infimis glandulosis LINN. ed. MURRAY *Sp. pl. p.* 1449. No. 31.

Est Arbor vulgaris, alta, sponte in sylvis apud nos crescens, ad pagos vero copiose ob usum oeconomicum plantatur. Placent enim ejus rami recti et flexiles ad perticas, ad circulos doliorum, ad varia vincienda, et in arte tinctoria. Arbor omnibus partibus balsamica et amaro adstringens.

CORTEX obscure viridis, crassitie unius, duorum aut trium pollicum, sapore grate amarus, subadstringens cortici Peruviano similis, odor balsamicus. Unciae quatuor corticis Salicis albae in balneo mariae evaporando decoctum largiuntur unciam unam et grana octodecim Extracti gummosi profunde rubri, et resinosi unciam unam, drachmas duas et grana viginti ex eadem quantitate corticis obtinuit (COSTE et WILLEMET *l. c.*), hinc patet corticem Salicis albae continere partes gummi-resinosas; gummosas

partes minori copia continet quam cortex Peruvianus luteus seu communis, et cortex Salicis laureae, quae corticem Peruvianum luteum quantitate partium gummosarum superat. Ratione corticis Peruviani rubri vero cortex Salicis albae eandem copiam gummosarum partium continet.

Partes resinosae ratione corticis Peruviani lutei duplo majori copia insunt cortici Salicis albae, ratione Peruviani corticis rubri vero tertia parte majori copia. Praeterea cortex Salicis albae terreas particulas et martiales continet juxta celeb. GÜNZ (*de cortice Salicis cortici Peruviano substituendo commentatio Lipsiae 1787. p, 20*). FOLIA supra descripta juniora Balsamum spirant et amara magis sunt, adultiora potenter adstringunt, virtute vix a cortice multum differre videntur.

N. ph. l. V. ⊙ CORTEX SALICIS LAUREAE.

N. germ. *Wasserweidenrinde*, *Lorbeerweidenrinde*, *Lorbeerblättrichte*, *Fünfstaubfadigte Weidenrinde*, *Bitterweiden - Busch oder Strauchweiden*, *Schaafweidenrinde.*

N. syst. L. (Salix pentandra.)

Icon. Vide GEORG. FRANC. HOFFMANN Histor. Salic. iconibus illustrata Fasc. I. Lipsiae apud Crusium 1785. Fasc. II. ibid. eod.

Partes usuales. *Cortex et Folia; sicca.*

Tempus collectionis. *Ut Salicis albae corticis.*

Salix pentandra; foliis serratis glabris odoratis, flosculis pentandris LINN. *Sp. pl. p.* 1442. No. 3.

Est Arbor mediae magnitudinis, altitudine duarum orgyarum sponte in locis septentrionalibus uliginosis, praecipue in nemoribus insularum Danubialium crescens. Omnes alias species Salicum balsamica sua natura superat; plures enim odoratas et volatiles amoenas partes continet. Ita GÜNZ, HARTMANN, MÖNCH, SPEKBRUK et BERGIUS judicant et hanc Salici fragili praeferunt.

CORTEX recens crassitie unius, duorum, aut trium pollicum colorem habet viridem splendentem aut flavescentem, aut flavo - rubescentem, siccatus vero fuscum, odorem fragrantem balsamicum gratum, saporem moderate amaricantem et adstringentem. Unciae quatuor corticis drachmas sex Extracti gummosi, et unciam semis resinosi largiuntur. Cortex Salicis Laureae seu pentandrae gummosarum partium plus continet, quam cortex Salicis albae et cortex Peruvianus luteus ac ruber; resinosarum partium vero minus, quam uterque cortex Peruvianus. FOLIA descripta terendo odorem Lauri spargunt.

N.

N. ph. l. V. ⊙ CORTEX SALICIS VITELLINAE.

N. germ. *Gelbe Weidenrinde, Goldweidenrinde.*

N. syst. L. (Salix vitellina.)

Icon. Vide GEORG. FRANC. HOFFMANN Hist. Salic. icon. illustr. Fasc. I. et II.

Partes usuales. *Cortex et Folia; sicca.*

Tempus collectionis. *Ut Corticis Salicis albae.*

Salix vitellina; foliis serratis ovatis, acutis, glabris; serraturis cartilagineis, petiolis calloso - punctatis. LINN. *Sp. pl.* Edit. 2. *Holm.* 1763. Tom. II. p. 1442. No. 5. *Hort. Upsal.* p. 295.

Est Arbor, quae habitat in Europa temperatiore, praecipue ad ripam Leytae alibique ad pagos et in hortis rusticorum ad aquas sitis.

CORTEX Salicis vitellinae omnes reliquas species Salicum copia partium resinosarum superat, imo corticem Peruvianum luteum et rubrum. Partium gummosarum cortex Salicis vitellinae eandem copiam continet, ut cortex Peruvianus luteus seu communis. Duplo majorem vero quam cortex Peruvianus ruber; resinosarum partium quoque duplo majorem quantitatem continet cortex Salicis vitellinae, quam cortex Peruvianus ruber et triplo majorem, quam cortex Peruvianus luteus. Partes volatiles corticis Salicis vitellinae natura sua illis Peruviani utriusque corticis proximi sunt. FOLIA partium constitutivarum ratione et virtute vix a cortice differre videntur. Cortex Salicis albae et vitellinae, quoad principia sua admodum similes sunt et utroque cortici Peruviano maxime affines.

VIRES. Adstringentes, roborantes, et antiputredinosae.

USUS. Omnes illae tres species Salicum tanquam succedanea corticis Peruviani febrifugi exhibitae erant, quod de medicina alias efficaci tamen non confirmat certior praxis. Cortex Salicis albae et vitellinae, quidem in febribus intermittentibus etiam autumnalibus aliquas vires febrifugas possident, cortex Salicis Laureae vero in senibus, rigida vel stricta fibra affectis, vel aegris inopia humorum peccantibus illis albae et vitellinae tunc praefertur; plus vero cortices Salicis albae et vitellinae in febribus putridis biliosis valent. Ratione virtutis antisepticae cortices Salicis albae et vitellinae externe in gangraena sicca et humida, ulceribus putridis, carie et spina ventosa forma fomenti aut cataplasmatis adhibiti corticem Peruvianum multum superant ut Experimenta numerosa in Nosocomio magnae domus pauperum et militari Viennae instituta evincunt.

CORTEX SASSAFRAS: vide *Ligna*.

N. ph. l. ⊙ CORTEX SIMARUBAE.

N. germ. *Simarubarinde*, *Ruhrrinde*.

N. syst. L. (Quassia Simaruba.)

Icon. Vide AUBLET Hist. des plantes de la Guiane Francoise Tom. II. p. 859. Tab. 331, 332.

Partes usuales. *Cortex radicis siccus.*

Quassia Simaruba; floribus monoicis, foliis abrupte pinnatis: foliolis alternis subpetiolatis, petiolo nudo, floribus panniculatis LINN. *Sp. pl. p.* 234. Conf. LINN. *M. m. E. I. p.* 188.

Est Arbor Americana alta in locis arenosis Cayennae et Guianae et in insula Sandominicana, in Carolina et Jamaica crescens. Nomen Simaruba caribaeum est (AUBLET l. c. p. 860.); CORTEX, praecipue iste, qui radicem cingit arborem celebrem reddit. Insignis crassitiei radix est, ample prope superficiem soli se se extendens, et subinde quoad dimidium ejus tegmine denudata.

Quando cortex vel ex trunco vel ex radice deglubitur, succum lacteum fundit. Praestat cortex radicem obvolvens illo ex ramis. CORTEX RADICIS siccatus in frustis ad nos transfertur aliquot subinde pedes longis, aliquot pollices latis et usque ad totam lineam crassis, convolutis et longitudinaliter varie plicatis, compagis fibrosae et laxae. Levis, valde tenax, flexilis, extus coloris albicantis brunei et protuberantiis rotundis, fibrarum succisarum reliquiis obsessus, epidermide pallidiori indutus, interne glaber, coloris dilutioris saepe membranulis libri vestitus, odoris nullius, saporis intense amari sine adstrictionis sensu. Rejiciatur cortex profunde bruneus vix amarus, minus tenax, vetustus, lignosus et eminentiis rotundis carens. Pars lignosa forte adhaerens ante usum, ut iners, abjiciatur.

Prout olfactu sua sponte nihil odoris spargit: ita nec destillatione aliquid ejusmodi eruitur. Carere adstringente natura, confirmat et coloris nigri, sub vitrioli martis miscela, absentia. Amarities autem facile tam cum aqua quam cum spiritu vini infusione se se communicat, ut tamen frigidae aquae plus virtutis conciliare videatur, quam calidae, quod quidem sapor suadet (LEWIS.) Utrunque menstruum maceratione coloratur. Decoctum aqua factum, dum calet, pellucet et flavum est, postquam vero refrixerit, turbidum et rubicundo-brunum fit. Extracti aquosi larga copia inde eruitur $\frac{1}{6}$ (CRELL *Diss. de cortice Simaruba resp.* LINCKER *p.* 20.) saporis valde amari; spirituosi autem vix $\frac{1}{10}$ modo inest amarissimi, a quo resina separari non potuit (CRELL *l. c. p.* 21.).

VIRES. Roborantes, leniter adstringentes.

USUS. In Dysenteria evacuatis antea primis viis, si dejectiones non cessant. Optime forma decocti exhibetur. Sic uncia una aut duae corticis in aquae

aquae unciis sedecim ad remanentiam unciarum duodecim coquuntur, et inde cochlearia duo pro dosi exhibentur.

N. ph. l. V. ⊙ CORTEX ULMI.

N. germ. *Ulmenrinde, Rüsternrinde weisse.*

N. syst. L. (Ulmus Campestris.)

Icon. Vide ZORN Pl. med. Tab. 426. *Flor. Danic.* Tab. 632. SCHÖLLENBACH Abbild. Vol. II. Tab. 19, 20.

Partes usuales. *Cortex interior, qui ligno proximus est, recens, trunci et ramorum, et Folia; recentia.*

Ulmus Campestris; foliis duplicato-serratis, basi inaequalibus LINN. *Sp. pl. p.* 327.

Est Arbor indigena procera, crescens tam in australiori quam frigidiori Europa, Gades et Gestriciam terminos ponente ill. LINNAEO. Multae quidem sub hac specie varietates comprehenduntur; intelligitur vero hic ista in Germania quoque multis locis spontanea.

CORTEX medius, interior, ligno proximus ex arboribus junioribus, tenax glaber, coloris flavescentis, siccatione ruffescentis, saporis mucilaginosi subamari, subadstringentis. Cortex exterus asper dehiscens bruneus ab interiori separandus et abjiciendus. Mucilaginis in arbore hac multa indicia sunt, et in diversis quidem ejus partibus. Erogat eam Cortex juniorum ramorum aqua contritus et haec ipsa contra ambustiones valde laudatur. Cortex ramorum magis amarus est cortice trunci, tenelli rami vero tantopere mucilagine abundant, ut haec in fila trahi possit (BERGIUS *M. m. p.* 184.).

Decoctum Corticis interioris vitriolo martis ex fusco nigrescit. Verno tempore, dum floret arbor, paratum decoctum colorem amoenum purpurascentem; seriori autem tempore brunum habet; saporis blande adstringentis est, sed, condensatum in Extractum, valde austeri. Si Cortex succo valde scatet, vel decoctio nimis protrahitur, decoctum ob mucilaginem uberius evolutam ingratius bibitur (cl. LYSONS *in Med. transactions, Vol.* II. *p.* 203 *sqq*). FOLIA supra descripta viscida aestate et autumno adultiori aquae per tempus indita, eandem impraegnant suo succo, ita, ut potata instar Mannae alvum solvat (PALLAS *Reise Vol.* III. *p.* 653.).

VIRES. Roborantes, purificantes.

USUS. In Herpete et ulceribus mali moris.

DOSIS. Uncia una ad duas in libris quatuor aquae ad remanentiam medietatis coquitur et mane et vesperi duo vascula exhibentur per se aut cum melle; *externe* etiam instar lavamenti adhibetur. Usus decocti diu continuandus.

§. III.

§. III. *LIGNA.*

N. ph. l. V. ⊙ LIGNUM GUAJACUM, seu SANCTUM, seu INDICUM.

N. germ. *Guajacholz*, *Pockenholz*, *Franzosenholz*.

N. syst. L. (Guajacum officinale.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 350. ZORN Pl. med. Tab. 539.

Partes usuales. *Lignum integrum cum cortice, seu Rasura vel rapsatura vel Scobs Ligni Guajaci cortice adhuc adhaerente; et Gummi-resina Guajaci nativa seu Resina Guajaci nativa, seu Gummi Guajaci nativum.*

Guajacum officinale; foliolis bijugis obtusis LINN. *Sp. pl. p.* 546.
Est Arbor Americana in Jamaica, Domingo, Hispaniola, Barbados, Brasilia, aliisque regionibus Americae meridionalis et pluribus insulis Indiae occidentalis spontanea.

LIGNUM compactum, ponderosum, resinosum, ergo flammae admotum inflammabile, cortice vestitum lineam supraque crasso, ex pluribus quasi stratis constructo facile discerpendis, extus scabro fissurisque variis maculisque ex livido griseis notato, intus griseo vel flavicante, alburno instructum pallide flavo et matrice dura resinosa, e nigro viridescente. Ex patria advehitur integrum in frustis plurium Centenariorum, ob duritiem vero in Belgio et Anglia in scobem etiam redigitur, sicque comminutum in officinis sub nomine *Rasurae* vel *Rapsaturae*, vel *Scobis Ligni Guajaci* vel *Sancti* prostat. Scobis longitudinaliter secta unius coloris vel ex viridi brunei vel undis obsoletis intensioris coloris, punctisque nigris variegati, vel flavicantis undisque pene nullis et punctis nigris paucis, transversim autem secta in media parte obscurius apparet quam in partibus exterioribus. Fragmenta minora aeri libero exposita colorem bruneum in coeruleo-viridescentem mutant. Sapor subacris et amaricans, odor nullus nisi calefactum vel ardens et tunc aromaticus. Eligatur ponderosius, coloris obscurioris, cortice adhuc adhaerente, facillime ardens et tunc Resinam exsudans; rejiciatur lignum leve et coloris dilutioris.

Lignum sanctum proprie alia species est, colore pallidiori flavo et nucleo tenui viridi minorique gravitate distinguenda, a viribus *Guajaci*, pro quo interdum divenditur et cum quo saepissime mixtum est, non multum secedens. *Guajacum Lignum* multum Resinae continet, quae vero adeo arcte cum Gummi copulatur, ut, sive spirituosum sive aquosum menstruum pro digestione adhibeas, utriusque non levis pars simul eruatur. Ast Resina semper majori quantitate ligno inest, Gummi solummodo ⅙ pars. In arboribus aetate provectioribus plerumque per corticem sponte exsudat id quod *Gummi-resina Guajaci nativa* dicitur; sauciata vero arbore copiosior longe ejus proventus fit (BROWNE *l. c. p.* 226. *not.*). Sponte proveniens virtute praestat alteri, arte prolicitae, *nativa* vero fere semper adulterata ob-

observatur, ideo in officinis, *Gummi-resinae nativae*, *Resina* ex hac *arte parata* praefertur; haec enim *Gummi-resinae nativae* longe efficacior et odorem Vanillae habet.

Haec *Gummi-resina nativa* sicca in magnis inaequalibus frustis ad nos advehitur, saepe fragmentis corticis unitis, fragilis, friabilis, diffracta nitens et luci opposita semipellucida, coloris extus ex flavo fusci, intus in viriditatem coerulescentem vergentis, interspersis ex flavo bruneis et albicantibus granis, pulverisata pulverem album exhibet saporis amaricantis, acris, urentis, prunis inspersa odoris grati peculiaris. Intra digitos non lentescit, intra dentes vero tenax evadit, igne modico funditur, odorem spargens gratum, in pulverem redacta albescit et tractu temporis viridescit, vaporibus Spiritus nitri exposita coerulescit, etiam cum aqua et Saccharo, mediante mucilagine Gummi arabici, mixta, post aliquot horas viridescentem, in Spiritu vini soluta ex admixtione dicti mucilaginis et ex affuso Spiritu salis ammoniaci coerulescentem induit colorem.

Eligantur frusta inaequalia, quibus cortex adhuc adhaeret vel immersus est, fracturae viridescentis et nitidae, granis flavis vel albicantibus variegatae, semipellucida, odoris super prunis admodum grati. Adulteratur cum Resina communi per Tincturam Millefolii colorata et cum Colophonio, quae adulterationes defectu coloris radiantis viridis coerulescentis et odore empyreumatico ingrato dignoscuntur. Lucri causa pro *Resina Guajaci nativa* divenditur subinde *Resina Guajaci factitia*, ex ligno parata, quae solutione in Alcohole vini plenaria distinguitur, quum ex uncia *nativae* circiter solummodo grana 220 in Spiritu vini solvuntur, praeterea sapore minus acri sed amariori. Rejiciatur granulosa, brunea, nigrescens, opaca, optime inaequalis, in pulverem redacta ex flavo brunea, purissima, fracturae magis fuscae quam viridescentis, et super prunis male olens.

Lignum.

VIRES Calefacientes, diaphoreticae, depurantes.

USUS. In morbis venereis, scabie, morbis cutaneis variis, rheumatismis chronicis, arthritide et podagra ab acrimonia venerea juncta.

DOSIS. Drachmae duae ad unciam semis forma decocti, cum Saponaria, Althaea, Stipitibus dulcamarae. In plethoricis, haemoptoicis, phthysicis, hominibus stricti temperamenti usus hujus Ligni penitus vitandus.

Resina seu Gummi Guajaci nativum.

VIRES. Calefacientes, stimulantes, sudoriferae.

USUS. In arthritide, podagra, rheumatismis chronicis et obstructionibus viscerum abdominalium; absente plethora, aut inflammatione, aut haemorrhoidibus, aut haemoptoe.

DOSIS. A granis quinque ad decem, per se cum Saccharo, Sulphure aurato antimonii, Mercurio dulci, Spiritu vini, Gummi ammoniaco, Asa foetida, Myrrha, Extracto Aconiti, Cicutae, aut Cremore Tartari. Celeb. HAHNEMANN Tincturam commendat valde efficacem ex aequali parte *Gummi Guajaci nativi* et Olei Tartari per deliquium cum sufficienti quantitate

Spiritus nitri dulcis extrahatur Tinctura. RESINA GUAJACI ARTE FACTA PURA ex *Gummi Guajaci nativo* parata, odoris grati Vanillae similis in morbis mox dictis longe efficacior et optime forma pilulari aut forma pulveris a granis tribus ad sex exhibetur.

PRAEPARATA.

EXTRACTUM LIGNI GUAJACI GUMMOSO - RESINOSUM. RESINA GUAJACI ARTEFACTA PURA. SPECIES LIGNORUM. TINCTURA GUAJACI VOLATILIS. TINCTURA SEU ESSENTIA GUAJACI SIMPLEX.	*vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ LIGNUM JUNIPERI, seu CEDRINUM.

N. germ. *Wachholderholz*, *Kadiggholz*, *Kranawetholz.*

N. syst. L. (Juniperus communis.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 184. ZORN Pl. med. Tab. 178.

Partes usuales. *Lignum cum Cortice siccum*, *Baccae maturae*, *et Resina Sandaracha.*

Juniperus communis; folii ternis patentibus mucronatis bacca longioribus LINN. *Sp. pl. p.* 1470.

Est Frutex seu Arbor in sylvis indigena.

LIGNUM trunci, ramorum majorum, et radicis, sed ultimum ob majorem odoratum praeferendum, solidum, ponderosum, cortice cinereo cinctum, interne rubellum, odoris grati fragrantis, inprimis si comburitur et saporis aromatici, subacris resinosi. BACCAE globosae carnosae, infra tribus perianthii reliquiis obsoletis et supra tribus a petalis relictis exiguis dentibus notatae, extus nigrae et glabrae, intus rufescentes et resinosae, cum tribus oblongis, uno latere convexis, altero angularis seminibus duris, pulpa rufescente subviscida; odor balsamicus gravis, sapor amaricans cum dulcedine resinosus.

Eligantur recentes, grandiores, succosae, ponderosae, maturae ideoque atrae. Celeb. DEHNE (vide CRELLS *chym. Journal.* 3. *p.* 16.) ex libris 15 Rasurae Ligni Juniperi Olei essentialis crassiusculi aquae innatantis uncias duas et a 60 libris Baccarum maturarum uncias 6 et drachmas 6 hujus Olei obtinuit: *Sandaracha.* Prope nodos et inter corticem et lignum colligitur saepe haec Resina, quae dum exsudat, liquida, dein concrescit in glebulas semipellucidas flavescentes odoris non ingrati, saporis fere expertes. Aqua nihil solvit, sed Spiritu vini, Oleis aethereis, et Aethere haec Resina penitus solvitur.

Lignum.

VIRES. Stimulantes, purificantes, diureticae.

USUS.

USUS. *Ligni* et *Ramornm* in morbis venereis, scabie, uleeribus scorbuticis, in catharacta incipiente.

DOSIS. Drachmae duae aut uncia semis Ligni in aqua cocta. Ratione Olei contenti plethoricis, et haemorrhagiis subjectis Decoctum Ligni non exhibendum.

Baccae.

VIRES. Calefacientes, stimulantes, diureticae.

USUS. In Hydrope, ischuria, stranguria a sabulo aut calculo.

DOSIS. *Baccae* in pulvere a granis triginta ad quadraginta, in decocto drachmae duae ad uncias sex aquae. Additur saepe Cremor Tartari aut Mel. ROOB BACCARUM IUNIPERI minimam copiam Olei essentialis possidet. In subjectis irritabilibus, plethoricis, aut praesente febre usus harum vitandus. In hydrope decoctum frequenter utitur.

PRAEPARATA.

AQUA DESTILLATA BACCARUM JUNIPERI.
ROOB BACCARUM JUNIPERI.
SPIRITUS JUNIPERI.
} *vide praeparata P. II.*

N. ph. L. V. ⊙ LIGNUM QUASSIAE.

N. germ. *Quassienholz, Surinamisches Bitterholz.*

N. syst. L. (Quassia amara.)

Icon. Vide LINN. Dissertat. de Ligno Quassiae in Amoenit. Acad. Vol. VI. p. 416. item ROZIER observ. sur la Physique 1777. p. 140. sqq. Fevrier Tab. 2.

Partes usuales. *Lignum cum Cortice siccum, vel Cortex solus.*

Quassia amara; floribus hermaphroditis, foliis impari-pinnatis, foliolis oppositis sessilibus, petiolo articulato alato, floribns racemosis LINN. *Supplem. pl. p. 235. Conf. ejusd. Spec. pl. p. 553. 1769. Dissert. de Ligno Quassiae in Amoen. acad. Vol. VI. p. 416. sqq.*

Est Arbor mediae magnitudinis in Surinamia spontanea et in aliis insulis Americanis crescens. LIGNUM trunci et ramorum in frustis subcylindricis diversae magnitudinis et crassitiei, solidum et durum, leve, subalbidum vel pallidum, extus communiter cortice tenui aspero vel rugoso, ex albo cinereo, intus albicante, facile separando et friabili vestitur, qui subinde solus a medicis sub nomine CORTEX LIGNI QUASSIAE praescribitur. Eligantur frusta majora, coloris albicantis et cortice instructa; rejiciantur segmenta tenuia, maculis fuscis, cinereis, brunis, coeruleis vel atris notata; subinde Ligno *Rhois metopii* LINN. adulteratum occurrit, cujus vero cortex glaber fortiter ligno adhaeret et hic vel illic maculis resinosis nigris variegatus apparet, lignumque ab aliquot guttulis solutionis Vitrioli martis nigrescit, quibus notis facile a *Ligno Quassiae* discernendum est. Caret

 Lig-

Lignum Quassiae odore omnino, sed amarities illi inest insignis, quae mox Ligno linguae applicato se se manifestat, sed, ut facile apparet, masticatione longe evidentius, diutissime linguae inhaerens, pura, absque ullo adstrictionis sensu conjuncto, gratissima, amygdalis amaris analoga, nec nauseam excitans. Adeo amarum Lignum est, ut pulveris scrupulus unus integram aquae ferventis libram sapore suo impraegnet, et, si aestate duodecies aqua, per debita intervalla et sub justa proportione infundatur, non nisi ultima infusio omnem amaritiem extrahat.

Comparatione facta cum aliis amaris constat *Quassiam* potiorem esse Lichene Islandico, radice Gentianae (cultae) et radice Colombae, superari autem amaritie Colocynthide et Gentiana lutea sylvestri. In eo tamen praeferenda aliis amaris tantum non omnibus, imo Gentianae, quod aestum in corpore non excitet (FARLEY *in Phil. Trans. V.* 58. *p.* 81. BERGIUS *M. m. p.* 355.).

Etenim nec infusum nec decoctum *Quassiae*, quamvis magna copia bibitum, pulsum celeriorem vel fortiorem reddit. Differt et ab aliis amaris eo, quod non, ut haecce plerumque efficiunt, alvum moveat. Solutio Vitrioli martis neque infusum neque decoctum *Quassiae* obfuscat, nec caro per aliquot dies in hisce servata rigidior evadit; unde confirmatur, quod jam sensu cognoscitur, vires adstringentes illi non competere. Inebrians vis spirituosorum liquidorum sufflaminatur addita *Quassia*. Decoctum ex *Quassiae* drachma dimidia et unciis octo aquae supra duas uncias Sacchari vel Syrupi corticum aurantiorum fert pro mitiganda amaritie. Gratissimum omnium est infusum ex hoc Ligno cum vino albo Hispanico.

Ope triturae cum aqua bulliente institutae plurimum partium efficacium suspenditur, et praerogativam infusionis prae coctione insuper declarat amarities infusi longe intensior. Extractum aquosum coctione paratum varia proportione obtinetur sic (*Anonym.* in CRELLS *chem. Journ. P. I. p.* 59.) $\frac{1}{4}$ et (celeb. TROMSDORRFF *Dissert. de Quassia amara p.* 10.) mox circiter $\frac{1}{7}$ idque tam amari, ut ejus granum unum aquae libras quatuor notabili amaritie et colore flavescente imbuat. Spirituosi Extracti autem modo $\frac{1}{12}$ (TROMSDORRFF l. c.) obtinuit. In usum igitur practicum concluditur ex hisce, gummosarum partium plus longe Ligno inesse, quam resinosarum, et infusionem cum aqua frigida factam decocto longe esse praeferendam. Olei essentialis exigua portio inde elicitur, quae aquae superficiem instar oleosae pelliculae obduxit, odore praeterea suo et colore lacteo cohobatae aquae cognoscendam.

VIRES. Roborantes, stomachicae, absque omni stimulo et adstrictione.

USUS. In debilitate primarum viarum, cachexia, hypohondriasi, ictero, rheumatismo, hydrope incipiente a laxitate, ulceribus scorbuticis, in debilitate post morbos devictos.

DOSIS. In pulvere non exhibetur, cum difficulter in pulverem redigatur. Potissimum in EXTRACTO, DECOCTO, aut INFUSO FRIGIDO aquoso aut vinoso adhibetur, uncia semis Ligni in aquae purae libr. vj ad dimidiae consumtionem decoquatur; drachmae duae ad unciam semis in infuso frigido ad libras duas aquae aut vini, protrahendo infusionem ad 24 horas usque.

PRAE-

PRAEPARATUM.

EXTRACTUM QUASSIAE.) *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ LIGNUM SASSAFRAS.

N. germ. *Sassafrasholz*, *Fenchelholz.*

N. syst. L. (Laurus Sassafras.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 267. ZORN Pl. med. Tab. 196. TREW Pl. select. Tab. 69, 70.

Partes usuales. Lignum radicis cum Cortice siccum, vel Cortex solus.

Laurus Sassafras; foliis integris trilobisque LINN. *Sp. pl. p.* 530.
Est Arbor staturae et crassitiei pro climatis discrimine variae, in temperatioribus Americae septentrionalis regionibus, Virginia, Carolina, Florida, item in Canada prope regionem Irocensium et quidem in sylvis, ad sepes, in agris derelictis, terra exsucca habitans. LIGNUM RADICIS prostat in frustis longis, levibus, compagis spongiosae, coloris ex albo ferruginei, odoris fragrantis ad foeniculum accedentis, saporis subdulcis, aromatici et subacris. CORTICE instructum est Lignum, qui etiam a medicis solus praescribitur, rugoso, spongioso, crasso, in strata tenuia discerpendo, extus ex cinereo fusci, intus ferruginei coloris, odoris et saporis fortioris. Rejiciantur frusta grandiora, inodora et cortice plane destituta.
Lignum aquam destillatam erogat, Oleum essentiale fragrans, odore Sassafras, pungens, initio coloris expers, aetate autem flavescens, et tandem rubicundum. Fundum aquae petit magna velocitate et ponderosius Oleo Caryophyllorum, quod antea habitum Oleorum ponderosissimum. Quantitas non ab omnibus eadem elicita est. Ex ligni et corticis juncti libris triginta, Olei uncias septem cum drachma una (vide CRELLS *chem. Journ. P. III. p.* 18.). Plus gummosarum partium ligno inest, quam resinosarum, istarum scilicet post primam extractionem ex qualibet uncia drachmae duae, harum vix drachma una, cui tamen haud parum gummi adhuc immixtum (NEUMANN l. c. p. 249.).

VIRES. Stimulantes, calefacientes, solventes, diaphoreticae et diureticae, purificantes.

USUS. In ulceribus venereis, morbis cutaneis et tumoribus rheumaticis.

DOSIS. *Ligni* drachma una et semis cum aquae libra una ad uncias decem coquatur. Vel *Corticis* drachma cum aquae unciis sex infundatur.

N.

N. ph. l. V. ☉ **LIGNUM TILIAE USTUM, seu CARBONES TILIAE.**

N. germ. *Lindenholz gebrenntes, oder Lindene Kohlen.*

N. syst. L. (Tilia Europaea.)

Icon. Vide ZORN Pl. med. Tab. 281. *Flor. Danic.* Tab. 533.

Partes usuales. *Lignum ustum seu Carbones vegetabiles Tiliae.*

Tilia Europaea; floribus nectario destitutis LINN. *Sp. pl. p.* 733.

Est Arbor procera, et longaeva, multis nominibus in oeconomia utilis. Placent ambulacra ex eadem structa ob elegantiam frondis, coronas densas tonsionemque haud aegre admittentes, et florum fragrantiam. In Pharmacia praecipue FLORES TILIAE et LIGNUM USTUM seu CARBONES VEGETABILES TILIAE adhibentur. LIGNUM album, molle et valde leve, hinc a fabris lignariis et sculptoribus expetitur; pictoribus carbones hujus Ligni quoque accepti sunt, et ad pulverem pyrium ob levitatem prae aliis commodi censentur. In Pharmacia vero Carbones praecipue Tiliae et Fagi ad dephlogisticationem variorum corporum adhibentur. LIGNUM USTUM seu CARBONES VEGETABILES sunt corpora sive substantiae post ustionem vel ignitionem, aeris liberi accessu intercepto, lignorum residuae, structuram ac figuram ligni in Carbones mutati retinentes; sunt corpora nigra, solida, minus autem dura, sicca, fragilia, insipida, infusibilia ac in aqua insolubilia, quae in aere libero accensa candescunt, sed sine flamma lucida et sine fumo et fuligine, sensimque in cinerem dilabuntur, candentibus si vero aqua inspergitur, subito flamma exoritur lucida, in vase clauso autem ab igne fortissimo nullam subeunt commutationem. In pulverem redacti et nitro admixti Carbones super prunis detonant simulque alcali ex nitro sejungunt, ex mixtione et fusione Carbonum cum Sali mirabili vel Arcano duplicato Hepar sulphuris exoritur.

Eligantur Carbones ineunte aestate cocti, in frustis magnis facile fragilibus, solidis, levibus, quodammodo sonoris, figuram ligni retinentibus, nitidis et passim maculis infuscatis notatis, parum denigrantibus, qui si igniuntur, nullum spargant foetorem, nec flammam largiantur albam, nec dissiliant nec crepitent. Gradatio bonitatis in Carbonibus lignosis sequens: Carbones ex ligno Tiliae, Faguum, Betularum, Carpinorum, Acerum, Alnorum, Pini sylvestris, Pini piceae et Abietis, Quercuum. In regionibus sylvaticis et apud nos Carbones methodo nota conficiuntur. Quodsi a Pharmacopola ipso Carbones ex hoc vel illo ligno v. c. Tiliae conficiendi, lignum in argillam humidam cum palea hordeacea mixtam involvat, involucro sensim sensimque exsiccato, lignum eo tectum igni culinari vel fornaci pistorio imponat, ut, candente argilla tegente, lignum in Carbonem mutetur.

FLORES TILIAE arboribus inhaerentes, suavem odorem spargunt; adeo autem imo insigni distantia fortem, ut caput obnubilent et somnolentiam pariant; horum apes valde avidae sunt, indeque Mel praestantissimum in Polonia et Lithuania colligunt. Siccatione perit odor, sapor dulcis, subviscidus; etiam mucilago per omnes arboris partes dispersa est. Quod odo-

odorum floribus inest destillatione in aquam transit, sed nullum simul Olei vestigium apparet, etiamsi cohobatio accedat (MARGGRAF *Memo. de l'Acad. de sc. de Berlin* 1772. *p.* 4.). Ex residua massa Extractum subdulce suaveolens eruitur, quod ipsum dilutum aqua fermenti ope fermentationem subit et liquorem vinosum largitur, ex quo destillatione repetita Spiritus vini probus obtinetur. Idem et ex floribus ipsis, sive recentes sive sicci sint, absque fermenti additamento elici potest (MARGGRAF l. c.). Digestione cum aqua facta crassa mucilago extrahitur. Extractum autem spirituosum austerum et nonnihil amaricans est (CARTHEUSER *M. m. T. I. p.* 513.).

VIRES. *Interne* absorbentes, anthelminticae.

USUS. In vermibus, etiam Taenia, in inflationibus intestinorum. *Externe* in dentibus cariosis ad dentifricia, ulcera male olentia, inflammationibus a causa externa.

DOSIS. *Interne* drachma semis per se exhibetur. *Externe* in inflammationibus magis refrigerant quam remedia plumbata. In Chemia variis coloratis liquidis pelluciditatem conciliandam et odorem ac saporem ingratum tollendum, hinc ad Salia varia et Acetum depurandum adhibentur.

PRAEPARATA.

CARBONES VEGETABILES TILIAE PRAEPARATI. }
PULVIS DENTIFRICIUS NIGER. } *vide praeparata P. II.*

§. IV. *HERBAE;*

FOLIA, SUMMITATES, STIPITES, TURIONES, GEMMAE.

N. ph. l.	HERBA ABROTANI MARIS, seu HORTENSIS.
N. germ.	*Stabkraut, Eberrautenkraut, Gartheil, Abrand.*
N. syst. L.	(Artemisia Abrotanum.)
Icon.	Vide BLACKWEL Tab. 555.
Partes usuales.	*Herba, Summitates; recentia et sicca.*

Artemisia Abrotanum; fruticosa foliis setaceis numerosissimis LINN. *Syst. veg. p.* 619.

Est Fruticulus in Italia, Gallia, Carniolia in montibus apricis spontanea, apud nos in hortis colitur. FOLIA ramosissima, ex albo viridescentia, seticea, saporis amari aromatici, odoris balsamici, aromatici penetrantis, quorum uterque siccando debilior fit. Parcam copiam Olei destillati, ex libris sedecim recentis herbae et summitatum vix drachmas tres (LEWIS *M. m. p.* 4.), suppeditat, quod ipsum sensus eodem modo ac partes ipsae stirpis afficiunt, multaque continet tam Aqua quam Spiritu vini solubilia.

VI-

VIRES. Resolventes, stimulantes, calefacientes, diaphoreticae, antiputredinosae.

USUS. In chlorosi, cachexia, vermibus. *Externe* in contusionibus, gangraena.

DOSIS. In pulvere ad drachmam semis, unam; ad unciam semis in infuso aquoso aut vinoso.

N. ph. l. V. ⊙ HERBA ABSYNTHII VULGARIS.

N. germ. *Gemeines Wermuthkraut, gemeine Wermuthblätter.*

N. syst. L. (Artemisia Absynthium.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 17. ZORN. Pl. med. Tab. 34.

Partes usuales. Herba, Summitates cum floribus; recentes et siccae.

Artemisia Absynthium; foliis compositis multifidis, floribus subglobosis pendulis, receptaculo villoso. LINN. *Sp. pl. p.* 1188.

Est planta perennis in locis ruderatis et ad vias crescens ac in hortis culta. FOLIA sessilia; radicalia et caulina inferiora sunt composita et multipartita, superiora minora, lanceolata, et simplicia, coloris superne ex viridi cinerei, infra argentei cinerei, odoris nauseosi, saporis valde amari. Odor Olei destillati saporque idem nauseosus ac herbae, etsi non amarus. Libra una Herbae uncias tres Extracti aquosi largitur.

VIRES. Stimulantes, roborantes, resolventes, anthelminticae, antisepticae.

USUS. In cachexia, chlorosi, obstructionibus viscerum, febribus intermittentibus, ictero, vermibus, debilitate primarum viarum post morbos devictos. *Externe* ad fomenta discutientia. *Farina* sicca herbae ad hydrocelen, oedemata; fomentum ad gangraenam laudatur.

DOSIS. Forma pulveris a granis decem ad drachmam semis; saepius vero in infuso aquoso aut vinoso ad unciam semis et in EXTRACTO a scrupulo uno ad drachmam semis, aut in TINCTURA exhibetur.

PRAEPARATA.

EXTRACTUM ABSYNTHII VULGARIS.
VINUM AMARUM. } *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. HERBA ABSYNTHII PONTICI, seu ROMANI.
N. germ. *Welsches oder römisches Wermuthkraut.*
N. syst. L. (Artemisia pontica.)
Icon. Vide ZORN Pl. med. Tab. 379. BLACKWEL Tab. 507.
Partes usuales. *Herba, Summitates; recentes et siccae.*

Artemisia pontica; foliis multipartitis subtus tomentosis, floribus subrotundis nutantibus, receptaculo nudo LINN. *Sp. pl. p.* 1187.

Est planta perennis in Hungariae inferioris, Helvetiae, Sibiriae apricis aridisque locis spontanea, apud nos in hortis culta. FOLIA tenera sunt, tenuissime laciniata, minus amara Absynthio vulgari gratiusque odora, magis autem aromatica.

VIRES et USUS prioris, sed magis calefacientes Absynthio vulgari.

PRAEPARATUM.

TINCTURA SEU ESSENTIA AMARA.) *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ HERBA ACETOSAE VULGARIS.
N. germ. *Gemeiner Sauerampf, gemeinen Sauerampfer-Blätter.*
N. syst. L. (Rumex acetosa.)
Icon. Vide ZORN Pl. med. Tab. 70. BLACKWEL Tab. 230.
Partes usuales. *Folia recentia.*

Rumex acetosa; floribus dioicis oblongis sagittatis LINN. *Sp. pl. p.* 481.

Est planta perennis in pratis omnibus spontanea; cultura autem in hortis, quae ubivis fit, grandescit omnibus partibus et gratior fit. Culta sola officinas intrat. Occurrit et varietas foliis grandioribus et subrotundis hamis brevibus, in hortis *Acetosa hispanica* dicta, quae longe gratiorem saporem acidulum vulgari habet. FOLIA, quae a primo vere ad seram hyemem usque virent, et resectorum in locum abunde nova regerminant. Succus *Acetosae vulgaris* expressus $\frac{1}{300}$ circiter sui ponderis partem *Salis essentialis* largitur, quod ad Acidum tartari accedit, sed magis acidum est, faciliusque longe aqua solvitur et vix Sali Acetosellae secundum.

VIRES Refrigerantes, antiputredinosae.

USUS. In omnibus febribus putridis et inflammatoriis, dysenteria et scorbuto.

DOSIS Uncia semis, una in decocto cum coindicatis, in Sero lactis decocta herba; aut Succus expressus ad uncias duas.

N. ph. l. V. HERBA ACETOSELLAE.

N. germ. *Sauerklee, Hasenkohl, Herzklee, Buchampfer.*

N. syst. L. (Oxalis Acetosella.)

Icon. Vide ZORN Pl. med. Tab. 9. BLACKWEL Tab. 308.

Partes usuales. *Herba recens.*

Oxalis Acetosella; scapo unifloro, foliis ternatis obcordatis, radice dentata LINN. *Syst. veg. p.* 360.

Est planta perennis, in sylvis muscosis et ad sepes umbrosas crebra. FOLIA petiolata, ternata, subpilosa, pallide viridescentia, saporis acidi grati, ad saporem Succi citri vel Acidi tartari accedens gratior *Acetosa vulgari.* Succus expressus *Herbae Acetosellae* $\frac{1}{180}$ circiter sui ponderis partem *Salis essentialis* largitur. Copiose hoc *Sal Acetosellae* paratur in sylva Hercynica et Thuringiaca, item in Helvetia et Suevia; non enim ubivis ea copia prostat strips, ut cum lucro Sal inde erui possit. Quia vero genuinum hoc Sal non adulteratum nimis caro pretio venit, hinc in officinis eadem virtute Sal essentiale tartari longe viliori paratur, quod sine adulteratione haberi potest.

VIRES. Refrigerantes, antiputredinosae.

USUS. In febribus biliosis, putridis, inflammatoriis, dysenteria, in scorbuto.

DOSIS. In DECOCTO ad unciam semis; SUCCUS ab uncia semis, ad unam; CONSERVA ad drachmam unam, duas, aut unciam semis exhibetur.

PRAEPARATUM.

CONSERVA HERBAE ACETOSELLAE.) *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. ⊙ *Herba Aconiti, seu Napelli.*

N. germ. *Eisenhüttlein, Mönchskappe, giftiger Eisenhut, Sturmhut.*

N. syst. L. (Aconitum Napellus.)

Icon. Vide ZORN Pl. med. Tab. 49. item JACQUIN Flor. austr. Tab. 381. BLACKWEL Tab. 561.

Partes usuales. *Herba recens.*

Aconitum Napellus; foliorum laciniis linearibus superne latioribus linea exaratis LINN. *Sp. pl. p.* 751.

Est

Est planta perennis in locis elatis, nemorosis Austriae, Carinthiae, Silesiae Helvetiae, Hercyniae, prope Blankenburgum spontanea. FOLIA ampla ter quater vel quinquies partita, magis vel minus laciniata et acuminata, quorum lacinia ultima inaequaliter trifida et omnes superne linea notatae sunt, glabra, petiolis extus convexis, stria sursum desinente excavatis, desuper magis rotundis et gracilibus, supra profunde viridia et nitida, subtus pallidiora, saporis amaricantis valdeque acris, recentia odoris, si teruntur, quodammodo virosi. Rejicienda Folia plantae in hortis cultae et floribus jam expansis decerpta. Aptissime ergo *Herba recens* pro Extracto legitur, antequam flores prodierint, quod quidem tempus legendis herbis in universum accommodatissimum est.

Ex Herbae *Napelli* recentis libris quatuor expressione per torcular eliciuntur unciae viginti quinque cum aliquot drachmis Succi spissioris. Hic neutiquam depuratus, ex unciis circiter viginti et duabus lente in *Extracti* spissitudinem densatis ejus uncias duas cum dimidia largitur coloris ex fusco rufi (ABRAH. REINHOLD *Diss. de Aconito Napello Argentor.* 1769.). Anno vetustius Extractum vires suas sensim perdit; et in hoc longiori tempore asservato Sal contentum apparet forma crystallina; quod verosimiliter ex Acido phosphori et terra calcarea constat. (vide CRELLS *Annalen* 1788. *p.* 135. 2. *B.*).

VIRES. Resolventes, stimulantes.

USUS. *Interne* in morbis Arthriticis et Rheumaticis chronicis, infarctu et tumoribus glandularum; in Arthritide venerea. *Externe* in Arthritide vaga chronica.

DOSIS. A grano uno ad viginti et quadraginta; praecipue forma EXTRACTI vel per se cum Saccharo, aut cum coindicatis ut Sulphure Antimonii aurato, Camphora, Magnesia, Tinctura Guajaci forma liquida; Sulphure Antimonii aurato, Mercurio dulci, Mercurio praecipitato nigro, Resina Guajaci arte facta, Extractis amaricantibus forma pilulari.

PRAEPARATUM.

EXTRACTUM HERBAE ACONITI NAPELLI.) *vide praeparata P. II.*

N ph. l. V. ⊙ HERBA AGRIMONIAE.

N. germ. *Odermennig, Steinwurzelkraut, Leberklette.*

N. syst. L. (Agrimonia eupatoria.)

Icon. Vide ZORN Pl. med. Tab. 206. BLACKWELL Tab. 21.

Partes usuales. *Herba sicca.*

Agrimonia eupatoria; foliis caulinis pinnatis impari petiolato, fructibus hispidis LINN. *Sp pl. p.* 643.

Est planta perennis in pratis apricis ad sepes et vias indigena. FOLIA ovata, serrata, pinnata, impari petiolato, mollia, pilosa, superne pro-

fundius, infra dilutius viridia, odoris debilis aromatici siccatione pereuntis, saporis salsi, amaricantis, subausteri, adstringentis. Solutio vitrioli martis in infusi aquosi miscela subito nigrescit. Destillatione herbae cum aqua tantillum Olei essentialis flavescentis ascendit, odorem herbae gratum aemulantis (LEWIS *Experim. Hist. of the M. m. p.* 25.).

VIRES. Roborantes, solventes et detergentes, vulnerariae.

USUS. In ulceribus internis; *externe* in angina suppuratoria et aliis ulceribus scopo detergente.

DOSIS. In infuso ad unciam semis, unam.

N. ph. l. V. FOLIA ALNI.

N. germ. *Erlenblätter.*

N. syst. L. (Betula Alnus.)

Partes usuales. *Folia recentia.*

Betula alnus; pedunculis ramosis LINN. *Sp. pl. p.* 1394.

Est Arbor indigena alta in aquosis crescens. FOLIA rotunda, splendentia, profunde viridia, glutinosa, leniter serrata, foliis Juglandis regiae similia, sed non adeo acuminata ut haec esse solent.

VIRES. Discutientes, lactifugae, vulnerariae.

USUS. Ad lac puerperarum lactationem respuentium dissipandum.

DOSIS. Folia concisa super igne in disco incalescant, nec sudare incipiant, dein calide applicentur. Primis diebus cerefolium addi potest. Ulcera corrosiva iisdem foliis sanari feruntur.

V. ⊙ HERBA ALTHAEAE. vide *Radicem Althaeae.*

N. ph. l. V. ⊙ FOLIA AQUIFOLII.

N. germ. *Hülsendornblätter, Stechpalmenblätter, Palmendistelblätter.*

N. syst. L. (Ilex Aquifolium.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 305. ZORN Pl. med. Tab. 372.

Partes usuales. *Folia sicca.*

Ilex Aquifolium; foliis ovatis acutis spinosis LINN. *Sp. pl. p.* 181.

Est Arbor humilis semper virens in sepibus, collibus et sylvis Europae australioris sub umbra aliarum arborum indigena; *sepes vivas* elegantes format, durabiles, densas, ob spinas foliorum marginales pecori infestas, et tam proceras, ut aliquando pedum duodecim altitudinem attingant. FOLIA ovata, acuta, spinosa, coriacea, in pagina superiori glabra, obscure viridia et splendida, in inferiori languida et dilutius viridia, saporis amari, paullo

paullo magis adstringentis sunt, quam folia Theae Chinensis (HEYER in FRIZE *med. Annal. V. I. p.* 301.) plus autem Resinae et Gummatis quam cortex Peruvianus continent (DURANDE *in Memoires de la Societé en Medec. à Paris Vol. I.*).

VIRES. Roborantes, nervinae, antisepticae cortici Peruviano aemulae.

USUS. Foliorum, ut corticis Peruviani.

DOSIS. Eadem, ut corticis Peruviani.

N. ph. l.	V. ⊙	HERBA ARTEMISIAE.
N. germ.		*Beifuſs, St. Johannisgürtel.*
N. syst. L.		(Artemisia vulgaris.)
Icon.	Vide ZORN Pl. med. Tab. 222. BLACKWEL Tab. 431.	
Partes usuales.	*Herba, seu Summitates; Moxa; sicca utuntur.*	

Artemisia vulgaris; foliis pinnatifidis planis incisis subtus tomentosis, racemis simplicibus recurvatis, florum radio quinquefloro LINN. *Syst. veg. p.* 619.

Est planta perennis ad vias et locis ruderatis copiosa. Duplex exstat varietas: *rubra*, caule et flore purpurascente; *alba*, caule et flore albicante. Vires medicae utriusque eaedem. HERBA longe minus amara, quam solet in hoc genere, suaveolens, si leviter teritur, praecipue summitates. Oleum odoratum inde BAYER obtinuit. Extractum aquosum amarum, levissime sapidum, spirituosum aromaticum inde educi testatur LEWIS; *Moxa* seu lanugo grisea, quam Japones et Sinenses ex siccata superiori plantae parte foliisque tusis et inter manus tritis, rejectis fibris et membranaceis reliquiis parant, in conum rotant uncialem, quem cuti saliva si placet affixam accendunt, et hac depasta novam turundam accendunt, donec votis effectus responderit, non tam ratione *Artemisiae*, quae ob mollem compagem lente depascitur, quam quia Cauterium est, operatur. Sed *Moxa* longe mitius operatur quam lanugo Verbasci, radix Aristolochiae accensa, Gossypium, et magis nota Vesicatoria, Synapismi, Cucurbitae.

VIRES. Resolventes, stimulantes, leniter calefacientes.

USUS. In chlorosi, cachexia, defectu menstruorum; *externe* resolvit forma fomenti.

DOSIS. Ab uncia semis, ad unam in infuso exhibetur.

⊙ FOLIA ASARI. vide *Radicem Asari.*

V. ⊙ FOLIA AURANTIORUM. vide *Fructus Aurantiorum.*

N.

N. ph. l. V. ⊙ HERBA BECCABUNGAE.

N. germ. *Bachbungen, Wasserbungen.*

N. syst. L. (Veronica Beccabunga.)

Icon. Vide ZORN Pl. med. Tab. 202. *Flor. Danic.* Tab. 511.

Partes usuales. *Herba recens.*

Veronica Beccabunga; racemis lateralibus, foliis ovatis planis, caule repente LINN. *Sp. pl. p.* 16.

Est planta perennis ad rivos et in fossis fluentibus copiosa. HERBA recens scatet succo aquoso aliquantum amaro, vix adstringente, saponaceo aliis antiscorbuticis mitiori. In tenellis foliis sapor manifestior. Recens solummodo efficax, quum id, quod volatile est, ut in nasturciis, siccando pereat.

VIRES. Antiscorbuticae.

USUS. In ulceribus scorbuticis et contractura crurum.

DOSIS. SUCCUS ab uncia semis ad duas vel tres per se aut cum aliis aut in Sero lactis.

Herba Belladonnae, *vide Radicem Belladonnae.*

N. ph. l. V. ⊙ HERBA BONI HENRICI.

N. germ. *Guten oder stolzen Heinrichkraut, Feldspinat, Schmerbel.*

N. syst. L. (Chenopodium Bonus Henricus.)

Icon. Vide ZORN Pl. med. Tab. 90. *Flor. Danic.* Tab. 579.

Partes usuales. *Herba recens.*

Chenopodium Bonus Henricus; foliis triangulari - sagittatis integerrimis, spicis compositis aphyllis axillaribus LINN. *Syst. veg. p.* 216.

Est planta perennis in locis incultis, ad muros, et prope vias pagorum, item fimeta frequens. HERBA recens mucilaginosum saporem habet et subsalsum. FOLIA recentia adhibentur et quidem extus applicata.

VIRES. Abstergentes, emollientes.

USUS. *Externe* folia recentia oedematibus vel ulceribus aut locis scabiosis imposita magnam copiam seri purulenti alliciunt.

N. ph. l. V. ⊙ HERBA BOTRYOS VULGARIS.

N. germ. *Gemeines Traubenkraut.*

N. syst. L. (Chenopodium Botrys.)

Icon. Vide ZORN Pl. med. Tab. 225. BLACKWEL Herb. Tab. 114.

Partes usuales. *Herba sicca.*

Chenopodium Botrys; foliis oblongis sinuatis, racemis nudis multifidis LINN. *Sp. pl. p.* 320.

Est planta annua Europae australioris, ut Galliae inferioris, Genevae, Valesiae inferioris, Calabriae locis arenosis crescens. In hortis nostris, modo statio non variet, sponte se se disseminat. HERBA recens ad contactum resinoso viscida et digitos inquinans odorem fortem balsamicum subingratum spargit, saporem vero edit aromaticum amaricantem. Aqua destillata lactescens et odoras et sapidas partes recipit. Oleum aethereum parce inest, ex libra una civili grana viginti quatuor obtinuit CARTHEUSER (*Diss. de Chenopod. ambrosioid. P. II. M. m. V. II. p.* 133.).

Est vero duplex, alterum fluidum flavescens sapore aromatico et amaro, odore fragrante ipsius stirpis; alterum frigore se se in speciem Sevi vel potius Cerae albae coagulans, quod tamen non unguinosae naturae esse, ejus facilis in Spiritu vini solutio testatur. Infusum aquosum amaritiem praesefert, odorem vero planta ipsa debiliorem. Tinctura spirituosa, una cum amaritie leviori, sapore acri instruitur. Extracti aquosi drachmae duae et aliquot grana eliciuntur ex uncia una, saporis salsi et amari. Efflorescit ex ejus superficie copia crystallorum salinarum. Minor stirpi inest quantitas Extracti resinosi, scilicet ejus unciae uni drachma una cum scrupulo uno, sed hoc ipsum superius est aquoso et amaritie et acredine. Crystalli modo memmoratae et figura referunt Nitrum, et in eo conveniunt, quod in carbone candente detonent et fundantur; herba quoque sicca in igne eadem phaenomena exhibet. Ansa inde capta culturam hujus plantae et Chenopodii ambrosioidis, quae similia conspicienda dat, in usum Nitrariorum commendandi.

VIRES. Stimulantes, calefacientes, resolventes, antispasmodicae.

USUS. In morbis pectoris pituitosis, cachexia, chlorosi, paralysi.

DOSIS. In Infuso a drachmis duabus ad unciam semis.

N. ph. l. V. **HERBA BOTRYOS MEXICANAE.**

N. germ. *Mexicanisches Traubenkraut.*

N. syst. L. (Chenopodium ambrosioides.)

Icon. Vide REGNAULT Botanique, l'Ambroisie.

Partes usuales. *Herba sicca.*

Chenopodium ambrosioides; foliis lanceolatis dentatis, racemis foliatis simplicibus LINN. *Sp. pl. p.* 320.

Est planta annua in Mexico et Lusitania spontanea; optime et in nostris hortis colitur. HERBA odoris camphoracei et saporis fere, ut in modo dicta planta vulgaris, sed utriusque, praecipue odoris, fortioris, ita ut, si inde ad vires concludere liceat, efficacia in morbis hanc stirpem superiorem esse conjicias. Principia constitutiva sunt eadem ut *Botryos vulgaris.* Haec stirps pariter Nitri copiam includit, et cultura ejusdem proventui et collectioni favere censetur.

VIRES et USUS. Idem cum praecedenti, sed vires majori intensitate possidet.

N. ph. l. V. ⊙ **HERBA CARDUI BENEDICTI.**

N. germ. *Kardobenedikt.*

N. syst. L. (Centaurea benedicta.)

Icon. Vide BLACKWEL Herb. Tab. 476. ZORN Pl. med. Tab. 122.

Partes usuales. *Herba sicca.*

Centaurea benedicta; calycibus duplicato - spinosis lanatis involucratis, foliis semidecurrentibus denticulato - spinosis LINN. *Sp. pl. p.* 1296.

Est planta annua in Hispania, Chio, Lemno et aliis Insulis Archipelagi sponte crescens, colitur quotannis in hortis pharmaceuticis. FOLIA oblonga, asinuta lobis acutis, denticulato - spinosa, venosa, aspera, profundius viridia, saporis intense amari, cum odore ingrato, qui in siccata Herba facile perit. Infusum aqua frigida brevi tempore factum gratam amaritiem prae se fert, diuturniori autem aquae super planta statione ingratum, decoctum fortius valde nauseosum. Spiritus vini minus nauseosi extrahit quam aqua, licet pariter amarescat; in Extracto aquoso exsudat post aliquam moram Sal nitro simile. Extracti spirituosi $\frac{1}{7}$ circiter, aquosi autem $\frac{1}{4}$ circiter obtinuit NEUMANN.

VIRES. Stomachiae, roborantes, leniter laxantes.

USUS. In febribus intermittentibus, digestione vitiata, obstructionibus viscerum abdominalium, arthritide et ictero. *Externe* pulvis foliorum ulceribus cacoethicis inspergitur.

DE-

DOSIS. Herba ad unciam unam. Extractum ad grana decem vel drachmas duas.

PRAEPARATUM.

EXTRACTUM CARDUI BENEDICTI.) *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. HERBA CARDUI TOMENTOSI.

N. germ. *Krebsdistel, grosses Zellblumenkraut, weisse Wegdistel, Krampfdistel.*

N. syst. L. (Onopordum Acanthium.)

Icon. Vide ZORN Pl. med. Tab. 359.

Partes usuales. *Herba recens.*

Onopordum Acanthium; calycibus squarrosis squamis patentibus foliis ovato oblongis sinuatis LINN. *Syst. veg. p.* 607.

Est planta biennis ad vias et in locis ruderatis crescens. FOLIA magna, ovato-oblonga, acute sinuata, denticulato-spinosa, tomentosa, ideoque albo-viridia, saporis ingrate amari.

VIRES. Anticancrosae.

USUS. In cancro Succus expressus aut EXTRACTUM *externe* applicatur.

PRAEPARATUM.

EXTRACTUM CARDUI TOMENTOSI.) *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. ⊙ HERBA CENTAURII MINORIS.

N. germ. *Tausendguldenkraut, Fieberkraut, rother Aurin.*

N. syst. L. (Gentiana Centaurium.)

Icon. Vide BLACKWEL Herb. Tab. 452. ZORN Pl. med. Tab. 359.

Partes usuales. *Herba sicca.*

Gentiana Centaurium; corollis quinquefidis infundibuliformibus, caule dichotomo, pistillo simplici LINN. *Syst. veg. p.* 222. Recipitur in officinis varietas procerior rubro flore instructa.

Est planta annua in locis montosis apricis crebra. FOLIA ovato-lanceolata, integerrima, sessilia, ter nervosa, glabra, laete viridia, admodum amara. Summitates cum floribus ob minorem medicam virtutem rejiciendae. Spiritus vini unice partes amaras eruit, aqua autem simul mucilaginosas; unde prioris generis Extractum magis amarum, sed quantitate parcius. Ideo ad illud parandum praestat uti menstruo semispirituoso. Extracti spirituosi ¼ fere, aquosi ⅜ obtinuit NEUMANN.

VIRES. Stomachicae, roborantes.

USUS. In laxitate primarum viarum, cachexia, hypochondriasi, ictero, hydrope incipiente, debilitate post morbos devictos, ulceribus scorbuticis, Rheumatismo chronico.

DOSIS. In Pulvere a granis decem ad drachmam semis raro, saepissime in Infuso aquoso aut potius vinoso a drachmis duabus ad unciam semis; in Extracto a granis decem ad drachmas duas.

PRAEPARATUM.

EXTRACTUM CENTAURII MINORIS.) *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ HERBA CEREFOLII, seu CHAEROPYLLI.

N. germ. *Kerbel, Körfel, Körber.*

N. syst. L. (Scandix Cerefolium.)

Icon. Vide ZORN Pl. med. Tab. 192. BLACKWEL Herb. Tab. 236.

Partes usuales. *Herba recens.*

Scandix Cerefolium; seminibus nitidis ovato - subulatis, umbellis sessilibus lateralibus LINN. *Sp. pl.* 368.

Est planta annua, in Europa meridionali sponte, apud nos in hortis crescens. FOLIA triplicato - pinnata, tenerrima, glabra, obtuse lobata, languide viridia, odoris peculiaris fragrantis foeniculacei, saporis grate subdulcis, aromatici. Inest huic plantae Oleum essentiale, quod parva quantitate cum Aqua destillata ascendit. Succi copiam vehit; Sal continet idque pungens, quod tamen a nitro in eo differt; quod non deflagret (LEWIS *M. m. p.* 202.).

VIRES. Diureticae, stimulantes.

USUS. In Phthysi, Tussi chronica, morbis cutaneis.

DOSIS. Succus expressus herbae recentis ab unciis duabus ad tres per se aut cum Sero lactis. Succus leniter inspissatus cum pulvere herbae in pilulas redactus in peripneumonia et pleuritide aut Phthysicis, ad promovenda sputa; in ictero chronico cum Aqua selterana ad unciam unam de die Succus inspissatus feliciter adhibetur.

N.

N. ph. l. HERBA CHAMEDRYOS.

N. germ. *Edel Gamander, Bathengel.*

N. syst. L. (Teucrium chamedrys.)

Icon. Vide BLACKWEL Herb. Tab. 180. ZORN Pl. med. Tab. 346.

Partes usuales. *Herba sicca.*

Teucrium chamedrys; foliis cunei formi- ovatis incisis crenatis, scabris, petiolatis, floribus ternis, caulibus procumbentibus subpilosis LINN. *Syst. veg. p.* 440.

Est planta perennis, in locis asperis montosis Helvetiae, Silesiae, Bavariae, Thuringiae, Franconiae spontanea, apud nos etiam in hortis culta. HERBA profundius viridis, odoris subaromatici siccatione pereuntis, saporis amari subadstringentis. Cum Aqua pariter ac Spiritu vini efficaciam suam communicat, illam vero magis, quam hunc, amaram reddit; hinc Extractum aquosum magis amarum est, quam spirituosum; utrumque in pari ratione vehit CARTHEUSER.

VIRES. Stomachicae, roborantes, stimulantes, resolventes, diaphoreticae.

USUS. In cachexia, chlorosi, in intermittentibus, in Arthritide; *externe* in ulceribus sordidis abstergendis, in tumoribus aquosis resolvendis adhibetur.

DOSIS. In Infuso ab uncia semis ad unam, sive in Aqua, sive Vino.

N. ph. l. HERBA CHAMEPITHYOS.

N. germ. *Schlagkraut, Feldzypresse.*

N. syst. L. (Teucrium Chamepithys.)

Icon. Vide BLACKWEL Herb. Tab. 528. ZORN Pl. med. Tab. 120.

Partes usuales. *Herba sicca.*

Teucrium Chamepithys; foliis trifidis linearibus integerrimis, floribus sessilibus lateralibus solitariis, caule diffuso LINN. *Sp. pl. p.* 787.

Est planta annua in montosis regionum meridionalium, in Saxonia, Silesia spontanea. HERBA recens, viscida ad attactum, odorem habet resinosum instar Pini, saporem amarum. Vires suas tam Aqua quam Spiritus vini erogat, liberalius vero hic. Infusum aqua factum valde amarum et nauseosum. Extractum aquosum amaro austerum est, spirituosum subdulce et calidum. Extracti aquosi ¼, et totidem spirituosi largitur CARTHEUSER.

VIRES et USUS. Idem cum praecedente.

⊙ HERBA CHELIDÓNII MAJORIS. vide *Radicem Chelidonii m.*

V. ⊙ HERBA CICHOREI. vide *Radicem Cichorei.*

N. ph. l. ⊙ *Herba Cicutae terrestris, seu hortensis.*

N. germ. *Schierlingskraut, Erdschierlingskraut, Gartenschierling.*

N. syst. L. (Conium maculatum.)

Icon. Vide BLACKWEL Herb. Tab. 451 et 573. a. b. ZORN Pl. med. Tab. 48.

Partes usuales. *Herba recens et sicca.*

Tempus collectionis. *Herba ante florum expansionem ex locis siccioribus colligenda et bene siccata in vasis clausis servanda.*

Conium maculatum; Seminibus striatis LINN. *Sp. pl. p.* 349.
Est planta biennis in umbrosis, ad sepes et vias, in locis ruderatis indigena. FOLIA sunt petiolata, tripinnata aut quadripinnata cum impari, pinnis oppositis, foliolis lanceolatis, pinnatifidis, venosis, nudis, nitidis, supra saturate, infra pallide viridia, trita odoris peculiaris virosi, lotio felium sive cantharidibus similis, saporis subdulcis, subacris. Caulis subrotundus, cavus, laevis, laete viridis maculis vero et punctis purpureis saepe scabriusculis satis dense adspersus, petioli pari modo leviter maculati et glabri. *Cicuta terrestris* praeterea facile ab aliis similibus plantis distinguitur, quia umbellae ejus habent involucrum universale et partiale, quod partiale tantum versus exteriora habetur, versus interiora defficit ejus pars, item odorem muris habet et admodum alte crescit.

Ne confundas cum *Herba Cicutae virosae* LINN. cujus caulis minime maculatus, folia longiora et angustiora et statio ad fossas et in locis paludosis, vel cum *Herba Aethusae Cynapii* LINN. cui vero involucrum, folia ex nigro viridia sunt, cum pagina inferiori nitidissima. *Conio maculato* simillimum est *Chaerophyllum bulbosum* LINN. quod caule eodem modo maculato instructum, cujus vero petioli subhirsuti sic et folia, quae nitida et ad apicem pinnarum et laciniarum cartilaginea sunt, involucro communi etiam deficiente. *Chaerophyllum sylvestre* LINN. caule non maculato, involucro deficiente, foliis majoribus et longioribus dignoscendum. *Omne Conium maculatum*, cujus herba, dum teritur, odore caret peculiari, iners creditur, ergo minime colligatur.

Extractum ex Succo Cicutae est coloris fusco-viridescentis et odoris ingrati, quasi a lotio murium; Extracti aquosi salini ultra $\frac{1}{2}$, Extracti spirituosi,

tuosi, insipidi et inertis $\frac{1}{14}$ largitur, quod utrumque aquam ex aere attrahit; Succus ex foliis expressus, dum in Extracti consistentiam densatur, ⅞ ponderis perdit, evidentius salsus, leviter nauseosus evadit, proprium lotio murium similem et foetentem odorem spirat. Cl. EHRHARDT Spiritum ammoniacalem, Oleum empyreumaticum, Salem volatilem fundit *Idem.*

VIRES. Narcoticae, resolventes.

USUS. Folia recentia contusa *externe* in tumoribus induratis applicantur; *interne* EXTRACTUM in scrophulis, ulceribus antiquis, tumoribus rheumaticis, cataracta incipiente, spina ventosa, fluore albo; cum mercurialibus medicamentis jungitur ad salivationem evitandam; in morbis venereis neglectis aut nimiis mercurialibus tractatis; in scabie venerea.

DOSIS. Granum unum ad viginti EXTRACTI soluti aut forma pilulari per se aut cum coindicatis Extractis amaricantibus, Mercurio dulci, Mercurio praecipitato nigro, Sulphure antimonii aurato, Asa foetida, Gummi ammoniaco, Gummi guajaci nativo exhibetur. EMPLASTRUM CICUTAE in tumoribus scrophulosis per se aut cum EMPLASTRO DIACHYLO COMPOSITO et MERCURIALI mixtum egregios effectus in Nosocomio militari Authori hujus DISPENSATORII praestitit.

PRAEPARATA.

EXTRACTUM HERBAE CICUTAE. EMPLASTRUM CICUTAE.	} *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. HERBA COCHLEARIAE.

N. germ. *Löffelkraut*, *Löffelkresse*, *Scharbockskraut.*

N. syst. L. (Cochlearia officinalis.)

Icon. Vide BLACKWEL Herb. Tab. 227. ZORN Pl. med. Tab. 2.

Partes usuales. *Herba recens.*

Cochlearia officinalis; foliis radicalibus cordato-subrotundis, caulinis oblongis subsinuatis LINN. *Sp. pl. p.* 903.

Est planta biennis, ad littora maris Europae septentrionalis spontanea, apud nos vero colitur in hortis pharmaceuticis facili negotio, sponte quoque se se disseminat. HERBA recens, h. e. FOLIA cum petiolis decerpta radicalia cordato-subrotunda longiter petiolata, folia caulina oblonga, subsinuata et sessilia, ambo nitide viridia, succosa, saporis acris, amari, salini, odoris, si teritur peculiaris, naribus volatile aliquid offert, balsamici acris.

Ne colligatur pro Cochlearia genuina *Herba Chelidonii minoris,* sive *Ranunculi ficariae* LINN. *wild Löffelkraut* dicta, cujus folia cordato-reniformia et sapor minime acris et salsus sed ingrate amarus. Putarunt olim multi eximii Chemici illud, quod Cochleariae et variis stirpibus affinibus sa-

saporem et odorem specificum vulgo nasturcinum tribuit esse Sal alcali volatile innatum, arte tantummodo separandum; et huic quidem volatilem et nares vellicantem odorem simulque et vires harum stirpium tribuerunt.

Verum per experimenta chemica recentiora evictum nunc in Oleo essentiali latere volatile istud fugaxque, a quo tota fere stirpis virtus dependet. Hoc album et penetrantis odoris exigua quantitate destillatione cum aqua surgit. Adeo subtile est, ut unica ejus gutta Spiritu vini soluta vel Saccharo excepta unciis sedecim vini vel alius liquidi odorem et saporem Cochleariae impertiat. In Aqua autem fundum petit. Expressione optime efficaces partes una cum Succo eruuntur. Transeunt hae in Aquam et in Spiritum vini maceratione praegressa. Sed siccatione foliorum vel evaporatione menstruorum dissipantur. Opus igitur recente stirpe, quod optimum, vel Praeparatis postea significandis.

VIRES. Antiscorbuticae, stimulantes et depurantes.

USUS. In scorbuto, morbis cutaneis ab acrimonia lymphae e. g. scabie, herpete, ulceribus chronicis; in Hydrope incipiente absque febre.

DOSIS. Succus expressus ab uncia una ad uncias duas per se aut cum Nasturtio, Fumaria, Sero lactis exhibetur. CONSERVA a drachmis duabus ad unciam semis per se, aut uncia semis cum unciis duabus aquae instar Succi expressi adhibetur. SPIRITUS COCHLEARIAE ad gargarismata et colutoria in ulceribus gingivarum aut uvulae scorbuticis cum melle.

PRAEPARATA.

AQUA DESTILLATA HERBAE COCHLEARIAE.
CONSERVA COCHLEARIAE.
SPIRITUS COCHLEARIAE.
} *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. *Herba Daturae, seu Stramonii.*

N. germ. *Stechapfelblätter, Stachelnufsblätter, Tollkraut, Igelkolbenblätter.*

N. syst. L. (Datura Stramonium.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 313. ZORN Pl. med. Tab. 286.

Partes usuales. *Herba recens.*

Datura Stramonium; pericarpiis spinosis erectis ovatis, foliis ovatis glabris LINN. *Sp. pl. p.* 255.

Est planta annua, in ruderatis, ad sepes, ad vias, in fimetis, ad fossas spontanea, etiam in hortis culta. FOLIA magna, ovata, acuminata, angulosa, dentato-sinuata, petiolata, venosa, saturate viridia, odoris virosi. Est stirps omnibus partibus venenata veneno narcotico de-

le-

leteria. Succus expressus leni igne in Extractum inspissatus illud valde nauseosum exhibet.

VIRES. Extracti narcoticae, antispasmodicae.

USUS. In Mania et Epilepsia. FOLIA recentia contusa mammis induratis et inflammatis imposita resolvunt et lac retropellunt.

DOSIS. EXTRACTUM a grano dimidio sensim ad grana quinque cum Saccharo, aut cum Extractis amaricantibus aut Camphora; forma pilularis optima.

PRAEPARATUM.

EXTRACTUM DATURAE, SIVE STRAMONII.) *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. FOLIA DICTAMNI CRETICI.

N. germ. *Cretischer Diptam.*

N. syst. L (Origanum Dictamnus.)

Icon. Vide REGNAULT Botanique, le Dictame de Crete.

Partes usuales. *Folia recentia et sicca.*

Origanum Dictamnus; foliis inferioribus tomentosis, spicis nutantibus LINN. *Sp. pl. p.* 823.

Est planta frutescens ex Candiae monte *Ida*, etiam in nostris hortis colitur. FOLIA rotunda sunt, multo albo tomento obsessa, odoris et saporis aromatici et fervidi odorisque fragrantis. Olei ex integra libra in summum drachma dimidia eruitur, quod ipsum luteo-brunum penetrantis odoris saporisque est (NEUMANN *Chym. Vol. II. P. II. p.* 282.), aqua, cum quo ascendit, grate aromatica.

VIRES. Stimulantes, calefacientes, excitantes, nervinae, antispasmodicae, tonicae, resolventes.

USUS. In morbis pectoris pituitosis, Asthmate pituitoso, in irritabilitate nervorum, in spasmis uteri seu hystericis a causa pituitosa, chlorosi, suppressione mensium; *externe* ad fomenta resolventia et roborantia, in sugillationibus a contusione; FOLIA sicca dissipant oedemata, in fomento vinoso gangraenam sistunt.

DOSIS. In pulvere a scrupulo ad drachmam semis, melius in infuso aquoso aut vinoso ad unciam semis.

PRAEPARATUM.

AQUA DESTILLATA FOLIORUM DICTAMNI CRETICI.) *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. ⊙ # *Herba Digitalis.*

N. germ. *Fingerkraut, braunes Fingerkraut, Fingerhutskraut, Waldglöckchen.*

N. syst. L. (Digitalis purpurea.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 16. ZORN Pl. med. Tab. 262.

Partes usuales. *Herba recens et sicca.*

Tempus collectionis. *Herba post expansionem florum colligenda.*

Digitalis purpurea; calycinis foliis acutis, corollis obtusis, labio superiore integro LINN. *Sp. pl. p.* 866.

Est planta biennis, in campis apricis Europae australioris et septentrionalis inprimis in sylvis caeduis Hercyniae Angliae, Helvetiae et Sueviae habitans, colitur etiam in hortis. HERBAE folia ovato-lanceolata, petiolata, rugosa, leviter et inaequaliter crenata, majora, mollia, supra obscure viridia, infra pallidiora, subhirsuta, saporis ingrate amari et acris. Est planta venenata veneno drastico deleteria. Acrimonia Herbae tanta inest, ut gustata exulceret os, fauces, aesophagum et ventriculum et salivae largum profluvium cieat, vomitum praeterea alvique purgationem excitet.

VIRES. In Decocto parva dosi diureticae. Ceterum est medicamentum drasticum, quod vomitum et alvum violentissime movet, et symptomata herbarum venenatarum narcoticarum excitat.

USUS. In Hydrope, in Scrophulis et ulceribus scrophulosis, tumoribus mammarum et glandularum aurium induratis.

DOSIS. Herba in pulvere a grano uno ad tria, aut forma pilulari; in Infuso drachma una in unciis sedecim aquae per quatuor horas infusa et colata addita uncia una AQUAE FLORUM CASSIAE SIMPLICIS; exhibetur inde bis de die uncia una, et sic sensim unciae quatuor hujus infusi exhibentur. Miscetur quandoque cum Opio, Salibus mediis, Aqua florum Cassiae simplici, Saccharo, aromatibus. *Externe* in unguento ulceribus scrophulosis applicatur, verum usus non nimis diu protrahendus alias symptomata veneni narcotici excitat. Si talia symptomata ab usu *interno* aut *externo* aut a minima dosi jam apparerent, illico ab usu hujus plantae abstinendum, si nimiam emesim aut purgationem producit, opium addendum ad grana decem pulveris plantae granum unum et semis opii, vesicantia tum simul applicanda et AQUAM MENTHAE PIPERITIDIS SIMPLICEM pro potu exhibendam.

PRAEPARATUM.

UNGUENTUM DIGITALIS, SEU AD SCROPHULAS.) *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. ⊙ STIPITES DULCAMARAE, seu SOLANI SCANDENTIS.

N. germ. *Alfrankenstengel*, *Bittersüfsstengel*, *Nachtschattenstengel*, *Hindischkrautstengel.*

N. syst. L. (Solanum Dulcamara.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 34. ZORN Pl. med. Tab. 43. *Flor. Danic.* Tab. 607.

Partes usuales. (*Caules*) *Stipites vulgo; sicci.*

Tempus collectionis. *Stipites juniores et medullosi colligantur ex stirpibus in locis siccis, montosis habitantibus et tempestate sicca, primo vere vel Autumno, ac a foliis liberentur.*

Solanum Dulcamara; caule inermi frutescente flexuoso, foliis superioribus hastatis, racemis cymosis LINN. *Sp pl. p.* 264.

Stirps perennis frutescens, sarmentosa ad sepes, in fruticetis, in locis humidis indigena. STIPITES flexiles, pennam anserinam et supra crassi, plures pedes longi, ramosi, glabri, lignosi, juniorum cortex externe et interne viridis, adultorum et majorum e flavo bruneus vel e fusco viridis, rugosus et hiscens: dissecati primo annulum album tunc viridem et denique fistulam medullae spongiosae plenam monstrant. Sapor primo subamaricans, dein dulcis radicis polypodii saporis similis, odor mucidus, virosus. Rejiciantur Stipites situ corrupti, exsiccati, saporis plane expertes. Quolibet anno recens colligi necesse est.

VIRES. Nauseam, emesin excitantes, majori dosi convulsiones, et sanguinem depurantes.

USUS. In omnibus morbis cutaneis et venereis, in tumoribus rheumaticis et arthriticis, in ulceribus malignis, scrophulis, tumoribus lacteis, fluore albo.

DOSIS. Drachma una quotidie, dein sensim usque ad uncias duas; per se aut cum radice Saponariae rubrae, Lapathi acuti, Altheae, floribus Cassiae, et corticibus Aurantiorum. Semper forma decocti cum lacte mixti. In omnibus morbis inflammatoriis usus illius vitandus. Semper minima dosi sensim augenda incipiendum, facile enim vomitum aut convulsiones majori dosi excitat. Drachma una aut duae in libra aquae ad remanentiam medietatis coquuntur; sic omni octava die dosis ad drachmam unam augetur.

N. ph. l. V. ⊙ HERBA ERYSIMI, seu VERBENAE FOEMINAE.

N. germ. *Wassersenfkraut, Wegsenfkraut, Hederich, Kreuzkraut, gelb Eisenkraut.*

N. syst. L. (Erysimum officinale.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 28. ZORN Pl. med. Tab. 32.

Partes usuales. *Herba seu Summitates florentes; recentes.*

Erysimum officinale; siliquis spicae adpressis, foliis runcinatis LINN. *Sp. pl. p.* 409.

Est planta annua in locis ruderatis, ad vias et in agris crebra. HERBAE folia inaequalis et irregularis sunt formae, inferiora magna, utroque in latere lobata, lobis angulatis dentatis; superiora parva, hastata, dentata, sitacea, languide viridia, saporis salsi amari, vix vero odora. Recens solummodo efficax, quum id, quod volatile inest, ut in nasturcinis, siccando pereat.

VIRES. Leniter stimulantes, incidentes, resolventes.

USUS. In morbis pectoris pituitosis, raucedine, Asthmate, Tussi chronica tanquam incidens et expectorans. Nec nocuit praesente febre miti vel transitoria et ipso screatu purulento. Plerique nostro tempore syrupum unice adhibent.

PRAEPARATUM.

SYRUPUS ERYSIMI.) *vide praeparata P. II.*

V. ⊙ FOLIA FRAXINI. vide *Corticem Fraxini.*

N. ph. l. V. ⊙ HERBA FUMARIAE.

N. germ. *Erdrauch, Erdraute, Feldraute, wilde Raute, Taubenkerbel, Kräzkraut, Taubenkropf.*

N. syst. L. (Fumaria officinalis)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 237. ZORN Pl. med. Tab. 14.

Partes usuales. *Herba recens et sicca.*

Fumaria officinalis; pericarpiis monospermis racemosis, caule diffuso LINN. *Sp. pl. p.* 984.

Est planta annua in agris hortisque frequens. FOLIA alternatim bipinnata, foliolis trilobatis, angustatis, subrotundis lanceolatis, mollia, tenerrima, ex languide coeruleo viridescentia, odoris mucidi gravis, saporis amari paulisper acris. Succus Herbae recentis, si inspissatur in Extracti for-

formam, effloreseit Sal amarum et leviter pungens, nitrum referens. Idem ex infuso aquoso eruitur et prunis inspersum cum crepitu dissilit, Spiritu acido autem permistum levissimam ebullitionem excitat. Amaritie potius est Extractum spirituosum, quod parcius elicitur, nec ejusmodi crystallos emittit.

VIRES. Roborantes, depurantes.

USUS. In Hypochondriasi, obstructionibus viscerum abdominalium, morbis cutaneis.

DOSIS. Succus expressus ab uncia una ad tres. EXTRACTUM a scrupulo uno ad drachmam unam exhibetur; Succus per se aut cum Cochleariae, Nasturtii aquatici, aut Taraxaci Succo aut Sero lactis mixtus adhibetur; vel et in CONSERVA haec planta utitur.

PRAEPARATA.

CONSERVA FUMARIAE.
EXTRACTUM FUMARIAE. } *vide praeparata P. II.*

⊙ HERBA GRATIOLAE. vide *Radicem Gratiolae.*

N. ph. l. V. FOLIA HEDERAE ARBOREAE.

N. germ. *Epheu, Eppich, Immergrün.*

N. syst. L. (Hedera Helix.)

Icon. Vide ZORN Pl. med. Tab. 250. REGNAULT Botan. Le Lierre. BLACKWEL Tab 188.

Partes usuales. *Folia recentia.*

Hedera Helix; foliis ovatis lobatisque LINN. *Sp. pl. p.* 292.
Est Frutex colore saturatiori sempervirens, qui *a* junior foliis lobatis truncis et muris adhaeret, sub frigidiori coelo sterilis; *b* adultior foliis ovatis flores fructusque in mitiori climate fert. Occurrit ubique. FOLIA firma sunt, coriacea, cordata, viridia, sive angulata, sive integra, pro varia plantae aetate, odore nullo, sapore adstringente gaudent. Haec recenter contusa ad alenda ulcera causticis excitata applicantur.

VIRES. Vulnerariae, detergentes, subadstringentes, leniter aromaticae.

USUS. Ad ulcera fonticulorum et exutoriorum tegenda, ut suppuratio promoveatur. Limes exulcerationis definitur magnitudine et figura folii, quam forfice adaptes. Folia vino cocta ulcera et vulnera depurant. Aqua cocta et variolis applicata suppurationem illarum promovent. Cataplasma lac dispellere dicitur. Quidam globulum ex ligno tornatum ut ex radice Iridis florentinae loco pisi fonticulis immittunt pro suppuratione alenda.

N. ph. l. V. ⊙ HERBA HEDERAE TERRESTRIS.

N. germ. *Gundelrebe*, *Gundermannskraut*, *Erdepheu.*

N. syst. L. (Glecoma hederacea.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 225. ZORN Pl. med. Tab. 93.

Partes usuales. *Herba recens et sicca.*

Glecoma hederacea; foliis reniformibus crenatis LINN. *Sp. pl. p.* 807.
Est planta perennis ad sepes, ad vias et in dumetis copiosa. HERBAE folia sunt cordato-reniformia, crenata, glabra, petiolata, obscure viridia, odoris, dum recentia fricantur fortis, balsamici, ingrati, saporis amari; nec siccata perdunt saporem vel odorem suum vel vires. Extractum aquosum primum subdulcem et amaricantem saporem habet, postea vero adeo acrem, ut Piper vel Pimpinellae radicem aemuletur, Extractum spirituosum autem, quod longe minori quantitate elicitur, balsamicum, amaricans.

VIRES. Roborantes, resolventes, balsamicae.

USUS. In exulcerationibus internis, in Phthysi, in Tussi chronica.

DOSIS. In Infuso ab uncia semis ad unam, ita et Succus expressus; CONSERVA ab uncia semis ad unam saepius de die.

PRAEPARATUM.

CONSERVA HEDERAE TERRESTRIS.) *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. ***Herba Hellebori foetidi, seu Helleborastri.***

N. germ. *Stinkende Nieſswurzblätter*, *Wurmkraut.*

N. syst. L. (Helleborus foetidus.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 57. ZORN Pl. med. Tab. 452.

Partes usuales. *Folia recentia et sicca.*

Helleborus foetidus; caule multifloro folioso, foliis pedatis LINN. *Sp. pl. p.* 784.
Est planta perennis, in montosis et nemorosis Helvetiae, Angliae, Galliae, Germaniae, Palatinatus, Nassoviae, Tubingae crescens. Facile in hortis colitur sub dio. FOLIA sunt pedata, longiter petiolata, foliolis lanceolatis, serratis, supra nitida, saturateque viridia, infra pallidiora, odoris foetidi, saporis acris amari. Recens enim Herba foetorem contactu spargit, recenti vero aeque ac siccae sapor inest acerrimus amaricans. Masticata os et fauces corrodit acrimonia vix eluenda, nec siccatione hanc de-

deponit. Infestam porro naturam docent sinistri quidam eventus; haec tamen omnia pro eo judicio, quod hodie de venenis ferimus, non repudiare plantam omnino, sed caute modo et circumspecte adhibere nobis injungunt. Commode Succus foliorum recentium per Saccharum crudum farinaceum in Syrupum redactus, vel pulvis foliorum siccatorum propinatur.

VIRES. Anthelminticae, resolventes, forma SYRUPI. *Herba recens* venenata.

USUS. Si caute et circumspecte adhibetur, efficax et tutum anthelminticum evadit, hinc non aliter, quam forma Syrupi adhibetur. Non unice vermibus praecipue lumbricis cladem affert, sed et resolvendi vim possidet non mediocrem. Sic in asthmate pituitoso, uti et affectionibus hystericis et hypochondriacis quae stimulantibus non exasperantur. Ita et apud infantes miscela ista ex Syrupo dicto et Tinctura Rhei commoda ad eliminandum mucum viscidum intestinorum, quin imo ad febres intermittentes et remittentes, quae ex humorum visciditate proveniunt.

DOSIS. Hujus SYRUPI cochleare unum pro Thea vesperi tempore somni capiendum et unum vel duo cochlearia mane, duobus vel tribus diebus successive infantibus duo ad sex annos natis ingeritur, ita tamen ut augeatur vel diminuatur dosis non nihil pro virium ratione. Quoniam vero raro haec dosis sola alvum satis movet, in usu est, illi aequalem portionem TINCTURAE RHEI SPIRITUOSAE admiscere, ut dejectiones fiant necessariae, nec alvum postea eluere opus sit. Ita et sapori prospicitur et mitiori effectui, imo praesente febre conducit. In universum praestat ea dosi exhibere, ut aeger paullo molestius in vomitum usque afficiatur.

PRAEPARATUM.

SYRUPUS HELLEBORI FOETIDI.) *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. ⊙ *Herba Hyosciami nigri.*

N. germ. Schwarzes Bilsenkraut, Schlafkraut, Zankkraut.

N. syst. L. (Hyosciamus niger.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 550. ZORN Pl. med. Tab 84.

Partes usuales. *Folia recentia et sicca.*

Hyosciamus niger; foliis amplexicaulibus sinuatis, floribus sessilibus LINN. *Sp. pl. p.* 257.

Est planta biennis ad vias et in fimetis vulgaris. FOLIA amplexicaulia sunt, oblonga, lata, acuminata, ample sinuata, crassa, mollia, pilosa, e cinereo dilute viridia, odoris virosi rancidi, saporis amaricantis salini. Licet observationibus constet plantam hanc veneno narcotico dele-

te-

teriam esse, hisce non obstantibus medicamentorum apparatum auxit, idque apud veteres et recentiores.

VIRES. Narcoticae, antispasmodicae.

USUS. Ut *Daturae*. Folia *externe* resolvunt. Folia recentia cum mica panis et lacte forma cataplasmatis in rheumatismo vago et induratione mammarum a lacte coagulato, in tumoribus induratis, scrophulis et ulceribus scirrhosis. Extractum adhibetur in iisdem casibus ut EXTRACTUM DATURAE; praeterea in doloribus rheumaticis et arthriticis, in spasmo cynico et convulsionibus a nervo laeso; in cataracta cum Mercurio dulci quotidie grana duo EXTRACTI HYOSCIAMI exhibentur.

DOSIS. EXTRACTUM a grano semis ad grana quindecim sensim ascendendo. Oleum infusum Hyosciami locis dolentibus applicatur.

PRAEPARATA.

EXTRACTUM HYOSCIAMI NIGRI.
OLEUM HYOSCIAMI INFUSUM. } *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ HERBA HYSSOPI.

N. germ. *Isop*, *Ysop*, *Hyssop - Blätter.*

N. syst. L. (Hyssopus officinalis.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 269. Pl. med. Tab. 61. JACQUIN Flor. Austr. Tab. 254.

Partes usuales. *Folia vel Summitates; sicci.*

Tempus collectionis. *Folia cum floribus ante horum expansionem colligenda.*

Hyssopus officinalis; spicis secundis foliis lanceolatis LINN. *Syst. veg. p.* 441.

Est planta perennis suffruticosa, in Austriae, Saxoniae subalpinis et Sibiria sponte crescens, in hortis alibi colitur. FOLIA sunt lanceolata, angustata, integerrima, nervosa, glabra, laete viridia, odoris fragrantis, saporis amari aromatici. Spiritus vini plus virium extrahit, quam aqua, sicque impraegnatus Extractum exhibet subamarum calidum et acre; Extractum aquosum autem amaricans acerbum et subsalsum est. Aqua destillata fragrantiam herbae recipit, et Oleum secum abripit ad unciam unam usque ex libris sex recentis Herbae, teste LEWIS (*M. m. p.* 317.), aliis in proportione discrepantibus.

VIRES. Resolventes, incidentes, stimulantes.

USUS. In morbis pectoris pituitosis, Asthmate humido sputa promovet; *externe* resolvens est in sugillationibns a contusione, in tumoribus encephali neonatorum a partu difficili; in angina pituitosa. *Externe* in ophthal-

thalmia post applicatos hyrudines forma fomenti vinosi et cataplasmate desuper vinoso.

DOSIS. In Infuso ad unciam semis. Aqua destillata in Mixturis ad uncias quatuor.

PRAEPARATUM.

AQUA DESTILLATA HERBAE HYSSOPI.) *vide praeparata P. II.*

V. FOLIA LAURI. vide *Fructus Lauri.*

N. ph. l. # *Folia laurocerasi.*

N. germ. *Kirschlorbeerblätter.*

N. syst. L. (Prunus Laurocerasus.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 512. ZORN Pl. med. Tab. 96.

Partes usuales. *Folia recentia.*

Prunus Laurocerasus; floribus racemosis, foliis sempervirentibus dorso biglandulosis LINN. *Sp. pl. p.* 678.

Est Arbor, prope mare nigrum sponte crescens, Trapezunte anno 1576 missa. In Gallia et Anglia hyemem probe fert, ibidemque lucos arte instructos elegantia frondium et racemorum exornat. Sed in Germania et septentrioni propius in frigidariis inter hesperides hyeme servari debet. FOLIA sunt lanceolato - ovata, dentata, crassa, glandulis binis in dorso instructa, saporis amari sapori Amygdalarum amararum similis, trita odoris fragrantis uti nuclei persicae. Siccorum foliorum pulvis sternutationem movet. Est planta inter venena narcotica citissime necans, hinc Medici, qui in Experimentorum imitatione justo audaciores sunt, cautiones, in hujus administratione scito pioque Medico dignas, adhibeant; vis venenatà ab Oleo essentiali contento dependet.

VIRES. AQUAE DESTILLATAE sunt narcoticae, antispasmodicae, resolventes, solventes.

USUS. In tumoribus induratis, in Hypochondriasi, Melancholia ab infarctu Systematis venae portarum, in haemorrhoibus et menstruis suppressis, in obstructionibus viscerum abdominalium.

DOSIS. AQUAE DESTILLATAE guttae triginta ad sexaginta ter aut quater de die; drachma una et semis aut duae cum enemate solvente viscerali in infarctu Systematis venae portarum exhibentur.

PRAEPARATUM.

AQUA DESTILLATA LAUROCERASI.) *vide praeparata P. II.*

V.

V. ⊙ HERBA LICHENIS ISLANDICI. vide *Algas.*

N. ph. l. V. ⊙ HERBA LINARIAE.

N. germ. *Leinkraut, Frauenflachs, Feigwarzenkraut, Harenkraut, Takenkraut.*

N. syst. L. (Antirrhinum Linaria.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 115. ZORN Pl. med. Tab. 442.

Partes usuales. *Herba cum floribus recens.*

Antirrhinum Linaria; foliis lanceolato - linearibus confertis, caule erecto, spicis terminalibus sessilibus, floribus imbricatis LINN. *Sp. pl. p.* 858.

Est planta perennis, in locis ruderatis, ad vias, agros et muros crebra. HERBA facile discernitur ab ista *Euphorbiae cyparissiae* LINN., illi ceteroquin statura, foliorum angustia, figura, colore, odore haud parum simili, per Succi lactei defectum. FOLIA lanceolata sunt, linearia, longa, angusta, sessilia, laete viridia, subtus pallidiora, odoris ingrati nauseosi, saporis subamari ingrati. Suspecta planta tam ob affinitatem, quam odorem, dum recens est, virosum, qui Ebulum emulatur et saporem nauseosum ingratum. Lacti recenti immersa ad necandas muscas in Smolandia adhibetur (LINN. *Fl. Suec. p.* 218.). Patet hisce, a natura nostra non ferri Stirpem per os ingestam, sed solummodo externe cum fructu adhiberi posse.

VIRES. Anodynae, emollientes.

USUS. Forma unguenti aut cataplasmatis haemorrhoides coecas dolentes lenit et dissipat.

PRAEPARATUM.

UNGUENTUM LINARIAE.) *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. HERBA LINI CATHARTICI.

N. germ. *Purgierlein, Purgierflachs, Berglein, Wiesenflachs.*

N. syst. L. (Linum Catharticum.)

Icon. Vide ZORN Pl med. Tab. 210. *Flor. Danic.* Tab. 851.

Partes usuales. *Herba cum floribus sicca.*

Linum Catharticum; foliis oppositis ovato - lanceolatis, caule dichotomo, corollis acutis LINN. *Sp. pl. p.* 401.

Est planta annua, in pratis humidis et pascuis indigena. FOLIA sunt ovato - lanceolata, sessilia, integerrima, glabra, laete viridia, saporis valde amari. Ne confundas cum herba *Cerastii semidecandri* LINN., foliis ovatis pilosis distinguenda, seu cum herbae *Lini radiolae* LINN. quae plan-

planta Lino carthartico minor et tenerior est, et petalis quatuor, totidem staminibus et totidem pistillis discernenda, Linum Catharticum autem partibus his quinariis instructum est.

VIRES. Parva dosi tuto et sine molestia alvum purgantes, majori dosi vomitum excitantes.

USUS. In omnibus morbis ubi leniter purgandum est.

DOSIS. Herbae *siccae* cum floribus drachmae duae in unciis quatuor aquae infunduntur; vino infusa herba valentiorem effectum exserere dicitur. Majori dosi vomitum excitat. Nemo illam impensius commendavit illu. LINNAEO, idque pluribus locis; ad minimum nova exploratione eorum dignissima est haec herba, quibus utilissimum officium incumbit morbis in Nosocomiis medendi.

N. ph. l. V. ⊙ CONI seu STROBILI et TURIONES LUPULI.

N. germ. *Hopfe, Hopfenblume, oder Fruchthopferlinge; und die jungen Sprossen.*

N. syst. L. (Humulus Lupulus.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 536. ZORN Pl. med. Tab. 522.

Partes usuales. *Coni seu Strobili et Turiones recentes.*

Humulus Lupulus; LINN. *Sp. pl. p.* 1457. est planta perennis foeminina et sativa in lupuletis culta, unde coni et turiones desumuntur. *Coni seu Strobili* sunt ovato - oblongi, ex bracteis mollibus amplis, ex albo flavescentibus, laxe imbricatis et ex calyculis squammiformibus compositi, quae in basi continent semina exigua subrotunda; bracteae et semina farina aurei coloris aromatica conspersa sunt. Odor gravis et aromaticus, sapor valde amarus cum sensu caloris. Rejiciantur Strobili *Lupuli vulgaris* ad sepes in dumetis et ad aggeres crescentis, magnitudine minori, farinaque pauca vel nulla distinguendi, odore et sapore dicto carentes, farina et seminibus jam destituti et in manu triti minime adhaerentes.

Nomina varia Lupulo data sunt secundum regiones, in quibus cultus feliciorem successum habuit, e. c. Bohemici, Brunswicensis, Polonici, Anglici etc. Suecis placet suus. Aqua frigida ex *Conis Lupuli* tantillum modo virium extrahit, sed calida haud aegre easdem evolvit. Spiritus vini autem tam fortior quam debilis etiam absque calore easdem recipit. Destillatione largiuntur Oleum essentiale fragrans, et Aquam destillatam aromaticam. Infusum aquosum subluteum, vitriolo martis autem nigrescit. Extracta ex hisce parata spondent ob amaritiem et aroma, haud exiguas vires medicas. *Turiones* primo vere pullulantes, amaricantes cum levi aromate, succum saponaceum solventem continent. Vel eduntur instar Acetarii aut in Infuso adhibentur, quod cum Aqua fontana rubescit.

VIRES. *Conorum* vires proprie roborantes, stomachicae et solventes; *Turionum* proprie saponaceae, solventes, diureticae, antiscorbuticae, purificantes.

USUS. *Coni* in morbis a laxitate cum aliis amaris aromate mixtis conveniunt scopo roborante. *Turiones* in scorbuto, morbis cutaneis, obstructionibus viscerum abdominalium.

DOSIS. *Coni* a drachmis duabus ad unciam semis vino infunduntur aut Extractum a scrupulo uno ad drachmam semis exhibetur. *Turiones* ad unciam semis in infuso adhibentur.

PRAEPARATUM.

EXTRACTUM CONORUM LUPULI.) *vide praeparata P. II.*

V. HERBA LYCOPODII. vide *Muscos.*

N. ph. l. V. ⊙ HERBA MAJORANAE.

N. germ. *Majoranblätter, Meiranblätter, Wurstkraut.*

N. syst. L. (Origanum Majorana.)

Icon. Vide BLACKWEL Herb. Tab. 319. ZORN Pl. med. Tab. 81.

Partes usuales. *Herba et Summitates florentes; recentes et sicci.*

Origanum Majorana; foliis ovatis obtusis, spicis subrotundis compactis pubescentibus. LINN. *Sp. pl. p.* 825,

Est planta annua, in oriente indigena, apud nos in hortis culta. FOLIA sunt parva, oblongo - ovata, obtusa, petiolo brevi, subtomentosa, integerrima, ex albo viridia, odoris peculiaris fortis, saporis aromatici, subacris amaricantis. Spiritus vini plus sapidarum partium infusione sibi vindicat, aqua vero odoras potentius abripit (LEWIS *M. m. p.* 366.). Aqua destillatione emergens, fragrantis odoris. Oleum simul evehitur ad $\frac{1}{2}$ partem (SPIELMANN *M. m. p.* 278.). Color ejus si mitior ignis adhibitus, pallide luteus, sed si fortior ignis vel vetustas accesserit, rubicundus, sapor acris, calidus. Aetate in Sal volatile oleosum solidum concrescit ex plurium observatione.

Sal hoc albidum est, odore ac sapore convenit cum Oleo Majoranae recenti, etsi compage et colore discrepans. Ferro calefacto impositum deliquescit, recuperans autem formam et compagem, postquam refrixerit. Diutius in eodem retentum Olei Majoranae vetustioris odorem undique per conclave spargit. Spiritu vini solvitur, et solutio Aqua frigida affusa lactescit. Post abstractionem Spiritus et evaporationem adhibitam, reliquum in flores candidos concrescit. Flagrat admota flamma, sed remanente nigredine quadam.

VI-

VIRES. Stimulantes, calcfacientes, nervinae, resolventes, sternutatoriae.

USUS. *Interne* raro adhibetur; *externe* ad fomenta resolventia, scopo sternutatorio in pulvere, unguentum seu *Butyrum Majoranae* in paralysi, in ulceribus tanquam digestivum, et in anosmia et obstructione narium a muco infantum nari alterutri illiniri solet.

PRAEPARATUM.

OLEUM MAJORANAE AETHEREUM, SEU ESSENTIALE, SEU DESTILLATUM. *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ HERBA MALVAE VULGARIS.

N. germ. *Käsepapelkraut, Gänse - Hasen - Feldpapelkraut.*

N. syst. L. (Malva rotundifolia.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 22. ZORN Pl. med. Tab. 237.

Partes usuales. *Herba sicca.*

Malva rotundifolia; caule prostrato, foliis cordato - orbiculatis obsolete quinquelobis pedunculis fructiferis declinatis LINN. *Sp. pl. p.* 969.

Est planta annua, ad vias, ad sepes, et in ruderatis creberrima. FOLIA sunt reniformia orbiculata, obsolete quinque lobata, crenata, glabra, longiter petiolata, saepe subplicata, laete viridia, saporis mucilaginosi. Malvae herba plus mucilaginis continet, quam radix ejus, quod in Althaea contrario modo se se habet.

VIRES et USUS ut *Althaeae.* RADIX instar scopulae setaceae ad purgandos dentes adhiberi potest; extrema hujus radicis purgatae ligantur, colore ex ligno fernambucino et alumine rubro imbuitur, sic dentibus vaccillantibus et gingivis facile sanguinem fundentibus optime inservit.

N. ph. l. V. HERBA MARI VERI, seu SYRIACI.

N. germ. *Amberkraut, Kazenkraut, Mastixkraut, Schlagkraut.*

N. syst. L. (Teucrium Marum.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 17. ZORN Pl. med. Tab. 60.

Partes usuales. *Herba, seu Summitates florentes; sicci, in vase clauso servandi.*

Teucrium Marum; foliis integerrimis ovatis acutis petiolatis, subtus tomentosis, floribus racemosis secundis LINN. *Syst. veg. p.* 439.

Est Fruticulus in Hispania, Graecia, Aegypto, Syria indigena, apud nos in hortis colitur. FOLIA sunt parva, ovato-acuta, petiolata, integerri-

 ma,

ma, subrevoluta, subtomentosa, supra laete viridia, subtus incana, odoris fortis, volatilis camphoracei, saporis ferventis, amari acris. Nec multum harum virium siccatione perdunt. Odora herbae pars aquoso quoque latice per infusionem excipi se se patitur; sapore autem tantum imbecilli eundem imbuit. Spiritus vini plurimum utriusque generis partium extrahit. Destillatione cum aqua largitur Oleum aethereum pungens volatile, valde fragrans, residua parte amara. Herba in pulvere naribus excepta et sternutationem ciet, et copiosam pituitam allicit.

VIRES. Anodynae, antispasmodicae, tonicae, nervinae, diaphoreticae, resolventes, errhinae.

USUS. In spasmis, menstruis inordinatis, chlorosi, commotione cerebri vel alius partis. *Externe* ad fomenta nervina resolventia et ad pulverem errhinum.

DOSIS. In substantia forma pulveris usque ad grana triginta, vel in infuso aquoso aut vinoso ad drachmas duas vel unciam semis in libra aquae.

N. ph. l. V. ⊙ HERBA MARRUBII ALBI.

N. germ. *Weisser Andorn, Mariennessel, weisse Leuchte.*

N. syst. L. (Marrubium vulgare.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 479. ZORN Pl. med. Tab. 27.

Partes usuales. *Folia et Summitates; recentes et sicci.*

Marrubium vulgare; dentibus calycinis setaceis uncinatis LINN. *Sp. pl. p.* 816.

Est planta perennis, in locis ruderatis, ad sepes, et vias indigena. FOLIA sunt ovato - oblonga, crenata, rugosa, petiolata, mollia, crassa, supra viridiora, infra albicantia, lanuginosa, odoris, dum fricantur recentia, balsamici vinosi vel moschato similis, saporis amaricantis subadstringentis. Extracti aquosi majus pondus elicitur idque inodori et amari, spirituosi minus, quod vero fragrantiam servat cum penetrantiori amaritie.

VIRES. Solventes, stimulantes, attenuantes.

USUS. In chlorosi, cachexia, obstructionibus viscerum, menstruorum suppressione a causa mucosa, in morbis pectoris mucosis, Asthmate pituitoso.

DOSIS. In Infuso ab uncia semis ad unam; Succus expressus ab uncia una ad tres cum melle. Extractum a scrupulo uno ad drachmam unam saepius de die.

PRAEPARATUM.

EXTRACTUM MARRUBII ALBI.) *vide praeparata P. II.*

N.

N. ph. l. V. ⊙ HERBA MATRICARIAE.

N. germ. *Mutterkraut, Metterich, Metram.*

N. syst L. (Matricaria Parthenium.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 192. ZORN Pl. med. Tab. 166.

Partes usuales. *Herba et Summitates florentes; recentes et sicci.*

Matricaria Parthenium; foliis compositis planis, foliolis ovatis incisis, pedunculis ramosis LINN. *Sp. pl. p.* 1255.

Est planta perennis, hinc inde in ruderatis et ad muros crescens, plerumque vero in hortis flore pleno colitur. FOLIA sunt plana, ex alternatis foliolis ovatis incisis composita, tenera, mollia, subpilosa, pallide viridia, herbae Absynthii similia, odoris fragrantis ad illum Polypodii et Millefolii accedentis sed nonhihil nauseosi, saporis valde amari.

VIRES. Stimulantes, nervinae, antispasmodicae, emmenagogae.

USUS. In affectionibus uteri, seu hystericis, suppressione menstruorum, chlorosi, spasmis et irritabilitate nervorum.

DOSIS. In pulvere Summitates florentes a scrupulo uno ad duos; in infuso a drachmis duabus ad unciam semis aut unam.

N. ph. l. V. ⊙ HERBA MELILOTHI VULGARIS.

N. germ. *Steinklee, Meliloth, gelber Meliloth, Schottenklee.*

N. syst. L. (Trifolium Melilothus officinalis.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 80. ZORN Pl. med. Tab. 204.

Partes usuales. *Herba seu Summitates florentes, et Flores citrini separatim; sicci.*

Trifolium Melilothus officinalis; leguminibus racemosis nudis dispermis rugosis acutis caule erecto LINN. *Sp. pl. p.* 1078.

Est planta biennis ad vias, in ruderatis, collibus et agris frequens. Varietas flore luteo manifeste magis odora altera, albo instructa. Et ideo albus Melilothus nunquam adhibetur in officinis. Odor lutei in siccata planta longe fragrantior, sapor subamarus herbaceus. FOLIA sunt ternata, ex oblongo rotunda, crenata, superne quasi resecta. FLORES lutei seu citrini sunt corollae papillionaceae cum pedunculis et calycibus. Color luteus seu citrinus, odor fragrans, sapor herbaceus subamarus. Hodie solummodo *externe* adhibetur.

VIRES. Emollientes, resolventes, discutientes, anodynae.

USUS. Ad fomenta vel cataplasmata discutientia. EMPLASTRUM DE MELILOTHO ad discutiendos tumores duros colli laudatur, etsi ut plurimum sine effectu tentetur.

PRAEPAPATUM.

EMPLASTRUM DE MELILOTHO.) *vide praeparata P. II.*

N.

N. ph. l. V. ⊙ HERBA MELISSAE CITRINAE, seu HORTENSIS.

N. germ. *Melisse, Citronenmelisse, Gartenmelisse, Immenblatt.*

N. syst. L. (Melissa officinalis.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 27. ZORN Pl. med. Tab. 134.

Partes usuales. *Herba recens et sicca.*

Melissa officinalis; racemis axillaribus verticillatis, pedicellis simplicibus LINN. *Sp. pl. p.* 827.

Est planta perennis, in Europa australi spontanea, apud nos in hortis culta. FOLIA sunt subcordata, vel ovata, serrata, breviter petiolata, subhirsuta, sulcata, laete viridia et infra pallidiora, odoris citrini, et saporis balsamici, subacris, aromatici. Infusum aquosum citreum odorem recipit, nec ingrate sapit. Hinc et Theae Chinensi substituere quibusdam visum. Extractum ex eo spissatum tamen amariusculum et subausterum. Spiritus vini infusus plus sapidi minus odoriferi eruit; pondus Extracti inde facti altero minus. Olei aetherei pauxillum modo herbae inest, nec nisi ex magna copia stirpis vel cohobatione Aquae evolvendum.

VIRES. Leniter stimulantes, hinc diaphoreticae et antispasmodicae.

USUS. In rheumaticis et podagricis doloribus; paroxysmis hystericis; *externe* ad fomenta discutientia.

DOSIS. Herbae *siccae* drachmae duae forma infusi cum libra aquae.

PRAEPARATA.

AQUA DESTILLATA HERBAE MELISSAE SIMPLEX.
SPIRITUS MELISSAE SIMPLEX.
SPIRITUS MELISSAE COMPOSITUS, SEU AQUA CARMELITARUM.
} *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ HERBA MENTHAE CRISPAE.

N. germ. *Krausemünze, Gartenmünze, Deumenthen.*

N. syst. L. (Mentha crispa.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 290. ZORN Pl. med. Tab. 386.

Partes usuales. *Herba sicca.*

Mentha crispa; floribus capitatis, foliis cordatis dentatis undulatis sessilibus, staminibus corollam aequantibus LINN. *Syst. veg. p.* 444. *Sp. pl. p.* 805.

Est planta perennis, in Helvetia, Hercynia spontanea, apud nos in hortis colitur. FOLIA sunt cordata, undulata, dentata, rugosa, hirsuta, ses-

sessilia, profunde viridia, odoris fortis balsamici, saporis subamari, aromatici urentis. Ab herba *Menthae Sativae* LINN., foliis hujus petiolatis, ovato-acutiusculis discernenda. Efficax genus Menthae quoad plures quoque species. Odor *crispae* fortis, fragrans, non admodum gratus. Siccatione non multum virium perdit. Infusum aquosum odorem quidem herbae servat, saporis autem parum acquirit. Antecellit illi hac in re spirituosum. Libra una foliorum Olei aetherei drachmas circiter tres erogat (CARTHEUSER *M. m. T. II. p.* 122.), pallide flavi, sensim profunde rubri.

VIRES. Stimulantes, resolventes, antiemeticae, antispasmodicae. *Externe* resolventes.

USUS. In spasmis, in morbis soporosis, in cephalalgia, colica, colera, vomitu, anorexia, Tussi convulsiva, in Hysteria. *Externe* ad fomenta ecchymosim, aut tumores lacteos mammarum resolventia adhibetur. Lactis affluxum ad mammas minuit et jam collectum lac dispellit. Ita nutrices post ablactationem infantum Mentha adhibita ejusque Oleo axillis inuncto lac aliorsum deducunt. Tentandum quid in tumore lacteo extremitatum praestet. Optime tumores mammarum tempore lactationis evitantur, si durante hujus mammae vitris hemisphaericis excavatis, una parte convexis, altera parte concavis in cujus medio foramen ad excipiendam papillam, in limbo vero hemisphaerico apertura cum subere claudenda, continuo teguntur; sic mammae semper in calore naturali vitro tectae et siccae a lacte in vitrum stillante servantur.

PRAEPARATUM.

AQUA DESTILLATA HERBAE MENTHAE CRISPAE SIMPLEX.) *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ HERBA MENTHAE PIPERITAE.

N. germ. *Pfeffermünze, englische Spizmünze.*

N. syst. L. (Mentha Piperita.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 291. ZORN Pl. med. Tab. 56.

Partes usuales. *Herba sicca.*

Mentha Piperita; floribus capitatis, foliis ovatis petiolatis, staminibus corolla brevioribus LINN. *Syst. veg. p.* 444.

Est planta perennis in Angliae locis humidis indigena, apud nos in hortis culta. FOLIA oblongo-ovata, petiolata, supra glabra, sulcata, serrata, in nervis paginae inferioris subhirsuta, laete viridia, odoris fragrantis, fortis, saporis aromatici camphoracei urentis et postea refrigerantis. Ne cum *Mentha viridi* LINN. olim Mentastrum dicta commutetur, cujus folia angustiora, sessilia et saporis debilioris; nec cum *Mentha sylvestri* LINN. cujus folia etiam petiolo carent et crassa, infra tomentosa; nec cum *Mentha*

tha aquatica LINN., cujus folia perfecte ovata, mollia, et glabra, minorisque odoris et saporis sunt.

Ab Anglis laus *Menthae piperitae* ad alias gentes transiit, nec immerito, quum reliquis Menthis efficacior existat. Gustata, etiamsi succosa, herba mox aromaticum et camphoraceum saporem prodit, et calore primum insigni replet os faucesque, postea insequente grato frigoris sensu; odor fortis non ingrate fragrans. Siccata stirps hisce notis potior, quam succosa. Aqua destillata ex sicca et justam maturationem adepta stirpe per cohobationem praeparata et probe servata post annum excutit filamenta, item villos candidos pellucentes, nitentes, sapore, odore, volatilitate ad ignem et fragilitate verae Camphorae similes, quam naturam ulterius sublimatio eorundem confirmavit, quae crystallum erogavit illi simillimam (GAUBII *Adversaria var. argum. p. 99 sqq.*).

VIRES. Ut *Menthae crispae*, sed majori intensitate stimulantes, nervinae, resolventes, antiemeticae.

USUS. In Arthritide et podagra, in vomitu gravi absente saburra, in doloribus colicis flatulentis.

DOSIS. Herbae *siccae* drachmae duae in unciis octo aquae infunduntur cum Syrupo conveniente; ita et in spasmis hystericis. *Externe* ad fomenta resolventia, lactis affluxum ad mammas nutricibus minuit et ea dispellit. ROTULAE MENTHAE PIPERITIDIS in paralysi linguae quoque et laxitate ventriculi conveniunt.

PRAEPARATA.

AQUA DESTILLATA HERBAE MENTHAE PIPERITAE SIMPLEX.
CONSERVA MENTHAE PIPERITAE.
OLEUM ESSENTIALE MENTHAE PIPERITAE.
ROTULAE MENTHAE PIPERITAE.
SPIRITUS MENTHAE PIPERITAE.
SYRUPUS MENTHAE PIPERITAE.
} *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ HERBA MILLEFOLII VULGARIS.

N. germ. *Schaafgarbe, Schaafrippe, Gerbe, Tausendblatt.*

N. syst. L. (Achillea Millefolium.)

Icon. Vide BLACKWEL Herb. Tab. 78. ZORN Pl. med. Tab. 29.

Partes usuales. *Herba seu Summitates florentes sicci.*

Achillea Millefolium; foliis bipinnatis nudis laciniis linearibus dentatis caulibus sulcatis LINN. *Sp. pl. p.* 1267.

Est planta perennis, in montosis, ad vias, ad prata, et in pascuis crebra. FOLIA sunt bipinnata lobulis dentatis, longa, sessilia, in pagina inprimis inferiori hirsuta, viridia, odoris balsamici, saporis subaromatici, sub

subacris, subamari, subadstringentis. Extractum aquosum amarum austerumque est absque aromate; spirituosum autem aroma servat, moderate calidum est et penetrans, Camphorae quoad saporem quodammodo simile, attamen non omni amaritie et austeritate destitutum (LEWIS *M. m. p.* 384). Ex floribus destillatur Oleum fragrans et penetrans album (vide DEHNE in CRELLS *chym. Journal* 3. *St. p.* 27.) ex libris 4 plantae siccae sine floribus unciam unam et drachmam unam Olei essentialis viridis coloris obtinuit LEWIS (*l. c.*), hinc color Olei herbae et florum differt.

VIRES. Stimulantes et roborantes.

USUS. Instar Theae in morbis exanthematicis benignis, in colica hysterica et hypochondriaca, in doloribus posthumis post partum, in haemorrhagiis a spasmis, in chlorosi et fluore albo.

DOSIS. Forma potus Theati drachmae duae cum unciis octo aquae per se aut cum Melissa, vel floribus Chamomillae; Succus Millefolii in Sero lactis exhibetur. EXTRACTUM in magna debilitate Hystericarum, haemoptoe a laxitate, fluxu haemorrhoidum et menstruorum nimio a granis decem ad drachmam unam forma pilulari aut liquida utitur.

PRAEPARATUM.

EXTRACTUM HERBAE MILLEFOLII.) *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ HERBA NASTURTII AQUATICI.

N. germ. *Brunnenkresse, Wasserkresse.*

N. syst. L. (Sisymbrium Nasturtium.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 260. ZORN Pl. med. Tab. 144.

Partes usuales. *Herba recens.*

Sisymbrium Nasturtium; siliquis declinatis, foliis pinnatis, foliolis subcordatis LINN. *Sp. pl. p.* 916.

Est planta biennis, ad fontes et rivulos indigena, per totam hyemem viridis. FOLIA sunt pinnata cum impari, foliola cordato - subrotunda, crassa, succosa, glabra, laete viridia, saporis subacris, subamaricantis. Cave ne confundatur cum *Cardamine amara* LINN., cujus foliola magis oblonga et angusta saporisque valde amari sunt; mitior paulo est, quam *Cochlearia*, cui et proxime accedit. Tribuerunt hisce stirpibus multi eximii Chemici Sal alcalinum volatile, idque non ignis vehementia vel alia vi productum, sed innatum, arte tantummodo separandum. Recentiores Chemici vero post plura tentamina ad oleosam naturam accedere arbitrantur, argumenta etiam producentes ex phaenomenis in corpore animali sub usu horum stirpium obvia, Salis alcalini volatilis genio contraria. Quod ad Nasturtium aquaticum nominatim attinet, ex larga ejus, Aquae destillatae copia, pauxillum Olei essentialis subtilis, volatilis valde pungentis eruitur. Acre volatile difflatur plane fere siccatione herbae vel inspissa-

tione succi sive menstruorum, quibus illud elicitum. Expressione autem una cum Succo evolvitur, item destillatione aqua vel Spiritu vini facta.

VIRES. Antiscorbuticae, lympham attenuantes.

USUS. In morbis cutaneis, tabe pituitosa, in obstructionibus glandularum mesenterii, in ictero et scorbuto.

DOSIS. Succus expressus ab unciis duabus ad tres per se aut cum Sero lactis, Aqua Selterana etc., Extractis amaricantibus, Succo Cerefolii, Cochleariae, Taraxaci, Fumariae. CONSERVA ab uncia una ad tres adhibetur.

PRAEPARATUM.

CONSERVA NASTURTII AQUATICI.) *vide praeparata P. II.*

V. HERBA OREOSELINI. vide *Radicem Oreoselini.*

N. ph. l.	V. ⊙ HERBA ORIGANI.
N. germ.	*Dostenkraut, braune oder rothe Doste, Wolgemuth.*
N. syst. L.	(Origanum vulgare.)
Icon.	Vide BLACKWEL Tab. 280. ZORN Pl. med. Tab. 57.
Partes usuales.	*Herba sicca.*

Origanum vulgare; spicis subrotundis paniculatis conglomeratis, bracteis calyce longioribus ovatis LINN. *Sp. pl. p.* 824.

Est planta perennis in montibus et ad dumeta frequens. FOLIA sunt ovata, parva, integerrima, breviter petiolata, in margine pilosa, laete viridia, foliis Majoranae similia, odoris balsamici grati, saporis aromatici acris, subamaricantis. Oleum destillatione largitur exigua quantitate ad $\frac{1}{1316}$ (SPIELMANN *M. m. p.* 286.), idque valde acre odoris ejusdem ac herbae. Folia siccata et aqua perfusa succedaneum Theae Chinensis haud ignobile praebent LINN., sed justo calidius.

VIRES Stimulantes, resolventes, discutientes.

USUS. *Interne* raro adhibetur; *externe* pro epithematibus discutientibus, aut cataplasmatibus vel fomentis nervinis, roborantibus; Oleum destillatum gossypio exceptum et denti carioso inditum, ejus dolorem sedat. Cariem ossium in ulceribus cariosis optime coercere dicitur.

N.

N. ph. l. V. ⊙ TURIONES PINI.

N. germ. *Kienfernsprossen*, *Kienbaumsprossen*, *Föhrensprossen*, *Fichtensprossen.*

N. syst. L. (Pinus sylvestris.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 190. ZORN Pl. med. Tab. 526.

Partes usuales. *Turiones*, *Resina alba communis seu Pix alba*, *Terebinthina communis*, *Terebinthina cocta*, *Oleum Terebinthinae*, *Colophonium*, *Pix liquida nigra.*

Pinus sylvestris; foliis geminis, primordialibus solitariis glabris. LINN. *Sp. pl. Variet. a; p.* 1418.

Est Arbor in sylvis ubique cognita, crescit enim ubivis in sylvis borealibus siccis, peregrinatorum in Abietis sodalitio omni anno oblectamentum gratissimum, proceritate et ramorum densitate venerabilis. *Turiones* seu Amenta tenera, nondum expansa, extrinsecus squamis tenuibus, siccis, ruffis tecta, interne viridia, fragilia, attactus resinosi, odoris grati, saporis balsamici amari. Ne confundas cum Turionibus *Pini Abietis* LINN. vel *Pini Piceae* LINN. vel cum propaginibus foliosis vel cum strobilis *Pinus sylvestris* ipsius. *Resina alba communis*, *seu Pix alba; weisses gemeines Harz.* Est resina ex Cortice Pini sylvestris sponte stillans; foramina enim, quae aestate perforando corticem Pini facta erant, hyeme sequente ab exstillante Resina; quae induratur, instar crustae obducuntur. In aere condensata Resina est tenax, coloris albi, flavi vel bruni, odore ardens valde ingrato. Eligatur coloris albi et ab omnibus impuritatibus liberata.

Terebinthina communis, *gemeiner Terpentin;* est Resina liquida, consistentiae mellis, viscosa, semipellucida, sordida, coloris ex griseo flavescentis, saporis amaricantis, nauseosi, odoris proprii. Obtinetur, dum tempore aestivo cortex Arboris Pini ad lignum usque pluribus foraminibus perforatur, sic ex his vulneribus sponte effluit Terebinthina. Haec Arbor vilissimam speciem Terebinthinae largitur; colligitur in variis Germaniae et Galliae provinciis. *Oleum essentiale Terebinthinae* falso nomine etiam *Spiritus Terebinthinae* dicitur, *Terpentinöhl*, *Terpentingeist.* Est Oleum essentiale destillatione cum Aqua ex Terebinthina separatum, limpidum, albicans, saporis acris, calidi, odoris Terebinthinacei. Oleo Pini contaminatum odore cognoscitur mere resinoso et eo quod concreta resinosa v. c. *Copal*, *Sandarac* minime solvat. Adfertur ex locis unde Terebinthina advehitur. *Terebinthina cocta*, *gekochter Terpentin*, *Terpentinharz;* est Resina ex Terebinthina, coctione cum Aqua et refrigeratione, parata, vel residuum in vesica post destillationem *Olei Terebinthinae*; dura, transparens, coloris obscure flavi, odoris Terebinthinacei, saporis resinosi aliquantulum empyreumatici.

Colophonium, *Kolophonien*, *Geigenharz*, *Spiegelharz;* est Resina nigra post destillationem *Olei essentialis Terebinthinae* remanens, denuo fusa, cocta, et colata, solida, friabilis, coloris brunei, in pulverem redacta albi, fracturae splendentis, odoris super prunis resinosi et Terebinthinacei. Re-

jiciatur nigerrimum et impurum. Etiam ex *Resina communi* paratur *Colophonium*, si haec sine Aqua affusa tamdiu super ignem liquatur, donec haec transparens, et ex rubro flavescentis coloris et omnem odorem Terebinthinae amiserit. *Pix liquida nigra*, *Schiffstheer*, *schwarzer Theer*, est liquidum crassum resinosum, empyreumatico - oleosum, particulis acidis adhuc permixtum, destillatione per descensum ex lignis et radicibus variarum arborum acerosarum inprimis *Pini sylvestris* LINN. eliquatum, tenax, nigrum, in aqua partim solubile, odoris gravis ingrati, saporis amari empyreumatici. Paratur in Thuringia, in Suecia et Norwegia.

Turiones Pini.

VIRES. Stimulantes, diureticae, purificantes.

USUS. In morbis cutaneis, tinea, scorbuto, arthritide vaga, morbis venereis.

DOSIS. Uncia semis aut una in unciis viginti aquae ad remanentiam unciarum duodecim aut in Sero lactis coquuntur. EXTRACTUM a scrupulo uno ad drachmam unam exhibetur.

Terebinthina communis.

VIRES. Calefacientes, stimulantes, resolventes, diureticae.

USUS. *Interne* penitus vitandus. *Externe* ad enemata in valida constipatione, in fistula ani, unguentum e Terebinthina in Tinea; ad Unguenta digestiva et ad consistentiam Emplastris conciliandam, ad subigenda corpora Gummi resinosa et Resinas, imo Mercurium vivum.

DOSIS. In Enemate drachmae duae ad unciam semis cum vitello ovorum subacta exhibetur. Omnis Terebinthina diuresin promovet et urinae odorem violarum conciliat. UNGUENTUM DIGESTIVUM ad suppurationem promovendam.

Oleum Terebinthinae.

VIRES. *Interne*, valde calefacientes; *externe* stimulantes, resolventes.

USUS. *Interne* vitandus. *Externe* in punctura recenti nervorum aut tendinum calide antequam inflammatio accedat. In laesionibus arteriarum minorum et venarum majorum tam calide cum linteo carpto applicatur uti aeger ferre potest, sanguinem sistit. In tumoribus frigidis et praecipue in membris gelu perustis ad partes duas Olei Terebinthinae pars una Salis volatilis alcalini miscetur et sic partes affectae cum hac miscela fricantur. In gangraena praegressa scarificatione fomentum cum Oleo Terebinthinae efficacia antecellit corticem Peruvianum cum Spiritu vini applicatum; in Tumoribus rheumaticis sine inflammatione pariter convenit. Miscetur hoc Oleum etiam cum Sale alcalino volatili, Sapone, Spiritu vini, aut Camphora.

Colophonium.

VIRES. Consolidantes, suppurantes, balsamicae.

USUS.

USUS. In pulvere ad ossa denudata, tendines laesos, in effluxu synoviae inspergitur; in ulceribus et vulneribus difficulter consolidandis. In Lupia et Tumoribus articulorum albis; in vulneribus penetrantibus articulationum et tendinum linteis carptis applicatus pulvis et Spiritu vini humectatus, verum ante tertium diem deligatio non renovatur; in haemorrhagia narium et aliis sistendis pulvis Colophonii cum albumine ovi in unguentum redigitur et turunda hac miscela bene inuncta naribus applicatur aut etiam cum linteo carpto aliis partibus; sic egregium ex propria experienta effectum saepius vidi. Forma suffimigii in procidentia ani quoque convenit.

Pix alba ad emplastra adhibetur.

Pix nigra liquida. In cancro, qui operatione aufferi non potest per se, aut cum radice Chelidonii majoris egregie applicatur.

PRAEPARATA.

EXTRACTUM TURIONUM PINI.	*vide praeparata P. II.*
OLEUM AETHEREUM TEREBINTHINAE RECTIFICATUM.	
TINCTURA SEU ESSENTIA COLOPHONII.	
TINCTURA SEU ESSENTIA TURIONUM PINI.	
UNGUENTUM DIGESTIVUM SIMPLEX.	
UNGUENTUM DIGESTIVUM COMPOSITUM.	

N ph. l. HERBA PLANTAGINIS LATIFOLIAE, seu MAJORIS.

N. germ. *Grosser Wegbreit, grosser Wegerich, breite Wegbreit-Blätter.*

N. syst. L. (Plantago major.)

Icon. Vide BLACKWELL Tab. 35. ZORN Pl. med. Tab. 230.

Partes usuales. *Folia recentia et sicca.*

Plantago major; foliis ovatis glabris, scapo tereti, spica flosculis imbricatis LINN. *Sp. pl. p.* 163.

Est planta perennis, ad vias et in locis incultis creberrima. FOLIA sunt oblongo-ovata, longe petiolata, subcrassa, glabra, ter, quinquies, septies nervosa, saepe integerrima, interdum obtuse dentata, profundius et subtus pallide viridia, saporis subadstringentis, amaricantis, salini.

VIRES. Vulnerariae, subadstringentes.

USUS. *Folia* ulceribus, fonticulis, exutorio imponuntur, ne ulcera exsiccentur; decoctum in angina ulcerosa laudatur.

N.

N. ph. l. V. ⊙ GEMMAE, seu OCULI POPULI BALSAMIFERAE.

N. germ. *Balsampappelknospen*, *Balsamespenknospen.*

N. syst. L. (Populus balsamifera.)

Icon. Vide ZORN Pl. med. Tab. 303.

Partes usuales. *Gemmae seu Oculi.*

Tempus collectionis. *Colligantur vere et aestate confirmata, quando succi et odoris dicti maxime divites sunt. Gemmis Populi nigrae majores et resinosiores.*

Populus balsamifera, foliis ovatis serratis subtus albidis, stipulis resinosis. LINN. *Syst. veg. p.* 745.

Est Arbor in America septentrionali et Sibiria indigena, nunc etiam apud nos copiose culta. *Gemmae* sive *Oculi* sunt noduli oblongi e squamis imbricatis, ruffis et foliolis revolutis consistentes, variae magnitudinis, Succo resinoso, tenaci, luteo, gratissimi balsamici, aromatici odoris, saporis amari et subacris turgentes.

VIRES. *Gemmarum* et *Resinae*, balsamicae, vulnerariae.

USUS. UNGUENTUM POPULEUM potissimum adhibetur in ulceribus tanquam digestivum et consolidans, etiam cum aliis scopo nervino in paralysi applicatur. TINCTURA in fine gonorrhoeae *interne* ad guttas viginti, triginta, drachmam unam cum coindicatis, eodem modo PILULAE BALSAMICAE et etiam in exulceratione renum et aliis *internis* exhiberi possunt.

PRAEPARATA.

RESINA POPULI BALSAMIFERAE,
TINCTURA SEU ESSENTIA GEMMARUM POPULI BALSAMIFERAE.
UNGUENTUM POPULEUM.
} *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ HERBA PULEGII.

N. germ. *Poleyblätter*, *Herzpoley.*

N. syst. L. (Mentha Pulegium.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 302. ZORN Pl. med. Tab. 490.

Partes usuales. *Herba sicca.*

Mentha Pulegium; floribus verticillatis, foliis ovatis obtusis subcrenatis, caulibus subteretibus repentibus, staminibus corolla longioribus LINN. *Sp. pl. p.* 807.

Est

Est planta perennis, in Anglia, Gallia, Helvetia spontanea, apud nos in hortis culta. FOLIA sunt ovata, obtusa, parva, serrata, breviter petiolata, viridia, odoris fragrantis, saporis subamari, acris. Ne colligatur pro Pulegio *Mentha arvensis*, per folia majora et latiora et locum natalem in agris et campis arenosis distinguenda.

VIRES. Stimulantes, calefacientes, resolventes, antispasmodicae, carminativae.

USUS. Similis ut *Hyssopi*; in morbis pectoris pituitosis, Asthmate pituitoso, in chlorosi, defectu mensium et affectionibus uteri sine febre et inflammatione.

DOSIS. In Infuso a drachmis duabus ad unciam semis.

N. ph. l. HERBA PULSATILLAE NIGRICANTIS.

N. germ. *Schwärzliche Küchenschelle, Wiesenküchenscheele, Osterblume, schwärzliche Windblume.*

N. syst. L. (Anemone pratensis.)

Icon. Vide ZORN Pl. med. Tab. 76. *Flor. Danic.* Tab. 611.

Partes usuales. *Herba cum floribus recens et sicca.*

Anemone pratensis; pedunculo involucrato, petalis apice reflexis, foliis bipinnatis LINN. *Sp. pl. p.* 760.

Est planta perennis in campis apricis, siccis, sterilibus Germaniae e. gr. circa Vindobonam, Brunsvigam, inter Hamburgum et Lubekam, item in Oelandia et Scania. FOLIA sunt bipinnata foliolis bi-vel trifidis angustis, pilosa, cum petiolo longo, sericeis pilis obsesso et ex stipulis longis, crassis, albis, vaginalibus proveniente. FLOS pendulus, hirsutus, petalis reflexis, coloris profunde violacei, ferme nigricantis, pedunculo tenui, longo, pilis albis, mollibus, nitidis, ac supra multis circiter pollicem longis, angustis, in acumine fissis, verticillatim assurgentibus foliis obsesso. Odor nullus, sapor recentium acris, mordax, siccatione vero in herbaceum amaricantem, cum acrimonia debili mutabilis. Ne confundas cum *Anemone pulsatilla* LINN., cujus flos minus nutans, patentior, cum petalis rectis, coloris dilutioris, hirsutior, cum pedunculo etiam hirsutiori, ita ut folia caulina longiora minus in conspectum veniant. Destillatione obtinetur Oleum Camphorae simile (CRELL *chem. Endeckung.* 4. *B.* 42.).

VIRES. Diureticae, resolventes, irritantes, majori dosi purgantes.

USUS. EXTRACTUM in oculorum morbis, panno et amaurosi laudatur.

DOSIS. A grano uno ad scrupulum semis ascendendum et cum Saccharo aut Magnesia alba exhibendum.

PRAE-

PRAEPARATUM.

EXTRACTUM PULSATILLAE NIGRICANTIS.) *vide praeparata P. II.*

V. ⊙ FOLIA QUERCUS. vide *Fructus, Glandes Quercus.*

N. ph. l. V. ⊙ HERBA RORISMARINI HORTENSIS.

N. germ. *Rosmarinblätter.*

N. syst. L. (Rosmarinus officinalis.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 159. ZORN Pl. med. Tab. 318.

Partes usuales. *Herba, seu Summitates florentes; sicci.*

Rosmarinus officinalis; Rosmarinus hortensis augustiori folio LINN. *Syst. veg. p.* 64. *Gen. pl. p.* 16.

Est Frutex in Hispania, Gallia, Italia, spontaneus, apud nos in hortis et hybernaculis cultus. FOLIA sunt linearia, angusta, sessilia, marginibus reflexis, supra in medio sulcata, saturate viridia, infra in medio nervosa, incana et tomentosa, odoris fragrantis, saporis acris, amari, camphoracei. Aqua ex iis obtinetur Extractum amaricans uberius, Spiritus vini autem elicit etiam odoras calidasque partes, sed spissatus pondus Extracti minus praebet. Olei destillati cl. LEWIS (*M. m. p.* 486.) $\frac{1}{100}$ eruit flavicans vel subviride, tenue fragrans insigniter, etsi paullo ingratius odore, quam ipsa herba. Aetate odorem ferae Camphorae acquirit.

VIRES. Excitantes, nervinae, roborantes, resolventes, stimulantes.

USUS. *Interne* raro; infusum vel decoctum herbae Saccharo edulcoratum glandularum colli infactum apud infantes dissipat, idem in Plica polonica efficax est. *Externe* ad fomenta resolventia et roborantia pro sugillationibus; herba sicca dissipat oedemata, in fomento vinoso gangraenam sistit.

DOSIS. *Herbae* drachmae duae ad uncias quatuor Aquae aut drachmae tres infunduntur.

PRAEPARATA.

OLEUM DESTILLATUM SEU ESSENTIALE RORISMARINI, SEU ANTHOS. }
SPIRITUS RORISMARINI SEU ANTHOS. } *vide praeparata P. II.*

N.

N. ph. l. ⊙ HERBA RORISMARINI SYLVESTRIS.

N. germ. *Porsch-Blätter, Kühnrost-Blätter, wilder Rosmarin, Wanzenkraut, Hartheide, Brauerkraut, Gichttannen.*

N. syst. L. (Ledum palustre.)

Icon. Vide ZORN Pl. med. Tab. 571.

Partes usuales. *Herba sicca.*

Ledum palustre; LINN. *Sp. pl. p.* 561.

Est Fruticulus, in uliginosis, turfosis locis v. c. Bavariae, ducatus Lauenburgici, Holsatiae, prope Bremam, nec non hinc inde in Germania habitans. FOLIA linearia, foliis *Rorismarini hortensis* similia, breviter petiolata, supra nitide et profunde viridia, infra lana ferruginea obducta, odoris subaromatici, nidorosi, ingrati, saporis amaricantis subadstringentis. Cave ne substituatur Herba *Andromedae polifoliae* LINN. foliis latioribus, acuminatis, subtus glaucis, et plane inodoris dignoscenda, nec folia *Polygalae chamaebuxi*, cujus folia ovata, lanceolata sunt, nervo aristato. Destillatione prodit Aqua odoris fere Aquae Rosarum. Extractum aquosum primum dulcem, mox amarum, denique stipticum saporem imprimit. Essentia pariter ac Extractum resinosum valde amara et stiptica sunt. Teterrimi vero odoris et consistentiae piceae est Oleum empyreumaticum.

VIRES. Narcoticae, detergentes, depurantes, antileprosae.

USUS. Lotio in tinea capitis, in scabie, in lepra utilis est. In angina apud incolas montium Carpathicorum gargarismatis et cataplasmatis forma promptum auxilium praestat. Decocti lotione pediculis boves et sues liberantur: vel si herba recens juxta haec animalia in haras projiciatur. Vestes contra tineas, lectos contra cimices tuetur.

N. ph. l. V. ⊙ HERBA RUTAE.

N. germ. *Raute, Weinrauten-Blätter, Kreuzraute.*

N. syst. L. (Ruta graveolens.)

Icon. Vide BLACKWEL Herb. Tab. 7. ZORN Pl. med. Tab. 163.

Partes usuales. *Herba recens.*

Tempus collectionis. *Pro asservatione vere et iterum autumno confirmato colligenda, siccata enim mox odorem saporem et vires amittit.*

Ruta graveolens; foliis decompositis, floribus lateralibus quadrifidis LINN. *Syst. veg. p.* 331.

Est Suffrutex in Helvetia spontaneus, apud nos in hortis cultus. FOLIA decomposita foliolis cunei-formibus, petiolata, ex languide coeruleo viridia, vel glauca, odoris peculiaris balsamici, ingrate vaporosi peculiaris, sa-

saporis acris amari, subaromatici. Adeo vero recens acris est, ut pruritum in manu illam colligentium cieat; unde probe caveas, ne contrectata paullo ante planta oculos confrices. Infusum Herbae Rutae aqua factum subviride vel brunum est. Hoc solutione Vitrioli martis mixtum debili nigredine suffunditur. Patet inde, non adstringentia unice addito Sale martis nigrescere. Aqua Extractum erogat amarum calidum, majori quantitate, quam Spiritus vini, qui vero Extractum acrius, hinc efficacius, largitur, coloris fusco-nigricantis. Destillatione per aquam ascendit Oleum coloris flavidi vel subbruni, odoris paullo gratioris, quam qui herbae inest, saporis moderate acris, sed tam parvo pondere ut cel. SPIELMANN (*M. m. p.* 292.) modo $\frac{1}{261}$ obtinuerit, et hoc ipsum frigore coit.

VIRES. Resolventes, antispasmodicae, antisepticae.

USUS. In febribus malignis, exanthematicis, in spasmis hystericarum. *Externe* in gangraena, decoctum vinosum in odontalgia rheumatico-cariosa, in aurifluxu foetido, purulento, decoctum lacteum in parulide cum intumescentia faciei forma collutorii multis profuit.

DOSIS. Uncia semis vel una in infuso aquoso aut vinoso; ACETUM RUTAE in mixturis aut *externe* socpo antiseptico adhibetur.

PRAEPARATA.

AQUA DESTILLATA RUTAE. }
ACETUM RUTAE. } *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. ⊙ HERBA SABINAE.

N. germ. *Sevenbaum-Blätter, Sadebaum-Blätter.*

N. syst. L. (Juniperus Sabina.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 214. ZORN Pl. med. Tab. 525.

Partes usuales. *Folia sicca.*

Juniperus Sabina; foliis oppositis erectis decurrentibus, oppositionibus pyxidatis LINN. *Sp. pl. p.* 1472.

Est Frutex in Italia, Helvetia, et Sibiria spontaneus, apud nos hortensis. FOLIA sunt lanceolata, cauli adpressa, alterne conjugata, crassa, brevia, in basi connata, profunde viridiae, odoris gravis narcotici, resinosi, saporis resinosi amari, acris. Copiam Olei destillati continent, ut libra una Olei uncias fere tres erogaverit (HOFFMANN *Obs. phys. chem. p.* 8.).

VIRES. Valde calefacientes, stimulantes, emmenagogae, *externe* antisepticae, anticariosae, detergentes.

USUS. *Interne* penitus vitandus, facile enim haemorrhagias qualescunque causat. *Externe* pulvis subtilissimus in condylomatibus venereis, in fungo

go cerebri, in polypis narium, in ulceribus fungosis et cariosis inspergitur. Decocto scabies lavatur. Oleo ulcera manantia siccantur. Id cum melle illitum ulcera sordida depurat. Infusum odontalgiam sistit, decoctum ulcera cariosa et spinam ventosam sanat.

V. ⊙ FOLIA SALICIS ALBAE. vide *Cortic. Salicis albae.*

V. ⊙ FOLIA SALICIS LAUREAE, seu PENTANDRAE. vide *Cortic. Salicis Laureae seu Pentandrae.*

V. ⊙ FOLIA SALICIS VITELLINAE. vide *Cortic. Salicis Vitellinae.*

N. ph. l. V. ⊙ HERBA SALVIAE.

N. germ. *Salbey - Blätter, Spize oder Kreuzsalbey - Blätter.*

N. syst. L. (Salvia officinalis.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 71. ZORN Pl. med. Tab. 165.

Partes usuales. *Folia sicca.*

Salvia officinalis; foliis lanceolato - ovatis integris crenulatis, floribus spicatis, calycibus acutis LINN. *Sp pl. p.* 34.

Est Fruticulus in Europa australi spontaneus, apud nos in hortis hospitatur. FOLIA sunt lanceolato - ovata, subtiliter crenata, crassa, papillosa, ex griseo coeruleo viridescentia, odoris fortis aromatici, saporis subadstringentis. Ante siccationem momentanea abluitione in aqua frigida a pulvere et aliis quisquilliis superficei papillosae facile adhaerescentibus, purganda. Infusum aquosum miscela Vitrioli martis profundiorem colorem acquirit. Amaras et adstringentes partes, quae ambae maximum pondus constituunt, aqua elicit, Spiritus vini aromaticas. Aqua destillatione transiens fragrans est, cum qua emergit Oleum aethereum, ad drachmam dimidiam vel scrupulos duos ex libra (CARTHEUSER *M. m. T. II. p.* 109.) initio viride vel album, aetate flavescens vel brunum, acre et calidum. Temporis mora odorem fere camphoraceum assumit.

VIRES. Leniter stimulantes, resolventes, antiputredinosae, roborantes.

USUS. In sudoribus nocturnis, in fluore albo, uvula relaxata, in angina pituitosa, gingivis scorbuticis, in aphthis infantum lingua foliis fricatur aut Infuso saturato foliorum. *Externe* ad fomenta resolventia.

PRAEPARATA.

AQUA DESTILLATA HERBAE SALVIAE.
SPIRITUS SALVIAE. } *vide praeparata P. II.*

V. ⊙ HERBA SAPONARIAE RUBRAE. vide *Radicem Saponariae rubrae.*

N. ph. l. V. ⊙ HERBA SCORDII.

N. germ. *Lachenknoblauch, Scordienkraut, Wassergamander.*

N. syst. L. (Teucrium Scordium.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 475. ZORN. Pl. med. Tab. 36.

Partes usuales. *Herba recens et sicca.*

Teucrium Scordium; foliis oblongis sessilibus dentato - serratis, floribus geminis axillaribus pedunculatis, caule diffuso LINN. *Syst. veg. p.* 400.

Est planta perennis in locis uliginosis Europae crescens. FOLIA oblonga, subhirsuta, dentato - serrata, sessilia, profunde viridia, recentia odoris alliacei, subaromatici, saporis valde amari et acris, alliacei. Longiori mora perdit odorem suum simulque ingratior ejus sapor fit. Utrumque aquae et Spiritui vini impertit infusione. Spirituosum Extractum etsi parcius aquoso, tamen amarum magis et efficacius. Olei aetherei exiguum modo vehit, a quo odor alliaceus dependet (NEUMANN *Chym. V. II. P. IV. p.* 195.).

VIRES. Leniter stimulantes, resolventes, antiputredinosae.

USUS. In febribus putridis, malignis, in viribus penitus prostratis; *externe* in gangraena cum vino cocta cataplasmatis forma applicatur. Ulceribus sordidis pulveris forma inspergitur.

DOSIS. Ab uncia semis ad unam in infuso exhibetur.

N. ph. l. V. FOLIA SEDI MAJORIS, seu SEMPERVIVI MAJORIS.

N. germ. *Grofs Hauslauch, Hauswurz-Blätter, Donnerkraut-Blätter.*

N. syst. L. (Sempervivum tectorum.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 366. ZORN Pl. med. Tab. 124.

Partes usuales. *Folia recentia.*

Sempervivum tectorum; foliis ciliatis, propaginibus patentibus LINN. *Sp. pl. p.* 664.

Est planta perennis, in tectis, muris et rupibus crescens. FOLIA sunt ovato - acuminata, ciliata, crassa, concava, succosa, in apice rubella, laete viridia, conglutinata Rosam plenam fingentia, Succum continentia acidulum austerum, in Spiritu vini in massam albam mucilaginosam congelantem. Quod idem contigit, sive liquorem alcalinum fixum aut volatilem affundas.

VIRES. Refrigerantes, abstergentes.

USUS. Succus ad haemorrhoides, aphthas, ulcera applicatur. Folia recentia et subcontusa acetoque macerata clavis pedum imponuntur.

R. ph. l. V. ⊙ FOLIA SENNAE ALEXANDRINAE.

N. germ. *Alexandrinische Sennes-Blätter.*

N. syst. L. (Cassia Senna.)

Partes usuales. *Folia sicca.*

Cassia Senna; foliis sejugis subovatis, petiolis eglandulatis LINN. *Syst. veg. p.* 327.

Est planta annua, in Aegypto superiori habitans. FOLIA *Sennae Alexandrinae*, seu ex Aegypto allata sunt subovata, acuminata, quartam pollicis partem lata, et ferme integrum pollicem longa, tacta molliuscula, in medio nervosa, coloris viridis in luteum vergentis, odoris peculiaris quodammodo nauseosi, saporis amaricantis subacris, viscidi, ingrati. Folia maculata, comminuata, impura, prorsusque flava, tanquam corrupta et inertia rejicienda. Minoris virtutis est *Senna Tripolitana*, cujus folia majora, minus acuminata, elegantius viridia et tactu subhirsuta sunt. *Arabica* sive *Mochamica Senna* etiam minus efficax et foliis longioribus, angustioribus et acutioribus distinguenda. Vilior tribus his speciebus est *Senna Italica* vel *Provincialis*, cujus folia latiora, obtusiora, tenuiora, nervisque pluribus conspicua, fragiliora, coloris laete virentis, saporis subdulcis et glutinosi. Foliis *Sennae* inprimis *Italicae* interdum intermixta occurrunt folia *Coluteae arborescentis* LINN., quae vero figura cordata et emarginata facile dignoscenda sunt. Infusum aquosum *Sennae Alexandrinae* coloris profunde lutei est.

Vires purgantes aquae impertiunt tam infusione quam coctione, nisi quod decoctum tormina excitet, quod in infuso nunquam contingit, nisi colatura exprimatur. Plus gummosarum partium illis inhaeret, quam resinosarum; ex uncia una foliorum Extracti gummosi unciam dimidiam cum granis decem, et ex residuo Extracti spirituosi grana viginti octo elicuit NEUMANN (*Chemie B. II. Th. IV. p.* 220.). CARTHEUSERUS (*M. m. T. I. p.* 583.) autem illius circiter ½, hujus ⅛. Ratio et habenda est Olei unguinoso - aetherei, cujus grana circiter septem ex uncia una foliorum destillatione eruta, specifico nauseoso odore et sapore Sennae imbuta, a quo et praecipua virtus purgans derivata (CARTHEUSER *l. c. p.* 584.).

VIRES. Purgantes, saepe cum torminibus.

USUS. In impuritatibus primarum viarum absente plethora, febre et inflammatione convenit.

DOSIS. In pulvere drachma semis aut una, in infuso drachmae duae ad unciam semis. Miscentur saepe cum Manna, Tamarindis, Rheo, Cremore Tartari, Succo citri, vel forma infusi, aut Electuarii cum Saccharo, Syrupo, aut Melle. *Stipites* foliorum non sunt causa torminum, verum

rum coctio et expressio in colatura, hinc hae duae causae evitari et loco coctionis infundi debent. ELECTUARUM LENITIVUM a drachma una ad unciam unam exhibetur.

PRAEPARATA.

ELECTUARIUM E SENNA, SEU LENITIVUM.
SYRUPUS E SENNA, SEU SYRUPUS ROSARUM SOLUTIVUS.
} *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ HERBA SERPILLI.

N. germ. *Quendel, Feldpoley, wilder Thymian, Kuttelkraut.*

N. syst. L (Thymus Serpillum.)

Icon. Vide BLACKWEL Herb. Tab. 418. ZORN Pl. med. Tab. 17.

Partes usuales. *Herba seu Summitates florentes; sicci.*

Thymus Serpillum; floribus capitatis, caulibus repentibus, foliis planis obtusis basi ciliatis LINN. *Syst. veg. p.* 452.

Est Suffrutex, in locis campestribus, collibus apricis et aridis indigena. FOLIA sunt ovata, plana, glabra, basi ciliata, ferme sessilia, parva, viridia, odoris balsamici grati, ad citrinum inclinantis, saporis aromatici subamari. Oleum ejus aethereum, rubicundum, fragrans, blandius longe quam *Thymi*, parca modo quantitate eruitur.

VIRES. Stimulantes, calefacientes.

USUS. *Externe* ad fomenta resolventia. SPIRITUS SERPILLI ad linguae paralysim, etiam *externe* in contusionibus.

PRAEPARATUM.

SPIRITUS SERPILLI.) *vide praeparata P. II.*

Herba Stramonii. *vide Herb. Daturae.*

N. ph. l. V. ⊙ FOLIA TABACI, seu NICOTIANAE.

N. germ. *Tobacks-Blätter.*

N. syst. L. (Nicotiana Tabacum.)

Icon. Vide BLACKWEL Herb. Tab. 146. ZORN Pl. med. Tab. 252.

Partes usuales. *Folia viridia matura integra, nondum praeparata et sicca; hinc in Horto pharmaceutico culta.*

Nicotiana Tabacum; foliis lanceolato ovatis sessilibus decurrentibus, floribus acutis LINN. *Sp. pl. p.* 258.

Est

Est planta perennis, in America sponte, in Germania cultura crescens. FOLIA sunt lanceolato-ovata, magna, sessilia, integerrima, laete viridia, saporis acris, nauseosi, odoris peculiaris fortis, et ingrati. Ne commutes cum aliis Speciebus Nicotianae, quae per folia petiolata distinguendae. Narcoticam naturam cum acrimonia junctam inesse Tabaco phaenomena manifestum reddunt. Principia alcalina fundit, ultra ⅓ Extracti amari, in recessu urentis, ingratum odorem spirantis, ⅙ Extracti spirituosi amari et urentis fundit.

VIRES. *Interne* emeticae, narcoticae, resolventes, incidentes. *Externe* applicata quandoque vomitum excitant et inassuetis sternutatoriae.

USUS. *Interne* raro adhibentur folia; EXTRACTUM vero in morbis pectoris pituitosis et hydrope laudatur. EXTRACTUM a grano uno ad decem sensim exhibetur. *Externe* vero decoctum et folia parum humectata ulceribus sordidis, verminosis et callosis applicantur. Fomentum e foliis paraphymosim chronicam, tumores frigidos testiculorum et scrophulas resolvit. Masticatio foliorum strumosis conducit. Pulvis naribus attractus sternutatione nares a muco purgat. Infusum Foliorum Tabaci ex drachma una foliorum et unciis sedecim aquae paratum est efficacissimum Enema in herniis a foece, flatu vel spasmo incarceratis absente inflammatione. Fumus Nicotianae mediante Instrumento clysmatico in intestina pulsus hernias incarceratas alvum procurando saepe reponit. Nocet vero acrimonia fumi et infusi Tabaci in hernis inflammatis gangraenam inducendo. Prodest fumus ore haustus in odontalgia rheumatica et cariosa.

PRAEPARATA.

EXTRACTUM NICOTIANAE, SEU TABACI. } *vide praeparata P. II.*
SYRUPUS NICOTIANAE, SEU TABACI. }

N. ph. l. V. ⊙ HERBA TANACETI.

N. germ. *Reinfahrenkraut*, *Kraftkraut*, *Wurmfahren*, *Revierkraut*.

N. syst. L. (Tanacetum vulgare.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 464. ZORN Pl. med. Tab. 246.

Partes usuales. *Herba*, *et Flores cum Seminibus adhaerentibus; sicci.*

Tanacetum vulgare; foliis bipinnatis incisis serratis LINN. *Sp. pl. p.* 1184.

Est planta perennis, ad agros, muros, fossas, in locis incultis indigena. FOLIA sunt bipinnata, plana, oblonga, foliolis oblongis, incisis, serratis, ac stipulis parvis acutis, dentiformibus, albis ac tenerrimis pilis obsessa, in superficie multis minimis cavis punctis notata, laete saepe nitide profunde viridia, odoris fortis, camphoracei balsamici, saporis amari aromatici.

Herbae libra una Extracti aquosi uncias tres aut quatuor largitur. Spiritus vini saporem et odorem inde, magis quam aqua extrahit LEWIS.

FLO-

FLORES sunt corollulae compositae, semiglobosae, convexae, solidae cum flosculis tubulosis margine quinquefido reflexo, saepe cum nonnullis trifidis flosculis radii, coloris lutei, saporis amari. Flosculis e calyce et disco tritu exemtis adhaerent SEMINA parva, oblonga, subincurvata, sulcata, in apice submarginata, quae cum flosculis una in officinis servanda. Flores ultra ¼ Extracti aquosi, ⅙ fere spirituosi, linguam evidentius ferientis, largiuntur. (CARTHEUSER l. c.).

VIRES. Stomachicae, roborantes, anthelminticae. *Externe* resolventes, roborantes, abstergentes.

USUS. In digestione vitiata a laxitate, in chlorosi et vermibus. *Externe* pro fomentis resolventibus et abstergentibus.

DOSIS. *Herbae* aut *Florum* uncia semis in infuso; EXTRACTUM a scrupulo uno ad drachmas duas.

PRAEPARATA.

EXTRACTUM HERBAE TANACETI. } *vide praeparata P. II.*
OLEUM AETHEREUM TANACETI. }

V. ⊙ HERBA TARAXACI vide *Radicem Taraxaci.*

N. ph. l. V. ⊙ HERBA TRIFOLII FIBRINI, seu AQUATICI.

N. germ. *Bitterklee, Fieberklee, Wasserdreiblatt, Sumpfklee, Wasserklee, Klappe.*

N. syst. L. (Menyanthes trifoliata.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 541. ZORN Pl. med. Tab. 13.

Partes usuales. *Herba; recens et sicca.*

Menyanthes trifoliata; foliis ternatis LINN. *Sp. pl. p.* 208.
Est planta perennis, in locis paludosis, pratis udis, in fossis indigena. FOLIA sunt ovato - oblonga, longiter petiolata, ternata, glabra, integerrima, majora, laete viridia, odoris subfoetentis, saporis insigniter amari. Amaritiem herba communicat tam cum aqua quam cum spirituosis. Libra una herbae siccae uncias duas Extracti aquosi et Oleum odoratum largitur.

VIRES. Stomachicae, depurantes.

USUS. In laxitatate primarum viarum, cachexia, hypochondriasi, ictero, rheumatismo, asthmate, hydrope incipiente, ulceribus scorbuticis.

DOSIS. Forma decocti uncia una herbae ad libras duas aquae ad remanentiam medietatis. Succus recenter expressus ad unciam unam. Optime forma EXTRACTI a granis decem ad drachmas duas in pilulis exhibetur. Miscetur saepe cum Extracto corticis Peruviani humido, Gummi resinis solventibus, Sulphure Antimonii aurato, Kermete minerali.

PRAE-

PRAEPARATA.

EXTRACTUM TRIFOLII FIBRINI.
TINCTURA SEU ESSENTIA TRIFOLII FIBRINI. } *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ HERBA TUSSILAGINIS, seu FARFARAE.

N. germ. *Huflattig*, *Brandlattig*, *Ackerlattig*, *Ohmblätter*, *Erdkrone*, *Quirinkraut*.

N. syst. L. (Tussilago Farfara.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 204. ZORN Pl. med. Tab. 64.

Partes usuales. *Herba cum floribus sicca.*

Tussilago Farfara; scapo unifloro imbricato foliis subcordatis angulatis denticulatis LINN. *Sp. pl. p.* 1214.

Est planta perennis, ad fossas, et in agris argillaceis et humidis crebra. FOLIA sunt subcordata, angulata, dentata, majora, supra dilute viridia, infra lanuginosa incana, saporis subamari, viscidi, et subausteri.

VIRES. Mucilaginosae, emollientes, abstergentes.

USUS. In Tussi catarrhali, asthmate, phthysi, in scrophulis et ulceribus scrophulosis.

DOSIS. *Herbae* uncia semis aut una in libra aquae coquitur.

N. ph. l. V. ⊙ FOLIA UVAE URSI.

N. germ. *Sandbeeren-Blätter, Bärentrauben-Blätter, Steinbeeren-Blätter.*

N. syst. L. (Arbutus Uva ursi.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab 592. ZORN Pl. med. Tab. 62.

Partes usuales. *Folia sicca.*

Arbutus Uva ursi; caulibus procumbentibus, foliis integerrimis LINN. *Sp. pl. p.* 566.

Est Frutex sempervirens in sylvaticis, montosis, ericetis, Austriae, Bavariae, Hassiae, Bremensibus, Hannoveranis, inprimis prope Cellam habitans. FOLIA sunt oblongo-ovata, basi angustiori, apice saepe obtuso-rotunda, glabra, reticulatim et subtiliter venosa, integerrima, margine paulisper reflexo, crassa, solida, breviter petiolata, supra profunde et nitide, infra dilute et pallide viridia, saporis grati amari, styptici, odoris glycyrrhizini. Folia *Vitis Ideae* saepe *Uvae ursi* foliis substituuntur, foliis vero majoribus, latioribus, magisque ovatis et infra crebrioribus parvis, nigrescentibus punctis notatis facile discernenda. Fraudulenta commutatio cum foliis *Buxi sempervirentis*, foliis hujus ovatioribus vel rotundioribus, minus profunde viridibus, nec reticulatim venosis, minusque crassis et solidis,

odore dum recentia foetido, sapore subamaro, nauseoso, minime styptico dignoscenda est. Infusum vel decoctum foliorum *Uvae ursi* a solutione Vitrioli martis nigrescit illico. Plus inest gummosarum partium, in quibus amarities latet, quam resinae. Haec viridis et insipida est, licet utriusque arctum consortium sit. Hinc pro usu medico aquosum menstruum spirituoso praeferendum et infusio in aqua ferventi decoctioni. Maximum pondus constituit terra, quae tamen stipitibus adhuc majori quantitate inest. Pauxillum Salis alcalini fixi insuper stirpem ingreditur. (vide MURRAY *Commentatio de Arbuto Uva ursi*, *Götting*. 1764.).

VIRES. Adstringentes, roborantes, diureticae.

USUS. In calculo senum, fluore albo, ulceribus renum et vesicae, in stranguria cum muco in urina, in ischuria a paralysi vesicae, in leucorrhaea et incontinentia urinae.

DOSIS. In pulvere a granis quindecim ad quadraginta. In decocto drachmae duae in libris duabus aquae ad remanentiam unciarum octodecim coquuntur, melius vero infusum aquosum convenit, quia saepe partes adstringentes plantarum volatiles sunt.

N. ph. l. V. ⊙ FOLIA VERBASCI.

N. germ. *Wollkraut-Blätter*, *Königskerzen-Blätter*, *Kerzenkraut-Blätter*, *Himmelskerzen-Blätter*, *Fackelkraut-Blätter*, *Wullich.*

N. syst. L. (Verbascum Thapsus.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 502. ZORN Pl. med. Tab. 197.

Partes usuales. *Folia et Flores; recentia et sicca.*

Verbascum Thapsus; foliis decurrentibus utrinque tomentosis caule simplici LINN. *Syst. veg. p.* 183.

Est planta biennis, in montosis, arenosis, ruderatis, vervactis indigena. FOLIA sunt longa, ovato-lanceolata, obsolete dentata, mollia, crassa, ex griseo viridia, utrinque lanuginosa, saporis herbacei subamari, subadstringentis. FLORES sunt corollae rotatae monopetalae, subaequales, tenues, limbo luteo quinque partito, suaveolentes et mellei sive pinguis saporis. Tempestate sicca et calida colligendi et plenarie evoluti, a compressione cavendi, rarissime dispergendi et radiis solis siccandi vel in furno pistorio, quando prius sub fornace flaccescere inceperunt. Utriusque partis tam Foliorum quam Florum Analysi chemica patet, utrique pinguedinem saponaceam inesse, parciorem tamen foliis. FLORES in vitro clauso per longius tempus soli expositi vel alio calore foti in liquamen fuscum mucilaginosum oleosum diffluunt. Destillatione aquam exhibent odoris suavis et Rosas spirantis, cui supernatant cuticula oleosa et grumi Olei tenacis butyracei, sed exiguae quantitatis. Virtus igitur tam ad partes mucosas quam oleosas referenda, quin ad anodynam naturam, quam floribus praecipue insidere significat odor.

VIRES. *Herbae* et *Florum* emollientes, resolventes, anodynae; *Flores* virium intensitate *Herbam* superant.

USUS. *Interne* potissimum in Tussi, Phthysi, Haemophthysi, etc. adhibentur.

DOSIS. *Flores* in infuso a drachmis duabus ad unciam semis. *Herba* ab uncia semis aut una in decocto exhibetur. *Externe* folia et flores cum lacte cocti ad haemorrhoides dolentes laudantur. In eundem scopum emollientem et anodynum LIQUAMEN VERBASCI FLORUM *externe* adhibetur.

PRAEPARATUM.

LIQUAMEN VERBASCI FLORUM.) *vide praeparata P. II.*

V. FOLIA VITIS IDAEAE, vide *Baccas Vitis Idaeae.*

N. ph. l. V. ⊙ HERBA VULVARIAE, seu ATRIPLICIS OLIDAE.

N. germ. *Stinkende Melde*, *Mistmelde*, *Mauzenkraut*, *Schmerbel.*

N. syst. L. (Chenopodium Vulvaria.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 100. ZORN Pl. med. Tab. 508.

Partes usuales. *Herba recens.*

Chenopodium Vulvaria; foliis integerrimis rhombeo-ovatis, floribus conglomeratis axillaribus LINN. *Sp. pl. p.* 321.

Est planta annua in locis ruderatis, fimetis et hortis indigena. FOLIA sunt rhombeo-ovata integerrima, parva, laete viridia, odoris ingrati, instar piscis salsi et subputridi, saporis nauseosi. Foetor post contactum diu digitis inhaeret, et hic ipse debilior est in stirpibus loco ruderato crescentibus, quam solo humido. Item imbecillior est in stirpe sicca, et sensim in hac disparet omnino. Aquae eundem impertit destillatione et infusione.

VIRES. Antispasmodicae, resolventes.

USUS. In morbis hystericis et hypochondriacis.

DOSIS. AQUA DESTILLATA forma Mixturae et CONSERVA a drachma una ad unciam semis, in infuso theae formi ad unciam semis aut unam exhibetur.

PRAEPARATA.

AQUA DESTILLATA VULVARIAE SEU ATRIPLICIS OLIDAE.
CONSERVA HERBA VULVARIAE SEU ATRIPLICIS OLIDAE. } *vide praeparata P. II.*

§. V. *FLORES, FLORUMQUE PARTES.*

V. ⊙ FLORES ACACIAE GERMANICAE. vide *Fructus Acaciae Germanicae.*

V. ⊙ FLORES ARNICAE. vide *Radicem Arnicae.*

N. ph. l. V. ⊙ FLORES BALAUSTIORUM.

N. germ. *Granaten - Blüthen.*

N. syst. L. (Punica Granatum.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 97 et 145. ZORN Pl. med. Tab. 270.

Partes usuales. *Flores et Cortex; sicca.*

Punica Granatum; foliis lanceolatis, caule arboreo LINN. *Sp. pl. p.* 676.

Est Arbor frutescens in Asia et Africa, Hispania, Italia, Helvetia, et Carniolia habitans. FLORES communiter sunt pleni, interdum vero simplices quinque petalis e roseo spadiceis, calyce quinquefido obscure viridi cincti, saporis adstringentis. Eligantur majores, optime et profunde rubri, paucis calycibus et ungulis mixti. CORTEX Granatorum seu *Malicorium* dictus cingit pomum subrotundum magnitudinis mali Aurantii, externe rubicundus, interne luteus, coriaceus est et crassitie et tenacitate siccus et diffractus servatur; sapor austerus et amaricans est. Ad efficaciora adstringentia pertinet et Gallis vi propius accedit. Aqua ex hocce Extractum paratur, quod dimidium fere corticis pondus constituit et valde austerum est; Spiritu vini autem tantillum modo elicitur (LEWIS *M. m. p.* 299.).

VIRES. *Florum* adstringentes; *Corticis* valide adstringentes.

USUS. *Florum* in laxitate uvulae, prolapsu ani. *Cortex* in atonia, prolapsu, hernia; forma gargarismatis aut fomenti.

N. ph. l. V. ⊙ CARYOPHYLLI AROMATICI.

N. germ. *Gewürznelken, Kreidnelken.*

N. syst. L. (Caryophyllus aromaticus.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 338. ZORN Pl. med. Tab. 315.

Partes usuales. *Caryophylli aromatici seu Flores nondum expansi sicci.*

Caryophyllus aromaticus; LINN. *Sp. pl. p.* 735.

Est Arbor praecipue in insulis Moluccis habitans. *Caryophylli* sunt FLORES cum perianthiis nondum expansi, siccati, coloris extus atro - ruffi, intus obscure brunei, clavi speciem simulantes, ex globulo constantes

a

a calyce floris et corolla formato, et germine infero subtereti, pollicem vix longo, ad basin nonnihil angustato, et obducto ab alio calyce crassiore supra quadripartito. Globulus superior facile deciduus saepe caret. Odor fortis, gratus, peculiaris, sapor acris aromaticus, subamarus, fervens, diu in lingua perseverans. Rejiciantur rugosi, leves, molles, sordidi, pallidiores, sapore et odore destituti, eligantur egregie ruffi, grandes, ponderosi, fragiles, ungue pressi sive sauciati, aliquid Olei exsudantes, colorisque intus purpurei. Horum ea indoles est, ut humidum avide imbibant, et, si aromate suo destillatione Olei vel alio modo privati fuerint, integris Caryophyllis remixti et saporem et odorem quoad recuperent. Quod artificium saepe in fraudulentum lucrum cessit, pallidiori autem colore et minori efficacia detegitur.

Aqua infusione odoras partes avidius abripit, quam Spiritus vini, sed non item sapidas, quae potius Spiritu eruuntur, adeo ut Extractum spirituosum linguae fervidum maxime saporem imprimat. Destillatione copiam Olei aetherei erogant; hoc ipsum primum dum prodit, albissimum et pellucidum est, diuturna autem mora vel per accessum aeris flavescit sensimque saturatius fit. Quoniam tam grave est, ut in aqua subsideat, fortiorem ignem vasaque non nimis alta requirit. Originem ex Caryophyllis et odor declarat similis et sapor, qui valde calidus est.

Copia, qua elicitur, discrepat pro praestantia Caryophyllorum; nam qui tam recentes sunt, ut Oleum pressione digitorum conspicuum fiat, aptissimi sunt. Ex horum unciis sedecim destillatione circiter unciae duae vel tres Olei aetherei obtinentur. Oleum aethereum in loco natali destillatum et ex Belgio vel India transmissum multis modis ab eo differt, quod in officinis destillatur; saepissime est adulteratum, profundioris coloris et sapor acris, fervens, corrodens; tantam enim acrimoniam possidet, ut cutem aduret et inflammet, et etsi leviori pretio haberi possit, alteri substituendum caveat pharmacopola.

VIRES. Sunt Aroma valde calidum.

USUS. Pulvis a granis duobus ad quinque aliis medicamentis ad gratiam et stimulum additur; etiam ad Electuaria gingivalia. OLEUM CARYOPHYLLORUM DESTILLATUM valde calefaciens, causticum, in carie, paralysi linguae, odontalgia cariosa adhibetur.

DOSIS. OLEI DESTILLATI guttae quinque ad decem Saccharo instillatae in paralysi linguae infra linguam applicantur. In odontalgia a gutta una ad quinque gossypio exceptum Oleum denti carioso imponitur.

PRAEPARATUM.

OLEUM DESTILLATUM CARYOPHYLLORUM AETHEREUM.) *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ FLORES CASSIAE, seu CALYCES CASSIAE, seu CLAVELLI CANELLAE.

N. germ. *Zimmetkelche, Zimmetnelken, Zimmetblüthen.*

N. syst. L. An *Laurus Cinnamomum* LINN.? an *Myrtus Caryophyllata?* an *Laurus Cassia* LINN. nondum determinatum; probabiliter tamen est *Laurus Cassia* LINN. Arbor in India occidentali praecipue in Insula Martinica habitans.

Partes usuales. *Flores nondum expansi seu Clavelli Canellae sicci.*

FLORES Cassiae sunt flores nondum explicati siccati, coloris fusci sive profunde ferruginei, clavulos duarum vel quatuor linearum, obscure dentatos referentes, capitulis calyce nondum explicato sexies crenato vestitis et circiter Seminis Cannabis vel Piperis nigri magnis ac caudis instructos, quibus saepe subest pedicellus brevis ac gracilis; intra capitulum, quod calyx sive corolla constituit, conspicitur corpusculum rotundum umbilicatum, quod pistilli rudimentum videtur. Odor et sapor cinnamomeo similis, ast moderatius acris et aromaticus, attamen adstringens iste sensus, quem Cinnamomum imprimit, in his floribus non adeo manifestus est. Oleo jam privati et integris intermixti, colore pallidiori et debiliore sapore et colore dignoscendi.

Destillatione cum aqua praebent aquam lacteam odoris fragrantis cinnamomei et saporis dulcis cum admixta aliqua acrimonia ex caryophyllaceo et cinnamomeo mixti. Oleum essentiale, quod simul transit, Oleum Cinnamomi omnibus notis aemulatur, et aquae fundum petit sed albicantis coloris; celeb DEHNE (vide CRELLS *chem. Journal III. B. p. 9.*) ex decem libris florum unciam unam Olei essentialis obtinuit. Libra una florum communiter grana viginti Olei essentialis largitur. Aqua cum Oleo per plures menses seposita generat crystallos prismaticas, sexangulares apice acuto, in fundo vitri et ad latera, quas ipsas Sal essentiale volatile oleosum siccum esse constitit (TROMSDORF *in Act. Mogunt. 1776. p. 28.*).

Infusum aquosum subflavo colore tingitur, saporis blandi et adstrictione carentis, sed odoris cinnamomei, qui et inspissatione diffunditur, qua ipsa ex uncia una florum Extracti circiter drachma una cum tribus granis elicitur. Spiritus vini digestione obscure ruber vel rubro nigricans redditur, saporis subacris et adstringentis cum odore solito; et evaporatione Extractum relinquit valde tenax odorum, saporis aliquantum acris, coloris obscuri. CARTHEUSER (*Diss. phys. chym. ac med var. argumenti p. 123 ad 130.*). Ob leve pretium hi FLORES loco corticis Cinnamomi longe carioris et saepe jam Oleo orbati adhiberi possunt.

VIRES. Similes cum *Cinnamomi* cortice.

USUS. Idem.

PRAE-

PRAEPARATA.

AQUA DESTILLATA FLORUM CASSIAE SIMPLEX. OLEUM CASSIAE FLORUM AETHEREUM. SPIRITUS CASSIAE FLORUM.	*vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ☉ FLORES CHAMOMILLAE NOSTRATIS, seu VULGARIS.

N. germ. *Kamillen, gemeine Kamillen, Feldkamillen, Romeyblumen.*

N. syst. L. (Matricaria Chamomilla.)

Icon. Vide BLACKWELL Tab. 298. ZORN Pl. med. Tab. 139.

Partes usuales. *Flores; sicci.*

Matricaria Chamomilla; receptaculis conicis radiis patentibus, squamis calycinis margine aequalibus LINN. *Sp. pl. p.* 1256.

Est planta annua, in agris, aggeribus, in arenosis, ruderatis, indigena. FLORES constant corolla composita radiata cum calyce; flores radii albi, patentes sunt; flores disci flavi, tubulosi, in conum complicati, receptaculo nudo. Odor valde fragrans, sapor amarus aromaticus. Cave ne cum similibus *Chrysanthemi leucanthi* LINN. floribus, qui majores sunt et plane inodori; *Anthemidos arvensis* LINN. qui odore debiliori, minus grato et paleis seticeis in disco, *Anthemidos cotulae* LINN., odore forti nauseoso etiam paleis dictis in disco dignoscendi, nec *Matricariae Suaveolentis* confundantur, cujus radii reflexi sunt. Destillatione cum aqua praebent aquam valde fragrantem, odoris Chamomillae. Oleum essentiale quod simul transit, est saphyrini coloris sive in cupreis aut vitreis vasis destilletur et per plures annos colorem servat; aeri expositum sensim brunum colorem acquirit. Ex libra una florum celeb. LEWIS drachmas tres, celeb. SPIELMANN tantum drachmam unam et celeb. NEUMANN grana viginti Olei essentialis obtinuerunt.

VIRES. Antispasmodicae, carminativae, antiputredinosae. *Externe* emollientes, discutientes, resolventes.

USUS. *Interne* in febribus intermittentibus, colicis doloribus, inflationibus intestinorum a flatibus, in spasmis, praecipue parturientium et hystericarum, in obstructionibus viscerum abdominalium et morbis inde ortis. *Externe* in hernia incarcerata, in dysenteria, mania, cardialgia, colica flatulenta, angina, ad ulcera emollienda, ad gangraenam avertendam, et in spasmis abdominis.

DOSIS. In pulvere a drachma semis ad drachmas duas; in infuso drachmae duae; in enemate uncia semis, ad cataplasmata uncia una aut duae florum. Vel per se exhibentur vel interne cum radice Gentianae, Salibus mediis, Floribus sambuci: *externe* quoque cum floribus Sambuci, Camphora, cum Valeriana ad enemata miscentur. EXTRACTUM CHAMOMIL-

MILLAE in paroxysmis hystericis ad drachmam semis in Aqua solutum adhibetur. OLEUM CHAMOMILLAE INFUSUM *externe* etiam scopo emolliente et anodyno convenit.

PRAEPARATA.

AQUA DESTILLATA CHAMOMILLAE NOSTRATIS. EXTRACTUM CHAMOMILLAE NOSTRATIS. OLEUM CHAMOMILLAE INFUSUM. SPECIES CARMINATIVAE. SYRUPUS FLORUM CHAMOMILLAE VULGARIS.	*vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ FLORES CHAMOMILLAE ROMANAE, seu NOBILIS.

N. germ. *Römische Kamillenblumen, edle Kamillen, Gartenkamillen.*

N. syst. L. (Anthemis nobilis.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 526. ZORN Pl. med. Tab. 161.

Partes usuales. *Flores; sicci.*

Anthemis nobilis; foliis pinnato-compositis linearibus acutis subvillosis LINN. *Sp. pl. p.* 1260.

Est planta perennis, in agris et pratis Europae australis et in Germania v. c. in Silesia et prope Tubingam spontanea, etiam in hortis culta. FLORES constant corolla composita radiata cum calyce communi corollae aequali; flores radii albi, ligulati, ter dentati, et flores disci flavi tubulosi, floribus *Matricariae Chamomillae* admodum similes, sed disco minus conico, potius plano, ac receptaculo paleaceo distinguendi. Odor fortior et fragrantior, sapor amarior. Rejiciendi flores pleni sive multiplices, disco, in quo primaria vis, ferme in totum destituti. Destillatione paullo plus Olei essentialis largiuntur, quam flores *Chamomillae vulgaris.* Sic ex octo libris supra drachmas quinque obtinuit LEWIS (*M. m. p.* 208.).

VIRES. Carminativae, antiputredinosae, nervinae, minori gradu antispasmodicae et magis calidae.

USUS. Similis *Chamamillae vulgaris.*

N.

N. ph. l. V. **FLORES COTULAE FOETIDAE.**

N. germ. *Hundskamillen, Hundsromey, Krötendill.*

N. syst. L. (Anthemis Cotula.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 63. ZORN Pl. med. Tab. 437.

Partes usuales. *Flores; sicci.*

Anthemis Cotula; receptaculis conicis paleis setaceis, seminibus nudis LINN. *Sp. pl. p.* 1261.

Est planta annua, ad vias et in locis ruderatis crebra. FLORES constant corolla composita radiata cum calyce, floribus *Chamomillae romanae* valde simili, ast foetore forti distinguenda. Destillatione largiuntur $\frac{1}{312}$ aut $\frac{1}{307}$ sui ponderis Olei essentialis saphyrini coloris, odoris fortis, foetidi.

VIRES. Similes floribus *Chamomillae vulgaris*, majori tamen gradu antispasmodicae censentur et in rheumatismo specifice laudantur.

USUS. Idem.

N. ph. l. V. ⊙ **CROCUS AUSTRIACUS.**

N. germ. *Safran aus Oberösterreich.*

N. syst. L. (Crocus Sativus.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 144 et 566. ZORN Pl. med. Tab. 151.

Partes usuales. *Crocus, seu Stigmata Pistillorum exsiccata.*

Crocus Sativus; spatha univalvi radicali, corollae tubo longissimo LINN. *Sp. pl. p.* 50.

Est planta perennis in Persia et Turcia spontanea, in Oriente et in Europa v. c. in Gallia inprimis in terra Gatinois et Angumois, in Hispania, Portugallia, Sicilia, Anglia, in Germania praecipue in Austria, Bavaria, Bohemia, Silesia colitur. CROCUS sunt Stigmata Pistilli, sive laciniae trifidae floris quae in Pistillo ex apice Styli emergunt, planae, siccatione vero varie corrugatae et contortae; crebro autem specimina occurrunt, in quibus terna adhuc in conspectum veniunt Stigmata, unita in summa Styli parte. Color profunde ruber sive rutilus, splendidus, infra ex albido luteus, odor penetrans aromaticus, narcoticus et sapor amaricans aromaticus, nonnihil acris. In Europa cultus Crocus inprimis *Austriacus*, eique suppar Bavaricus, orientali praeferendus, ille enim genuinus, ac recentior facilius comparandus venit. Eligatur Crocus neque marcidus neque humidus tactu, levis, tenax, mollis, longus, digitumque Oleo minime inquinans; rejiciendus vero qui digitos nullo imbuit colore, odoris et saporis debilis, mucidi aut peregrini, nimis tener, coloris albicantis, lutei, vel nigricantis. Inquinatio genuini cum fibris carnis bubulae fumo induratae et coctae proditur per foetorem, si prunis imponitur, et per pallorem finem versus deficientem. *Carthami tinctorii* flosculos Croco intermixtos, colore dilutius lu-

teo et basi minime pallescente cognoscimus. Fraus cum floribus *Calendulae* antea infuso Croci veri immissis, Tinctura longe saturatiore magisque rubra patefit, Crocus enim genuinus, Tincturam largitur grate flavam. Crocus in vesica clausus pyxidi stanneae immissa, a pharmacopola, asservandus.

Masticatione Croci saliva tingitur colore saturate flavo. Extrahit tam Aqua, quam Spiritus vini, tingentes odorasque ejus particulas, Aqua tamen magis, ut conferendo utriusque generis Tincturas quoad colorem odoremque, item Extracta utriusque generis quoad pondera, apparet. Scilicet genuini exsiccati Croci uncia una erogat Extracti spirituosi primi drachmas quinque et scrupulum unum, Extracti aquosi primi autem drachmas sex (NEUMANN *Chymie Vol. II. P. II. p.* 248.). Aether solummodo colorem Succini similem ex Croco extrahit, Crocus tamen multum coloris perdit, Aether quoque Tincturam Croci Spiritu vini paratam forma materiei mucosae liquidae praecipitat et liquor tantum levem colorem Succini retinet. Spiritus nitri dulcis ex Croco Essentiam saturatam sanguineo - rubicundam extrahit. Repetita Alcoholis infusione extrahitur omne colorans, ut Crocus modo pallidus supersit (BOERHAAV. *Chem. Vol. II. p.* 212.).

Extractum Croci tam Spiritu vini, quam Aqua, et Oleis solvitur, coloris rubri, saporis amari, aromatici, penetrantis et odoris fragrantis. Destillatione Croci cum aqua Oleum aethereum eruitur exigua quantitate, sic cel. DEHNE (vide CRELLS *chem. Journ. P. III. p.* 11.) destillatione Croci cum aqua ex librae quadrante Olei aetherei guttas quinque vel decem obtinuit, coloris aurei, saporis valde acris odorisque Croco ipso fortioris, et in aqua fundum petentis. Quod remanet Extractum erogat, laete coloratum, ingrate amarum, destitutum odore et aromate Croci specifico. Unde Olei dignitas insignis intelligitur.

VIRES. Calefacientes, anodynae, antispasmodicae, resolventes, majori dosi narcoticae.

USUS. *Interne* in defectu menstruorum; *externe* in contusionibus cum vino absente inflammatione. Cum emollientibus forma cataplasmatis maturat abscessus et dolores mitigat.

DOSIS. In pulvere a granis quinque ad viginti, in infuso a scrupulo uno ad drachmam unam. Tinctura a guttis decem ad quadraginta.

PRAEPARATUM.

TINCTURA SEU ESSENTIA CROCI.) *vide praeparata P. II.*

N.

N. ph. l. V. ☉ FLORES HYPERICI.

N. germ. *Johanniskraut-Blumen, Scherneckel-Blumen, Hartheu-Blumen.*

N. syst. L. (Hypericum perforatum.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 15. ZORN Pl. med. Tab. 31.

Partes usuales. *Flores recentes.*

Tempus collectionis. *Colligendus Thyrsus florum ante expansionem plenariam.*

Hypericum perforatum; floribus trigynis, caule ancipiti, foliis obtusis pellucido-punctatis LINN. *Sp. pl. p.* 1105.

Est planta perennis, in locis apricis, dumetis, pratis et pascuis frequens. FLORES sunt corollae pentapetalae, petalis oblongo-ovatis, obtusis, saturate luteis, saepissime atro-rubicunde punctatis, cum pedunculis et calycibus quinquefidis. Sapor balsamicus, amaricans et subadstringens, odor suavis. Utriculi enim variis floris partibus, foliis, item nonnunquam cauliculis adhaerent vel immerguntur. In floribus et cauliculis nigri plerumque comparent et globosi, in foliis se se declarant punctulis pellucidis, ut ideo punctata esse videantur.

FLORES RECENTES, inprimis Stigmata turgent materia colorante rubicunda, et sub compressione quadam hanc instar Succi rubicundi largiuntur; est gummi-resinosae naturae, ad Laccam proxime accedens. SICCATI FLORES Aquam, Spiritum vini et Olea rubro imbuunt colore. Extrahitur optime Spiritu vini, qui inde rubrum colorem adipiscitur, aegrius Oleis destillatis, inter quae Oleum Anisi antecellit; pauxillum ejus modo Aqua eruit. Inter acida mineralia eminet hac vi Spiritus vitrioli. Vitellus ovi facile illam solvit. In arte tinctoria ruber iste color sub vario salinorum connubio laneos pannos colore ex luteo rubro vel badio vel olivaceo imbuit. Florum Extractum spirituosum ¼ constituit, aquosum autem, quod adstringens et nauseosum est, ¼ (NEUMANN *Chym. V. II. P. III. p.* 136.).

VIRES. Vulnerariae, subadstringentes, balsamicae.

USUS. *Externe* hodie solummodo ad detergendas et consolidandas partes molles externas, in compage sua contusione, vulnere, ulcere, ambustione, diremtas, quo fine OLEI INFUSI, aut TINCTURAE HYPERICI aut BALSAMI TRAUMATICI seu BALSAMI COMMENDATORIS forma applicatur.

PRAEPARATA.

OLEUM HYPERICI INFUSUM.
TINCTURA SEU ESSENTIA HYPERICI FLORUM. } *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ FLORES LAVANDULAE.

N. germ. *Lavendel-Blüthen, Spik-Blüthen.*

N. syst. L. (Lavandula Spica.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 294. ZORN Pl. med. Tab. 53.

Partes usuales. *Flores sicci.*

Tempus collectionis. *Praeferuntur flores varietatis foliis angustioribus, et ante expansionem colligendi perfectam.*

Lavandula Spica; foliis lanceolatis integris angustioribus, spicis nudis LINN. *Sp. pl. p.* 800.

Est Fruticulus in Hispania, Italia, Galli , Helvetia spontanea, apud nos in hortis colitur. Per FLORES autem intelligendi integri verticilli, seu Spicae florentes cum bracteis, calycibus, et corollis ringentibus nondum expansae, coloris coerulei, odoris gratissimi, saporis amaricantis calidi. Virtutes suas et in Aquam et in Spiritum transferunt, copiosius autem in hunc. Aqua destillata Oleum aethereum, fragrantiam florum continens, secum rapit; copia vero non semper eadem ad $\frac{1}{60}$ (LEWIS *M. m. p.* 344.) illustr. SPIELMANNUS *Chem. p.* 214.) nonnisi $\frac{1}{128}$ elicuit coloris laete flavicantis, acre.

VIRES. Calefacientes, stimulantes, nervinae, resolventes.

USUS. *Externe* ad Species resolventes. OLEUM DESTILLATUM Spiritu vini mixtum in tendinibus et nervis debilibus instar lavamenti scopo roborante et nervino adhibetur. Usum eximium in jam inveteratis grandinibus et palpebrarum tumoribus cysticis praestat OLEUM LAVANDULAE. Unguentis ad gratum odorem conciliandum additur.

PRAEPARATA.

OLEUM DESTILLATUM LAVANDULAE. } *vide praeparata P. II.*
SPIRITUS LAVANDULAE.

N. ph. l. V. FLORES LILIORUM CONVALLIUM.

N. germ. *Mayenblümchen, Liliekonvallie, Thallilien, Faltrian.*

N. syst. L. (Convallaria Majalis.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 70. ZORN Pl. med. Tab. 94.

Partes usuales. *Flores; recentes et sicci.*

Convallaria Majalis; scapo nudo LINN. *Sp. pl. p.* 451.

Est planta Europae perennis, in nemoribus, in sylvis montosis, dumetis et umbrosis primo vere florens. FLORES sunt corollae subrotundae, cam-

campaniformes, coloris albi, odoris, dum recentes, fragrantis, jucundi, saporis amari. Odor hisce flaccescentibus floribus sensim diminuitur, siccatione omnino perit. Odoris partibus dispersis, remanent acres et amarae. Hinc pulvere florum naribus attracto sternutatio subsequitur. Amarities omnibus plantae partibus inest, quae tamen in recentibus floribus minima. Destillatione odorum istud florum recentium Aqua, Vino, item Spiritu vini, excipi se sinit; unde haec liquida, dum servent odorem, analeptica efficacia non destituuntur. Sed valde fugax volatile hocce est. Oleo aethereo flores instrui, quod exigua modo quantitate insit, igitur nonnisi ex ingente florum copia eruendum, demonstrant experimenta. Extractum ex floribus paratum et a scrupulo ad drachmam dimidiam captum alvum notabiliter movet (MOSSDORF *Diss. de Lil. Conv. praes.* I. H. SCHULZE *p.* 22.).

VIRES. Sternutatoriae.

USUS. Pro pulvere sternutatorio. Si juxta celeb. RICHTER Mercurii vivi pars una cum partibus tribus Sacchari albi terendo exacte miscetur et additur pars una radicis *Valerianae sylvestris* pulverātae et totidem Florum *Liliorum Convallium* exsurgit pulvis sternutatorius compositus, qui summa efficacia in Amaurosi adhibetur, ut saepius vidi.

N. ph. l. V. FLORES MALVAE HORTENSIS, seu ARBOREAE, seu ROSEAE.

N. germ. *Papelrosen, Stockrosen, Herbstrosen, Glockrosen.*

N. syst. L. (Alcea rosea.)

Icon. Vide ZORN Pl. med. Tab. 236.

Partes usuales. *Flores; sicci.*

Alcea rosea; foliis sinuato-angulosis LINN. *Sp. pl. p.* 966.

Est planta perennis, in Oriente spontanea, apud nos in hortis culta. FLORES sunt corollae malvaceae pentapetalae petalis cordatis, coloris rubicundi obscurioris, saporis mucilaginosi nonnihil salsi, leviter adstringentis. Praeferuntur flores integri et plerumque pleni e violaceo pulli coloris.

VIRES. Emollientes, involventes, mucilaginosae.

USUS. Similis cum *Althaea* et *Malva vulgari* forma potus Theae; *externe* vero ad fomenta et cataplasmata emollientia recipi possunt.

V. ⊙ FLORES MELILOTHI CITRINI. vide *Herbam Melilothi.*

N.

N. ph. l. V. FLORES MILLEFOLII NOBILIS.

N. germ. *Edel-Schaafgarben-Blumen, Edel-Schaafrippen-Blumen.*

N. syst. L. (Achillea nobilis.)

Icon. Vide ZORN Pl. med. Tab. 279.

Partes usuales. *Flores; recentes et sicci.*

Achillea nobilis; foliis pinnatifidis planis obtusis tomentosis LINN. *Sp. pl. p.* 898.

Est planta perennis in montosis Austriae v. c. Alpe Breinina, Bohemiae, Saxoniae, Palatinatus, Hassiae et Hercyniae habitans. FLORES sunt corymbi convexi, confertissimi corollulis compositis, radiatis, odoris quodammodo camphoracei, florum vulgarium multo suavioris, acutioris, et magis balsamici, saporis subamari aromatici. A *vulgari Millefolio* et per folia in ramis summis floralibus simplicia, semipinnata, integerrima, tomentosa et obtusa discernitur.

VIRES et USUS ut *Herbae Millefolii.*

V. FLORES NAPHAE, seu AURANTIORUM. vide *Fructus Aurantiorum.*

N. ph. l. V. ☉ FLORES PAPAVERIS ERRATICI, seu RHOEADOS.

N. germ. *Klatschrosen, Klapperrosen, wilder Mohn, Kornmohn.*

N. syst. L. (Papaver Rhoeas.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 2. ZORN. Pl. med. Tab. 157.

Partes usuales. *Flores; sicci.*

Papaver Rhoeas; capsulis glabris globosis, caule piloso multifloro, foliis pinnatifidis incisis LINN. *Sp. pl. p.* 726.

Est planta annua, in agris vulgatissima. Varietas flore rubro, simplici, unice intelligitur. FLORES habent petala quodammodo subrotunda, cum basi angusta et nigra, in paginis vegete rubra, tactu pinguia, mollia, recentia odoris virosi, saporis mucilaginosi, subamari. Ne confundatur Papaver Rhoeas capsulis glabris, globosis, cum *Papavere dubio* LINN. capsulis oblongis, glabris, nec cum *Papavere argemoni* LINN. capsulis oblongis, hirsutis discernendo. Infusa illis Aqua fervida, haec manifeste mucilaginosa evadit, simulque gratam rubedinem adsciscit; Mucilaginis itaque pariter et anodyni principii ratio habenda est.

VIRES. Leniter anodynae, subadstringentes.

USUS. Adhibentur Flores ad Species pectorales et ad Syrupum in morbis pectoris convenientem.

DO-

DOSIS. Uncia semis florum in infuso.

PRAEPARATUM.

SYRUPUS PAPAVERIS ERRATICI, VEL RHOEADOS.) *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ FLORES ROSARUM PALLIDARUM, seu INCARNATARUM.

N. germ. *Rothe Rosen - Blätter, Zentifolienrosen - Blätter, Zuckerrosen - Blätter.*

N. syst. L. (Rosa Centifolia.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 78. ZORN Pl. med. Tab. 600.

Partes usuales. *Florum petala recentia et sicca.*

Tempus collectionis. *Ante plenariam expansionem colligendi.*

Rosa Centifolia; germinibus ovatis pedunculisque hispidis, caule hispido aculeato, petiolis inermibus LINN. *Syst. veg. p.* 394.

Est Frutex, qui ob speciem figurae et coloris, qua flores pleni instruuntur, item gratiam odoris in omni horto hospitatur, patriae hactenus ignotae. FLORES habent petala subrotunda, pallide rubra, numerosissima, odoris fragrantis, saporis primo dulcis, postea amari subausteri. Horum quidem recentia fragranti odore siccis longe antistant, sed nec siccatione ille omnino dispellitur. Unde et odoramentis siccis inserviunt. Provenit ille ab Oleo aethereo parva quantitate ex Rosis valde odoratis et quidem Sale conditis difficulter eruendo, nam ex recentibus plane nihil obtinetur.

Ex libris decem florum Sale conditorum vix grana octodecim aut viginti quinque grana obtinuit HAGEN (vide *Lehrbuch der Apothekerkunst P. I. p.* 380.). Hoc ipsum post destillationem aquae, forma squamarum griseo albicantium, innatat, quae exemtae et calore miti liquatae Oleum albicans constituunt, sed aere frigidiusculo in Butyri crassitiem iterum se se densans; fragrantissimo suo odore exigua quantitate magna penetrat, ceterum vix acre; sic grana triginta hujus Olei Saccharo trita 500 libras Aquae in egregiam Aquam Rosarum mutant. Infusum florum Aqua factum addito Vitriolo martis mox nigrescit. Remanet sapida pars, etiamsi altera nares feriens destillatione vel evaporatione dispersa fuerit.

VIRES. Roborantes, leniter adstringentes.

USUS. *Externus* ad gratum odorem variis medicamentis externis conciliandum; MEL ROSARUM vires depurantes et solventes exserit in angina, ulceribus oris et aliarum partium.

PRAE-

PRAEPARATA.

AQUA DESTILLATA FLORUM ROSARUM.
MEL ROSARUM.
MUCHARUM ROSARUM.
OLEUM ESSENTIALE FLORUM ROSARUM.
} *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ FLORES ROSARUM RUBRARUM, seu DAMASCENARUM.

N. germ. *Essigrosen - Blätter, Knopfrosen - Blätter, Sammetrosen-Blätter, Damascenerrosen - Blätter.*

N. syst. L. (Rosa Gallica.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 82.

Partes usuales. *Florum nondum expansorum petala; recentia et sicca.*

Rosa Gallica; germinibus ovatis pedunculisque hispidis, caule petiolisque hispido aculeatis LINN. *Sp. pl. p.* 704.

Est Frutex humilis, quem flore simplici illu. de JACQUIN in montibus sylvaticis Vindobonae invenit, in hortis flore pleno plerumque instruitur. FLORES sunt solitarii, calicis folia sex paribus pinnarum instructa, petioli et pedunculi aculeis mollibus sunt obsessi, color florum profunde ruber, chermesinus; debiliorem longe fragrantiam prae se ferunt, quam *Rosae centifoliae pallidae*, saporem habent subamarum, valde adstringentem. Ante expansionem collecti, abjecto pariter calyce, tum et gratiorem colorem habent et efficacius corroborant. Quo citius ad lenem ignem siccantur, eo magis vis adstringens augetur: lentiori siccatione tam haec quam color debilitatur (LEWIS *M. m. p.* 483.).

VIRES. Adstringentes, roborantes.

USUS. Ad Electuaria dentifricia CONSERVA ROSARUM adhibetur per se aut cum cortice Peruviano, Cremore Tartari, aut Succo Catechu depurato et Syrupo quodam attenuata. ACETUM ROSARUM gargarismata et fomenta repellentia ingreditur.

PRAEPARATA.

ACETUM FLORUM ROSARUM.
CONSERVA FLORUM ROSARUM.
} *vide praeparata P. II.*

V. ⊙ FLORES SAMBUCI. vide *Fructus seu Baccas Sambuci.*

V. ⊙ FLORES TANACETI. vide *Herbam Tanaceti.*

N.

N. ph. l. V. FLORES TUNICAE, seu CARYOPHYLLORUM RUBRORUM.

N. germ. *Rothe, dunkelrothe Nägelchen, Gartennelken.*

N. syst. L. (Dianthus Caryophyllus)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 81. ZORN Pl. med. Tab. 345.

Partes usuales. *Flores; recentes.*

Dianthus Caryophyllus; floribus solitariis: squamis calycinis subovatis brevissimis, corollis crenatis LINN. *Sp. pl. p.* 587. Intelligitur varietas illa *Dianthus coronarius* LINN. dicta hortorum vulgatissima petalis coloris profunde chermesini.

Est planta perennis, quae nostri climatis hyemen non fert, nisi tecta. Florum subsolitariorum, cum squamis calycinis, subovatis, brevioribus, nomine unice petala veniunt, quibus, quod speciei deest, odoris gratia resarcitur. Hoc ipso Caryophyllos aromaticos aemulantur, nec siccatione odorem hunc facile perdunt, qui vero etiam leni coctione perit. Sapor amaricans et subadstringens est, post siccationem manifestior. Odora pars infusione vel destillatione ab aqua facile recipitur, dispergitur vero vel leviuscula decoctione, sed nullum Oleum odoratum ab ea potest separari. Extractum aquosum austerum et subamarum levissimum, resinosum gratissimum odorem spirat LEWIS. Extracti aquosi ultra $\frac{1}{4}$, spirituosi $\frac{1}{6}$ CARTHEUSER obtinuit.

USUS. *Syrupus Florum* aliis medicamentis ad gratiam additur.

PRAEPARATUM.

SYRUPUS FLORUM TUNICAE, SEU CARYOPHYLLORUM RUBRORUM.) *vide praeparata P. II.*

V. ⊙ FLORES VERBASCI. vide *Folia Verbasci inter Herbas.*

N. ph. l. V. ⊙ FLORES VIOLAE MARTIAE.

N. germ. *Blaue Veilchen, Märzviolen.*

N. syst. L. (Viola odorata.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 55. ZORN Pl. med. Tab. 8.

Partes usuales. *Flores; recentes.*

Viola odorata; acaulis, foliis cordatis, stolonibus reptantibus LINN. *Sp. pl. p.* 1324.

Est planta perennis, in australioris Europae nemoribus, dumetis, et pascuis primo vere crebra. FLORES habent petala purpureo-coerulea corollae quinquepetalae, irregularis, postice cornutae, odoris specifici gra-

tissimi, saporis subamaricantis et mucilaginosi. Cave ne cum floribus oblongo-cordatis, pallidioribus et odore carentibus *Violae caninae* et *Violae hirtae* LINN. confundantur. Non solum fragrantes volatiles odoras partes possident, sed et fixiores partes anodynas vehunt, quas in Syrupo colligere solemus, cui unice fere flores hodie impenduntur. Mucilaginosae praeterea indolis sunt et amaritiem produnt. Denique et color purpureus, quem Aqua extrahit, ad chemica Experimenta idoneos reddit, et oculo amoenum pabulum in quibusdam liquidis subministrat.

VIRES. SYRUPUS inde rite praeparatus docente quotidiana experientia Tussim sedat, dolores ab aphthis levat, et in tenerioribus somnum blande promovet, julepiis et mixturis quoque additur ob coloris gratiam.

PRAEPARATUM.

SYRUPUS FLORUM VIOLARUM.) *vide praeparata P. II.*

§. VI. *FRUCTUS.*

N. ph. l. V. ⊙ FRUCTUS ACACIAE GERMANICAE.

N. germ. *Reife deutsche Schleen, Heckschleen.*

N. syst. L. (Prunus Spinosa.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 494. ZORN Pl. med. Tab. 4.

Partes usuales. *Flores recentes, et Fructus maturus.*

Prunus Spinosa; pedunculis solitariis, foliis lanceolatis glabris, ramis spinosis LINN. *Sp. pl. p* 681.

Est Frutex humilis, in dumetis, sepibus et locis apricis copiosus. FLORES constant corolla breviter petiolata, petalis quinque albis, subrotundis, emarginatis, cum perianthio monophyllo, quinquefido et reliquis fructificationis partibus. Odor suavis, sapor subamarus. Recentes suavem odorem et aquae tam destillatae quam infusione erogant, qui autem siccando omnino fere perit. Sicci quoque subamari sunt, qui sapor pariter infundendo in aquam transit, et in Extracto utroque se se manifestat. Extractum aquosum ponderis dimidium florum constituit (SPIELMANN *Chem. p.* 100.). *Resina*, quartam florum partem aequans, nigra, salini et amari saporis est, et citissime aeris attactu deliquescit (SPIELMANN et LACHAUSSE *Diss. Acac. off. Hist. p.* 10.). FLORES RECENTES ad alvum movendam ex longa annorum serie ut domestica medicina utuntur, quem effectum ratione principii resinosi, quo scatent, videntur edere. FRUCTUS Drupa est rotunda, Cerasi mediocris magnitudinis obscure coerulea, pulpa viridi, nuce subrotunda, saporis valde austeri, acidi et constringentis. Mitior, postquam gelu correptus maturuerit, ut et plebs vel infantes non dubitent

bitent tum fructus aliquot ingerere. Succus pulpae adeo viscidus est, ut nonnisi aqua adjecta ille exprimi queat.

VIRES. *Florum* leniter alvum laxantes; *Fructuum* adstringentes, antiputredinosae.

USUS. *Flores* odoris grati si recentes infantibus ad alvum leniter movendam in infuso exhibentur. *Fructus* forma ROOBIS in morbis biliosis, diarrhoeis et dysenteriis, scorbuto adhiberi potest.

DOSIS. AQUA DESTILLATA *Florum* ad uncias duas aut tres; *Flores* a drachmis duabus ad tres in aquae unciis duabus aut tribus infunduntur. ROOB BACCARUM ACACIAE a drachmis duabus ad unciam unam.

PRAEPARATA.

AQUA DESTILLATA FLORUM ACACIAE.
ROOB BACCARUM ACACIAE MATURARUM. } *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ FRUCTUS AURANTIORUM MATURORUM AMARORUM.

N. germ. *Reife Pommeranzen, gelbe Pommeranzen, bittere Pommeranzen.*

N. syst. L. (Citrus Aurantium.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 349. ZORN Pl. med. Tab. 496.

Partes usuales. *Cortex, Folia, et Flores Naphae; recenter et sicca; et Oleum Bergamottae.*

Citrus Aurantium; petiolis alatis, foliis acuminatis LINN. *Syst. veg.* *p.* 580.

Est Arbor semper virens originis orientalis, sed hodie copiose in australi Europa et apud nos in hybernaculis culta; grandaeva, ut ducentos imo trecentos annos attingere dicatur, etiam foecundissima. Insula Americana Curassao fragrantissima Mala profert (GAUB. *Advers. p.* 31.). FRUCTUS sunt globosi nonnihil compressi, umbilicati, externe vestiuntur CORTICE carnoso, extus fulvo, inaequali, copiose poroso, intus albo, fungoso, interne pulpa membranosa, succosa, novemloculari et octodecim seminibus subovatis, callosis, instructi, odoris fragrantis et grati, saporis aromatici cum grata amaritie.

CORTEX AURANTIORUM RECENS Oleo essentiali adhuc scatens; quod compressione exsudat, in usu est medico, et a fungosa interna et alba substantia purgatus adhibendus; saepius vero utimur CORTICIBUS SICCATIS; externa enim corticis pars obscure fulva seu brunea, plane ab interna fungosa et alba substantia purgata et *siccata* sub nomine FLAVEDO CORTICUM AURANTIORUM in frusta ovata dissecta servanda et adhibenda. Saepius haec ex Hispania, Italia et Gallia allata, ex quibus cortices de Curassao opti-

optimae notae sunt, magnitudine majori, colore magis bruneo et pauciori substantiae fungosae adhuc adhaerente quantitate discernendi. Eligantur Cortices profunde sive ex bruneo flavi, saporis amari, aliquo modo adhuc odoris fragrantis, nec obsoleti nec situ corrupti.

Aqua frigida amaras praecipue partes extrahit, calida simul odoras. Spiritus vini rectificatus autem plus elicit, quam Aqua. Destillatione cum Aqua Oleum aethereum recens, excolor et fluidissimum, aetate fuscum et in Balsami crassitiem spissescens, aquae superficiem tenens, acre, aromaticum, calidum, in quo residet odora pars, assurgit, nec nisi amara pars in residuo manet. In Insula Curassao idem Oleum aethereum sub nomine BERGAMOTTAE ex Cortice recenti Mali maturatissimi exprimitur, versus planum inclinatum laminae vitreae excutitur defluensque ad usum colligitur; fragrantia et gratia odoris illo per destillationem obtento antistat. Ex Europa meridionali ad nos advehitur. Mora in fundo vitri Concrementum producit, quod constat ex glebulis subluteo pellucentibus, inter se se nonnihil cohaerentibus, formae multiplicis, ad tactum scabris, fragilibus. Est Sal quoddam volatile essentiale, ex ipso Oleo aethereo enatum, quod simile et ex Oleo Majoranae, Cinnamomi etc. depositum constitit (vide de horum Salium natura plura in CARTHEUSERI *Diss. phys chem. p. 327 sqq.*). FOLIA sunt ovato - acuminata, tenacia, petiolis cordato - alatis, superne nitida, laete viridia, subtus pallidiora, recentia lucem versus conspecta, punctula pellucida produnt. Manu trita odoris sunt grate fragrantis, saporis subamari, subaromatici. FLORES NAPHAE dicuntur Petala Florum hujus Arboris oblonga, alba, odoris recentium suavissimi, saporis amaricantis. Odor siccando eos omnino fere aufugit. Aqua illum ex recentibus Floribus destillando absumit simulque Oleum rubrum fragrantissimi odoris evolvit. Vocatur hoc etiam aliis OLEUM seu ESSENTIA NEROLI. Ob pretium carum, quo venit substituitur illi mala fraude vulgo *Oleum Been* cum Floribus digestum. Condiri Flores a quibusdam Saccharo solent, item filo trajecto suspendi in vitro soli obverso, ut liquidum odorum transsudet, dein in exiguis vitris servandum (MÜNCHHAUSEN *Hausvater Vol. III. p. 598.*).

VIRES. *Succi* aut *Pulpae* antiputredinosae, refrigerantes.

USUS. In febribus acutis, biliosis et putridis, scorbuto.

VIRES. *Corticis* stimulantes, calefacientes, carminativae.

USUS. In digestione vitiata a debilitate, inflatione intestinorum a flatibus FLAVEDO CORTICUM AURANTIORUM adhibetur.

DOSIS. A drachma una ad duas in infuso. *Cortex* Saccharo tritus, et forma Eleosacchari ad gratiam aliis additur, aut ad stimulandum a granis quinque ad decem. ESSENTIA CORTICUM tanquam stomachicum a drachma una ad duas. SYRUPUS CORTICUM ad gratiam aliis additur, ita et OLEUM BERGAMOTTAE unguentis odoris gratia. AQUA NAPHAE odoris gratia mixturis a drachmis duabus ad unciam unam additur. EXTRACTUM CORTICUM tanquam stomachicum a scrupulo uno ad drachmam adhibetur. Decoctum Corticum in haemorrhagia uteri ubi solummodo sanguinis natura vel relaxatio vasorum ejusdem in causa est maxime commenda-

datur a cel GULDBRAND, ita et in mensium aut haemorrhoidum fluxu nimio a simili causa. Decoctum autem saturatum requiritur, sic Cortices septem pomorum cum libris aquae tribus ad remanentiam librarum duarum coquuntur, Saccharo edulcoratur decoctum et ter vel quater de die decem cochlearia exhibentur.

VIRES. *Foliorum* antispasmodicae.

USUS. In morbis spasticis, convulsivis hystericarum, in Tussi convulsiva.

DOSIS. In pulvere ad drachmam semis, unam. In decocto uncia dimidia in unciis viginti aquae de die exhibetur.

PRAEPARATA.

AQUA DESTILLATA CORTICUM AURANTIORUM.
AQUA DESTILLATA FLORUM AURANTIORUM, SEU AQUA NAPHAE.
ELEOSACCHARUM CORTICUM AURANTIORUM.
EXTRACTUM CORTICUM AURANTIORUM.
OLEUM DESTILLATUM AETHEREUM CORTICUM AURANTIORUM.
SPIRITUS CORTICUM AURANTIORUM.
SPIRITUS FLORUM AURANTIORUM, SEU NAPHAE.
SUCCUS AURANTIORUM MATURORUM RECENS.
SYRUPUS CORTICUM AURANTIORUM.
SYRUPUS FLORUM AURANTIORUM, SEU NAPHAE.
TINCTURA SEU ESSENTIA CORTICUM AURANTIORUM.

} *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ FRUCTUS AURANTIORUM VIRIDIUM, seu IMMATURORUM, seu CURASSAVICORUM.

N. germ. *Unreife Pomeranzen, Curassaäpfel.*

N. syst. L. (Citrus Aurantium.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 349. ZORN Pl. med. Tab. 496.

Partes usuales. *Fructus virides immaturi integri siccati vitro clauso servantur.*

Citrus Aurantium; petiolis alatis, foliis acuminatis LINN. *Syst. veg. p.* 580.

Est idem Arbor, ut Auratiorum maturorum, semper virens originis orientalis, sed hodie in australi Europa et apud nos in hybernaculis culta. FRUCTUS VIRIDES IMMATURI, seu AURANTIA CURASSAVENSIA a magnitudine Pisi ad Cerasi, rugosi, coloris ex viride brunei, saporis valde amari, subaromatici colliguntur. Recentes saporem nonnihil acerbum produnt, siccati

siccati autem insigniter amari toti grate aromatici ex viridi bruni. Sponte quidem hi ex arbore copiosissime cadunt: sed praestat decerpere istos, utpote vegetiores. Magis hi aromatici sunt, quam Cortex maturorum, prout alia exempla fructuum exstant, qui maturescendo aromatis decrementum patiuntur, ut Juglandes, Caryophylli aromatici. Aurantia haec viridia maceratione Spiritum vini grata viredine tingunt illique simul Aroma cum amaritie impertiunt, quae dotes in Extracto commode colliguntur. Aqua minus commodum menstruum est. Sed cum hac si destillatur, ascendit Oleum aethereum flavum odoris fragrantis.

VIRES. Excellunt vi stomachica. Ingrediuntur ideo etiam PULVEREM AROMATICUM. Commode et fonticulis induntur ad effluvium eorundem alendum, incitandum.

N. ph. l. V. ⊙ FRUCTUS BERBERUM.

N. germ. *Berberisbeere*, *Saurach*, *Sauerdornbeere*, *Weinschärdlingbeere*, *Reiselbeere*, *Erbselbeere*.

N. syst. L. (Berberis vulgaris.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 165. ZORN Pl. med. Tab. 86.

Partes usuales. *Baccae; recentes.*

Berberis vulgaris; pedunculis racemosis, spinis triplicibus LINN. *Syst. veg. ed.* 14. *p.* 343. Intelligitur varietas baccis grate rubris utpote acidioribus, iisque, quae seminibus instruuntur, quoniam hae succosiores sunt, nam seminibus vacuae sicciores deprehenduntur (MÜNCHHAUSEN *Hausvater Vol. III. p.* 442.).

Est Frutex albus, ad sepes, in sylvis et dumetis habitans, indigena. BACCAE sunt ovato-cylindricae, obtusae, umbilico subrotundo fusco notatae, uniloculares, cum seminibus duobus oblongis, coloris pulchre rubri, grato acidi, subadstringentis saporis, succo rubro scatentes. Succus enim gratia et virtute vix Succo Citri cedit. Colatione clarior quidem fit Succus, non tamen limpidus; Vitrioli martis miscela colorem fusco nigrum assumit.

Ad acidum Tamarindorum proxime indole sua venit, in eo quoque, quod, postquam Succus crystallorum forma Sal essentiale tartareum erogaverit, acidum tamen acre servet. Cel. SCHEELE (*Vet. Acad. Handl.* 1785. *p.* 22.) et cel. HOFFMANN (in CRELLS *Annal. Vol. I. p.* 224. 417.) ex Succo Baccarum Berberis perfecte maturarum tam expresso quam fermentationi subjecto crystallos arte chemica elicuerunt, quas acido Sacchari similes deprehenderunt. Servari potest hic Succus per plures annos, si, postquam quiete clarus evaserit, immittitur in ampullas et vel epistomio vel Oleo Olivarum superaddito tegitur. Sic pro scopo medico vices Succi Citri pretio longe carioris peragit. Succus vero prelo ex Stanno puro confecto exprimi debet, quod et in expressione aliorum Succorum acidorum observandum, nam ex Auricalco facile aliquid solvi posset, sanitati valde noxium.

VI-

VIRES. Refrigerantes, antiputredinosae.

USUS. In omnibus febribus putridis et inflammatoriis. Est *Succedaneum* Succi Citri.

DOSIS. SUCCUS BERBERUM instar Succi Citri adhiberi potest, sic ad libras duas liquidi unciae duae aut tres Succi. ROOB BERBERUM ab uncia una ad duas Decoctis additur. SYRUPUS eodem modo Decoctis et Mixturis antiphlogisticis. SUCCUS ob aciditatem et colorem rubrum loco Succi Citri ad confectionem potus Polopuntiae seu *Puntsch* inservit. ROTULAE ad sitim fallendam in morbis variis exhibentur.

PRAEPARATA.

ROOB BACCARUM BERBERUM. ROTULAE BACCARUM BERBERUM. SUCCUS EXPRESSUS ET DEPURATUS BACCARUM BERBERUM. SYRUPUS BACCARUM BERBERUM.	*vide praeparata P. II.*

N. ph. L. V. ⊙ FICUS, seu CARICAE.

N. germ. *Trockene Feigen.*

N. syst. L. (Ficus Carica.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 125. ZORN Pl. med. Tab. 479.

Partes usuales. *Caricae seu Fructus siccati.*

Ficus Carica; foliis palmatis LINN. *Sp. pl. p.* 1513.

Est Arbor in Europa calidiori, ut Insulis Archipelagi, Sicilia, Italia, Gallia inferiori, Hispania locis montanis et editis spontanea, apud nos in frigidariis tuenda. FRUCTUS Ficus siccati seu Caricae, cistulis immissi ad nos allati, in formam orbicularem compressi, coloris ex albo flavescentis, pulpa subviscida, dulcissima, seminibus exiguis, lenticularibus, divite. Caricae de Smyrna sunt magnae, flavescentes et orbiculares, Carices de Genua majores flavescentes, et oblongae; Carices pingues sive Marsilienses minores, flavescentes, et orbiculares dulcissimae, ast valde corruptibiles et vix annum per unum conservandae. Rejiciantur durae, insectis erosae, coloris profundioris et multa materia obductae Saccharina, signum quidem bonitatis ac maturitatis, sed etiam propensionis in corruptionem.

VIRES. Nutrientes, mucilaginosae, detergentes. *Externe* emollientes.

USUS. In raucedine, Tussi cum Speciebus pectoralibus. *Externe* cum aqua aut lacte ad gargarismata aut cataplasmata. Caricae in lacte coctae ulcus gingivarum maturant.

DOSIS. Ad Decocta uncia una aut duae. Eadem quantitas ad gargarismata. Cataplasmatibus ad minimum unciae duae adduntur. Miscentur cum Liquiritia, Althaea; *Externe* cum mucilaginosis.

N.

N. ph. l. V. ⊙ FRUCTUS CERASORUM RUBRORUM ACIDORUM.

N. germ. *Saure Kirschen, Weichseln.*

N. syst. L. (Prunus Cerasus.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 449.

Partes usuales. *Fructus; recentes et siccati.*

Prunus Cerasus; umbellis subpedunculatis, foliis ovato - lanceolatis glabris conduplicatis LINN. *Syst. veg. p.* 386. Varietas, *austera* LINN. Cerasus acidissima sanguineo succo. C. B. Est Arbor indigena.

FRUCTUS est Drupa globosa, rubra, carne valde acida, Succo sanguineo, cum nuce globosa, compressa, acuminata, marginibus prominentibus. Succus Cerasorum rubrorum acidorum acidum Sacchari continet, et quidem librae duae Succi septem drachmas acidi Sacchari. Drachmae novem et grana viginti Succi alcalini Salis vegetabilis grana viginti ad perfectam saturationem reducunt. (vide CRELLS *Annalen I. B.* 1785. *p.* 526.).

VIRES. Refrigerantes, antiputredinosae, saponaceae.

USUS. In morbis acutis et chronicis, diarrhoeis, dysenteriis, melancholia, mania.

DOSIS. ROOB CERASORUM RUBRORUM et SYRUPUS antiphlogisticis Mixturis et Decoctis ab uncia una ad duas vel tres additur.

PRAEPARATA.

ROOB CERASORUM RUBRORUM ACIDORUM.
SYRUPUS CERASORUM RUBRORUM ACIDORUM. } *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ FRUCTUS CERASORUM NIGRORUM DULCIUM.

N. germ. *Grosse schwarze süsse Waldkirschen.*

N. syst. L. (Prunus avium.)

Icon. Vide REGNAULT Botan. Le Cerisier. item in MAYERI Pomona Francon. Tom II. p. 28. Tab. 7.

Partes usuales. *Fructus recentes.*

Prunus avium; umbellis sessilibus, foliis ovato - lanceolatis, subtus pubescentibus, conduplicatis LINN. *Syst. veg. p.* 386.

Est Arbor procera indigena, in sylvis, sepibus et triviis Europaeis, regionum adeo magis septentrionalium frequens. FRUCTUS est Drupa oblonga, nigra, carne sicciori grate dulci, Succo ex rubro - nigro cum Nucleo grandiori globoso, compresso, marginibus prominentibus sapore et odore

ad

ad folia *Laurocerasi* accedente. Succus fermentatione vinum sapidum et generosum largitur. Item ex Succo cum Spiritu vini et Saccharo Ratafia grata paratur. Spiritus tamen inflammabilis, qui fermentatione et destillatione elicitur majoris est pretii.

Ex fructibus enim una cum nucleis contusis, qui, postquam per Cerevisiae faeces fermentationem subierint, destillationi submittuntur, rectificatione exsurgit liquidum a Spiritu vini gallico efficacia vix differens. Aetate et gratior et fortior hic Spiritus evadit, et in miscela Succi citri, Sacchari et Aquae aemulatur notissimum potus genus, Punch dictum (ZIMMERMANN *Erfahrung P. II. p.* 314.). Ex carne fructuum cum nucleis contusa, addita aqua, destillatur AQUA CERASORUM NIGRORUM, grata atque reficiens, odore et sapore cum AQUA FOLIORUM LAUROCERASI convenit, et prout in officinis prostat, valde diluta, nunquam nocuas vires exserit.

VIRES. Refrigerantes, solventes, saponaceae, antiputredinosae.

USUS. In morbis febrilibus et chronicis, obstructionibus viscerum, melancholia, mania.

DOSIS. SYRUPUS ab uncia una ad duas Mixturis et Decoctis additur; AQUA ad gratiam Mixturis. Cerasa nigra per se cruda etiam in morbis chronicis abdominis comeduntur.

PRAEPARATA.

AQUA DESTILLATA CERASORUM NIGRORUM. }
SYRUPUS CERASORUM NIGRORUM. } *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ☉ FRUCTUS CITRI, seu MALA CITEA.

N. germ. *Zitronen.*

N. syst. L. (Citrus medica.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 361. ZORN Pl. med. Tab. 496.

Partes usuales. *Citri Malum integrum, ex quo Succus cum Carne seu Pulpa, et Cortex; recens et siccus seu Flavedo Citri; et Oleum de Cedro, seu Corticum Citri.*

Citrus medica; petiolis linearibus LINN. *Sp. pl. p.* 1100.

Est Arbor semper virens in Media et Persia spontanea, in Europa australi indigena, apud nos in hybernaculis culta. FRUCTUS Citri sunt ovalis figurae, apice in papillam desinente, basi obtusiori cui adhaerent calyculi reliquiae, extus Cortice foris gibboso, flavo, folliculis oleiferis divite, intus spongioso albo vestiti, interne Pulpa membranosa, novemloculari, seminibus ovato - acutis callosis, et Succo acido instructi, odoris fragrantis, saporis aromatici, subamari calidique. Eligantur majores, Cortice tenui vestiti et ponderosiores. Utimur CORTICIBUS CITRI tam *recentibus* quam *siccatis*, amborum vero solummodo exteriore flava parte, ab interna fun-

gosa alba liberata, quae in pharmacopoliis sub nomine: FLAVEDO CORTICUM CITRI asservanda. Cortices Citri siccati, in frusta dissecati ovato-acuminata, extus coloris profunde lutei, intus substantia fungosa albicante adhuc induti plerumque ex Italia et Sicilia allati, fragrantia recentiorum et sapore aromatico privati; eligantur saporis subamari calidi, nec obsoleti nec situ corrupti et ut jam dictum, pro usu medico non prius adhibeantur, quam ab interna parte fungosa sollicite purgati sint.

Qui carne comprehenditur SUCCUS ex fructibus maturis Citri medicae et varietatis Citri Limoniae, corticibus et seminibus sublatis, expressus et defecatus, coloris Seri lactis, saporis grati acidi, odoris peculiaris. Acidum est impurum, acido proprio Citri et acido Sacchari et pauxillo alcali vegetabilis mixtum. Nihil autem de acido Tartari continet juxta WESTRUMB (*Chemisch - physische Abhandl. II. B. I. Heft. p.* 255.); cum alcali vegetabili puro saturatus Succus Citri terram praecipitat calcaream, in majori quantitate Succi Citri affusi iterum solubilem, qua potentia ab omnibus aliis acidis distinguendus. Probi et fortis Succi Citri uncia semis valet grana sedecim Salis alcali vegetabilis siccissimi perfecte saturare; major Succi quantitas ad saturationem necessaria, Succum debilem vel nimis aquosum vel vapidum denotat. Adulteratus Succus Aceto, saturatione cum Sale alcali vegetabili in Sal neutrum mutatus, ex instillatione aliquot guttularum odorem spargit acetarium; item Sal neutrum super prunis detonans, adulterationem Succi cum acido Nitri notat. Si Succo Citri instillata solutio Argenti in Oleo Vitrioli coctione facta, Lunam deponit cornuam, acido Salis Succus est depravatus, et si instillatio solutionis aquosae Plumbi cornui, Vitriolum - praecipitat Plumbi, depravatio cum acido Vitrioli proditur. Quodsi in saturatione Succi Citri cum Sale alcalino vegetabili praecipitatur Cremor Tartari, inquinatus est Succus acido Tartari.

Exprimitur Succus in officinis ipsis et per chartam bibulam filtratus, in vasis vitreis longi et angusti colli probe repletis et arcte clausis, in cella servetur, adhaerescens vero per moram suberi cuticula sedulo et caute separetur, ac omnis agitatio, ne sedimentum ascendat, sollicite evitetur. OLEUM DE CEDRO, seu ESSENZA DI CEDRO, seu OLEUM CORTICUM CITRI AETHEREUM plerumque ex Flavedine Corticum Citri recentium scarificata promanans et expressum, limpidissimum, album vel dilute flavescens, odoris penetrantissimi et saporis suavis, fortis, exacte citrini; subinde Alcohole Vini adulteratur, quod cognoscendum, si Aqua ab instillatis aliquot guttulis Olei lactescit, hoc vitiatum uti et turbidum rejiciatur. In Italia et Sicilia paratur, unde ad nos adfertur.

VIRES. Antiputredinosae, refrigerantes.

USUS. In omnibus febribus putridis et inflammatoriis, in scorbuto; *externe* in Erysipelate scorbutico tibiae Succo Citri fricantur, ita et gingivae scorbuticae.

DOSIS. SUCCUS ab uncia una ad duas. Miscetur cum Melle, Manna, Sero lactis, Tamarindis ad gratiam. Non autem cum acidis mineralibus. Mixturis antiphlogosticis et refrigerantibus. Potui ordinario in febribus ad uncias sex aut octo additur SUCCUS. SYRUPUS CITRI ab uncia una

ad

ad duas Mixturis. Serum lactis citratum ex libra una lactis et uncia una Succi Citri paratum tanquam attenuans remedium in infarctu pituitoso hypochondriacorum, et cachexia; etiam Succis antiscorbuticis recentibus additur. ROOB SUCCI CITRI usus ut SYRUPI. ROTULAE ad sitim fallendam utuntur.

PRAEPARATA.

ELEOSACCHARUM CORTICUM CITRI.	vide praeparata P. II.
PULVIS PRO LIMONADA, SEU LIMONADA PORTATILIS.	
ROOB SUCCI CITRI.	
ROTULAE EX SUCCO CITRI.	
SUCCUS CITRI RECENS.	
SYRUPUS ACETOSITATIS CITRI.	

N. ph. l. ⊙ **FRUCTUS, seu POMA COLOCYNTHIDUM.**

N. germ. *Koloquintenäpfel, Purgier, Paradiesäpfel, wilde Kürbis.*

N. syst. L. (Cucumis Colocynthis.)

Icon. Vide BLACKWEL Herb. Tab. 441. ZORN Pl. med. Tab. 478.

Partes usuales. *Fructus siccati, praecipue Pulpa Colocynthidos abjectis seminibus, quae separatim servanda.*

Cucumis Colocynthis; foliis multifidis pomis globosis glabris LINN. *Sp. pl. p.* 1435.

Est Planta annua, in Syria et Alepo habitans. FRUCTUS refert pomum magnitudinis Mali Aurantii, globosum, exsiccatum triloculare, cortice externo viridi destitutum, tegmine vero e flavo albido coriaceo instructum, PULPAM includente fungosam, levem, albicantem, saporis intense amari, acris et nauseosi, in cellulis copiosis SEMINA continentem oblonga, plana, dura, ruffa, quae sub nomine SEMINA COLOCYNTHIDUM in pharmacopoliis servanda. Etiam purgant, sed mitius tutiusque longe. Memorabilis est mucilaginis copia, quae Pulpae recenti inest, tam larga, ut Tinctura spirituosa per chartam bibulam non transeat, aegre per colum. Continet Extracti resinosi $\frac{1}{18}$ et aquosi $\frac{1}{13}$ BOULDUC; alii aliam proportionem notant. Omni aevo cognita vehementia, qua alvum movet, torminibus et aliquando dejectionibus cruentis stipata. Eligantur Poma non inveterata, albida, integra, sicca et levia.

VIRES. Purgantes, drasticae cum torminibus.

USUS. Tanquam remedium irritans PULVIS COLOCYNTHIDIS GUMMOSUS adhibetur in Hydrope, Apoplexia pituitosa, Lethargo.

DOSIS. PULVERIS COLOCYNTHIDIS GUMMOSI una quarta pars grani, ad grana duo.

PRAEPARATUM.

PULVIS COLOCYNTHIDIS GUMMOSUS, SEU TROCHISCI ALHANDAL.) *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ FRUCTUS CYDONIORUM, seu PYRA CYDONIA.

N. germ. *Quitten - Birn.*

N. syst. L. (Pyrus Cydonia.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 137. ZORN Pl. med. Tab. 306.

Partes usuales. *Fructus recens, et Semina.*

Pyrus Cydonia; foliis integerrimis, floribus solitariis LINN. *Sp. pl. p.* 687.

Est Arbor humilis in hortis culta; et quidem varietas Cydonia fructu oblongo laeviori TURNEFORT. *Instit. p.* 632. Cujus Fructus pyriformis est, *germ. Quitten - Birn* ad usum medicum et oeconomicum praefertur. FRUCTUS sunt figurae et magnitudinis Pyri in apice impressi, umbilicati, et circa umbilicum angulati, glabri, lanuginosi, ex viride flavi, vel citrini, odoris specifici grati fragrantis, saporis acidi subausteri; succosi, quinque loculares, carne firma flavicante et SEMINIBUS oblongis, compresso - angulatis, difformibus, uno extremo obtusis altero acuatis, uno latere planis, altero convexis, extus nitidis, bruneis, intus albis instructi, quae sub nomine: SEMEN CYDONIORUM, *Quitten - Kerne*, in officinis servanda; ex quibus vero vetusta, nigra, sordida rejicienda veniunt. Sapor Fructus crudi adeo austerus et acidus est, ut comedi non possit sed vario modo ad usum medicum et oeconomicum praeparatus adhibetur. Semina abundant mucilagine, quae coctione vel infusione facile elicitur. Drachma ejus una cum sex unciis aquae decocta liquidum sistit albumini ovorum aemulum; ex duabus drachmis Seminum valde spissum evadit.

VIRES. Nutrientes, antiputredinosae.

USUS. SUCCUS Cydoniorum ad TINCTURAM MARTIS. ROOB CYDONIORUM in febribus putridis, dysenteria, diarrhoea, angina pituitosa, vomitu nimio, laxitate uvulae convenit.

DOSIS. ROOB ab uncia semis ad unam.

PRAEPARATA.

ROOB CYDONIORUM.
SUCCUS EXPRESSUS CYDONIORUM RECENS.
SYRUPUS CYDONIORUM.
} *vide praeparata P. II.*

N.

N. ph. l. V. ⊙ BACCAE EBULI.

N. germ. *Attichbeere, Niederholderbeere.*

N. syst. L. (Sambucus Ebulus.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 488. ZORN Pl. med. Tab. 40.

Partes usuales. *Baccae recentes.*

Sambucus Ebulus; cymis trifidis, stipulis foliaceis, caule herbaceo LINN. *Sp pl. p.* 385.

Est Planta herbacea perennis, procera, locis humidis umbrosis sylvatis cis crescens. BACCAE sunt subrotundae umbilico cum stellato, uniloculares, cum tribus ovatis subtrigonis, rugosis seminibus, maturae coloris nigri et Succo nigro-violaceo, divites, saporis proprii subdulciusculi. Tota Stirps odorem ingratum virosum spargit, similem quidem illi ex Sambuco-sed graviorem. Experientia quoque constat, viribus ea esse superiorem-Baccae enim istis Sambuci non multum absimiles recentes purgant.

VIRES. Diureticae, purgantes.

USUS. ROOB EBULI in hydrope, et tumoribus frigidis adhibetur.

DOSIS. Ad drachmam unam aut unciam semis aliis additur, per se ad unciam unam purgat. *Cortex* recens cimices necat.

PRAEPARATUM.

ROOB BACCARUM EBULI.) *vide praeparata P. II.*

V. ⊙ BACCAE JUNIPERI. vide *Lignum Juniperi.*

N. ph. l. ⊙ FRUCTUS JUGLANDIS IMMATURI, et MATURI.

N. germ. *Unreife Wallnüsse, grüne Wallnüsse, unreife welsche Nüsse, und reife Früchte.*

N. syst. L. (Juglans Regia.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 247. ZORN Pl. med. Tab. 517.

Partes usuales. *Putamen Nucum Juglandum maturorum recens et siccum; Fructus maturus; et Nuces Juglandes cum Putamine immaturae recentes.*

Tempus collectionis. *Mense Junio et Julio decerpendi sunt Fructus, et integri, non maculosi, nec erosi, nec rugosi et facile furca perfigendi eligantur.*

Juglans Regia; foliolis glabris subserratis subaequalibus LINN. *Sp pl. p.* 1415.

Est

Est Arbor ubivis culta. FRUCTUS est Drupa ovalis, PUTAMINE carnoso, crasso, extus glabro et laete viridi, intus albo, digitos colore luteo fusco tenaci inquinante, saporis austeri, adstringentis, amari, cincta, intra quod TESTA bivalvis, scabra, oblonga, NUCLEUM quadrilobum, tuberculosum, epidermide flavicante adstringente tectum includit, coloris albi, saporis in fructu immaturo adstringentis, subamari, in fructu maturo vero grate dulcis. Extractum aquosum ex immaturis fructibus cum Putamine seu cortice est saporis acris, amaricantis et quodammodo aromatici non ingrati.

VIRES. Adstringentes, mucilaginosae.

USUS. *Putamen* Nucum juglandum siccatum *externe* in ulceribus herpeticis, in ulceribus latis et laxis et ulceribus simplicibus forma decocti adhibetur. ROOB NUCUM insignem vim in angina et tonsillarum tumore forma gargarismatis exhibet. In aphthis aliisque oris exulcerationibus ob vim detergentem penicillo illinitur. EXTRACTUM NUCUM JUGLANDUM IMMATURORUM scopo anthelmintico adhibetur in infantibus.

DOSIS. *Putaminis* uncia una cum libra aquae infunditur frigide per tres vel quatuor horas, dein coquitur per quadrantem horae, colatura *externe* in ulceribus humectatis linteis carptis applicatur. ROOB ab uncia semis ad unam gargarismatibus additur. EXTRACTUM ita exhibetur ut pars una in partibus duabus AQUAE FLORUM CASSIAE SIMPLICIS soluta infanti unius, ad tres annos guttae triginta, adultioribus guttae quadraginta ad sexaginta exhibeantur. Post octo dies purgans.

PRAEPAPATA.

EXTRACTUM NUCUM JUGLANDUM IMMATURORUM.
OLEUM NUCUM JUGLANDUM EXPRESSUM SEU UNGUINOSUM.
ROOB CORTICUM NUCUM JUGLANDUM.
} *vide praeparata P. II.*

N. ph. L. ⊙ BACCAE LAURI.

N. germ. *Lorbeeren.*

N. syst. L. (Laurus nobilis.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 175. ZORN Pl. med. Tab. 52.

Partes usuales. *Folia sicca et Baccae recentes et siccae.*

Laurus nobilis; foliis lanceolatis venosis perennantibus, floribus quadrifidis LINN. *Syst. veg. p.* 317.

Est Arbor calidis regionibus Europae indigena, apud nos in hybernaculis culta. BACCAE seu Fructus sunt oblongo-rotundi, rugosi, profunde brunei, includunt NUCLEUM badii coloris ovatum, in duas partes aequales divisum, odoris fragrantis, saporis pinguis, amari, aromatici. Rejiciantur flaccidae et cariosae Baccae. Duplex Oleum recondunt NUCLEI, alterum *aethe-*

aethereum, alterum *unguinosum*, quod simplici expressione alias consueta non sufficienter elici potest, sed coctionis cum aqua adjumento opus habet, ubi tunc simul aethereum conjunctum expressione elicitur. In Hispania, Lusitania, Italia, Insulis fortunatis, ubi Arbor spontanea est ex recentibus Baccis maturis aqua coctis exprimitur et in alias Regiones saepissime adulteratum transfertur. Est consistentiae granulatae butyraceae, coloris viridis nonnihil flavescentis, odoris fragrantis Laurini, saporis amari. FOLIA sunt lanceolata, integerrima, venosa, solida, supra saturate viridia, infra pallidiora, saporis amari aromatici et subadstringentis, odoris, dum fricantur, fragrantis. Pauxillum Olei aetherei destillatione praebent; et Spiritu vini Extractum modice calidum et pungens.

VIRES. Calefacientes, resolventes.

USUS. *Folia* ad Species resolventes, in Lupia. *Baccae externe* in Unguento ad scabiem. OLEUM LAURINUM *externe* in tumoribus frigidis resolvit, in surditate auri illinitur. In colica flatulenta drachmae duae in Enemate.

PRAEPARATUM.

OLEUM BACCARUM LAURI.) *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. FRUCTUS, sive BACCAE MORI.

N. germ. *Maulbeeren schwarze.*

N. syst. L. (Morus nigra.)

Icon. Vide BLACKWEL Herb. Tab. 126. ZORN Pl. med. Tab. 173.

Partes usuales. *Fructus recentes maturi.*

Morus nigra; foliis cordatis scabris LINN. *Sp. pl. p.* 1398.

Est Arbor originis orientalis et apud nos colitur. FRUCTUS sunt ovato-oblongi, ex copia baccularum vel acinorum quadrilobatorum, receptaculo communi affixorum seminaque triangulari - ovata includentium aggregati, ex rubro nigricantes, Succo nigroviolacei divites, saporis acidodulcis.

VIRES. Refrigerantes, antiputredinosae, subadstringentes.

USUS. *Baccae* crudae maturae in febribus biliosis, putridis et dysenteriis tanquam refrigerans et antiputredinosum comeduntur. ROOB MORORUM in angina biliosa et inflammatoria, ad aphthas oris et aridam linguam in febribus mitigandam, praecipue in ultimo casu si aquot guttae Spiritus Vitrioli adduntur, in gargarismate aut per se linguae illinitur.

PRAEPARATUM.

ROOB MORORUM.) *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ FRUCTUS, seu BACCAE MYRTILLORUM.

N. germ. *Heidelbeere, Blaubeere, Bickbeere, schwarze Beere.*

N. syst. L. (Vaccinium Myrtillus.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 463. ZORN Pl. med. Tab. 81.

Partes usuales. *Baccae; recentes et siccae.*

Vaccinium Myrtillus; pedunculis unifloris, foliis serratis ovatis deciduis, caule angulato LINN. *Sp. pl. p.* 498.

Est Fruticulus in sylvis et ericetis frequens. FRUCTUS recentes maturi sunt globosi saturatissime coerulei, umbilico duplici concentrico notati, quadriloculares, multis seminibus minimis, Succoque purpureo repleti; saporis acido-dulcis simulque subausteri. Adstringere hasce Baccas praeter saporem Experimentum cum Succo declarat, qui sub miscela Vitrioli martis nigrescit. *Siccati* vero plus adstringunt et in pulvere vel decocto utuntur.

VIRES. Refrigerantes, leniter adstringentes.

USUS. In febribus putridis, diarrhoeis biliosis.

DOSIS. ROOB MYRTILLORUM ab uncia semis ad duas cum coindicatis exhibetur.

PRAEPARATUM.

ROOB MYRTILLORUM.) *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ FRUCTUS PRUNORUM DAMASCENORUM.

N. germ. *Zwetschen, Pflaumen.*

N. syst. L. (Prunus domestica.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 305. ZORN Pl. med. Tab. 493.

Partes usuales. *Fructus recentes et siccati.*

Prunus domestica; pedunculis subsolitariis, foliis lanceolato-ovatis convolutis, ramis muticis LINN. *Sp. pl. p.* 680.

Est Arbor apud nos praecipue in hortis culta. Haec Arbor plurimas varietates producit. PRUNA DAMASCENA fructu magno dilute violaceo du HAMEL (*des Arbres fruitiers T. II. p. 98. Tab.* 15.) ex inferiori Gallia siccata transferri solent, et haec proprie ita appellantur. Verum pro usu medico iis facile carere possumus prostantibus *Prunis vulgaribus*, quae proprie PRUNA GALLICA dicuntur, ubivis in hortis reperiunda, quae sola in officinis prostant et solummodo per excellentiam, dum fructus praestantiores designare volu-

lumus, PRUNA DAMASCENA dicuntur. Pruna enim, quae in Damasco proveniunt, tanquam optima jam antiquitus habita sunt.

FRUCTUS PRUNORUM VULGARIUM praestantiorum seu DAMASCENORUM officinis dictorum recentes sunt Drupa oblonga, glabra, sulco ad latus instructa, profunde violacea, glauco vel coeruleo rore obsessa, carne succosa flavescente, et nuce compressa scabra bivalvi, instructa, intra quam nucleus figurae Amygdalae arillo bruno vestitus; saporis sunt acidodulcis. Rejiciantur Fructus siccati minus succosi, adusti. Recentes non diu contra corruptionem servari possunt et potius a sanis crudi eduntur, unde siccantur in furno, nuce vel relicta vel exemta. Haec Pruna, quum sint ab Arbore indigena et culta, semper sincera et optimae notae levi pretio apud nos haberi possunt, ubi contra Tamarindi in India, Aegypto et Arabia indigeni et semper Cupro admixto contaminati potius nocent, quam prosunt; hinc Pruna, praecipue, si his pauxillum Salis essentialis Tartari additur, illos superfluos reddunt. Pulpa Tamarindorum enim juxta cel. REMLER acidum Tartari continet. (vide *chemisch. Untersuch. der Tamarinden - Säure. Erfurt.* 1787. 4.).

VIRES. Antiputredinosae, eccoproticae, solventes, refrigerantes.

USUS. PULPA PRUNORUM SICCATORUM in morbis biliosis forma Electuarii ad uncias tres datur cum drachmis tribus Cremoris Tartari, et supplet Pulpam Tamarindorum pro pauperibus, si pulveris foliorum Sennae scrupulus unus additur, aut addendo Sal essentiale Tartari. Vel Prunorum enucleatorum unciae tres cum libra una aquae decoquantur. PULPA PRUNORUM RECENTIUM in febribus tanquam refrigerans exhibetur ab uncia semis ad unam cum coindicatis.

PRAEPARATA.

PULPA PRUNORUM RECENTIUM.
PULPA PRUNORUM SICCATORUM. } *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ FRUCTUS, seu GLANDES QUERCUUM.

N. germ. *Eicheln.*

N. syst. L. (Quercus robur.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 487. ZORN Pl. med. Tab. 518.

Partes usuales. *Cortex, Folia, et Fructus seu Glandes; sicca.*

Quercus robur; foliis deciduis oblongis superne latioribus, sinubus acutioribus, angulis obtusis LINN. *Sp. pl. p.* 1414. sunt duae varietates *a.* cum longo pediculo; *b.* cum brevi pediculo.

Est Arbor Europaea apud nos vulgatissima, sed septentrionale frigus fugit, nec in altiores montes ascendit. Ex maxime longaevis; et tam forma et altitudine, quam usu suo multiplici eximia, omnibus suis partibus styptica. CORTEX ramorum juniorum est glaber, sparsim Lichene albo ob-

 ses-

sessus, extus coloris cinerei, intus dum deglubitur albi, accedente autem aere vel humido rubescentis vel rufescentis, saporis amari, valde constringentis. Ramorum adultorum Cortex et trunci dehiscens et sulcatus est, fere ubique Lichene obductus albo et coloris brunei. FOLIA sunt oblonga, superne latiora, sinuosa, sinubus acutioribus, angulis obtusis, petiolata, glabra, laete viridia, saporis austeri, constringentis. Haec vere decerpenda sunt, simulac progerminant.

FRUCTUS seu GLANDES sunt nuces oblongo-ovatae, glabrae, in basi vero obtusae, scabrae, cortice coriaceo ex flavo laete fusco, nucleum arillo rufescente tectum, ovatum, intus coloris albi, saporis valde amari et austeri includente; annexo calyculo caudato aspero, a quo fructus liberati serventur. GLANDES nullum Oleum expressum largiuntur et fermentatione nullum Spiritum inflammabilem. TOSTAE adstringens principium adhuc continent; decoctum enim harum admista solutione Vitrioli martis nigrum colorem acquirit. Torrendo quoque vires calefacientes obtinent, hinc quomodo GLANDES TOSTAE in obstructione viscerum ratione proprietatum enarratarum vires resolventes exercere possint, vix perspici potest; habetur efficaciora et securiora.

VIRES. Omnes partes *Quercus* vires adstringentes possident.

USUS. *Interne Cortex* in intermittentibus, in rachiticis et simul atrophicis; *externe* forma fomenti in vulneribus et contusionibus; ad gargarismata adstringentia in angina, et ad fomenta in herniis, etiam in ulceribus oedematosis et gangraenosis adhibetur. *Folia* ad fomenta; GLANDES TOSTAE in obstructionibus mesenterii, in arthritide et podagra laudantur.

DOSIS. *Cortex* in intermittentibus a granis viginti ad triginta. In decocto drachmae duae aut uncia semis. Miscetur cum variis, uti Serpentaria; cum Alumine ad gargarismata. Sacculus cum pulvere Corticis Quercini aliquantum impletus et in Vino rubro calido aliquantum maceratus loco hernioso imponitur ac Brachierio firmatur. Omni die semel haec applicatio renovatur. Sic infans intra quatuordecim dies, et adultus intra Mensem ab hernia radicaliter curari dicitur.

PRAEPARATUM.

GLANDES QUERCINAE TOSTAE.) *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. FRUCTUS RIBESIORUM NIGRORUM.

N. germ. *Schwarze Johannisbeere, Gichtbeere, Ahlbeere.*

N. syst. L. (Ribes nigrum.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 285. ZORN Pl. med. Tab. 305.

Partes usuales. *Baccae; recentes.*

Ribes nigrum; inerme, racemis pilosis, floribus oblongis LINN. *Sp. pl. p.* 291.

Est

Est Frutex in vallibus et ad rivulos spontaneus et in hortis colitur, omnibus partibus spirat odorem lotii felini, vel odorem fere cimicum. BACCAE sunt globosae, umbilicatae, nitidae, nigrae, pisum aequantes, cum carne gelatinosa sicciore, Succo obscure sanguineo, rubro, odoris ingrati, mucidi, narcotici, cimicum similis, saporis subdulcis ingrati. Expressione elicitur Succus rubro violaceus, qui colatus in gelatinam tenuiorem sponte spissescit. Quibusdam crudae in deliciis sunt, alii easdem repudiant. Quosdam infusum foliorum non absimile Theae Chinensi hujus loco delectat.

VIRES. Eaedem, ut *Ribesiorum rubrorum*, nisi quod minorem copiam acidi contineant. *Rami* et *Folia* purificantes et diureticae, hinc in decocto in hydrope et tumoribus aquosis *interne*, et in angina pituitosa adhibentur. ROOB RIBESIORUM NIGRORUM *interne* in febribus ab uncia semis ad duas exhibetur.

PRAEPARATUM.

ROOB RIBESIORUM NIGRORUM.) *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ FRUCTUS RIBESIORUM RUBRORUM.

N. germ. *Rothe Johannisbeere, Ribissel.*

N. syst. L. (Ribes rubrum.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 285. ZORN Pl. med. Tab. 78.

Partes usuales. *Baccae; recentes.*

Ribes rubrum; inerme, racemis glabris pedunculis, floribus planiusculis LINN. *Sp. pl. p.* 290.

Est Frutex in sepibus, sylvis, dumetis spontanea, plerumque vero in hortis culta. BACCAE magnitudinis fere pisi, globosae, umbilicatae, pellucidae, lineatae, carnis succosae, grate rubrae, uniloculares, cum seminibus multis subrotundis nonnihil compressis, coloris laete rubicundi, saporis grate acido-dulcis. Ne confundantur Baccae Ribium rubrorum cum Baccis *Ribium alpinorum* LINN., quae minores et saporis dulcis, vappidi, subnauseosi. Succus Ribesiorum rubrorum maturorum acido-dulcis est, submucilaginosus, grate ruber, statione in loco subcalido in gelatinam sponte coit.

VIRES. Refrigerantes, antiputredinosae.

USUS. In febribus acutis putridis et inflammatoriis crudi Fructus aut cocti; ROOB RIBESIORUM cum remediis antiphlogisticis ab uncia una ad duas, SYRUPUS eodem modo adhibetur.

PRAEPARATA.

ROOB RIBESIORUM RUBRORUM.
SYRUPUS RIBESIORUM RUBRORUM. } *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ FRUCTUS, seu BACCAE RUBI IDAEI.

N. germ. *Himbeeren, Hindebeeren, Hohlbeeren.*

N. syst. L. (Rubus idaeus.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 289. ZORN Pl. med. Tab. 472.

Partes usuales. *Baccae recentes.*

Rubus idaeus; foliis quinato - pinnatis ternatisque, caule aculeato, petiolis canaliculatis LINN. *Sp. pl. p.* 706.

Est Frutex in dumetis et sylvis caeduis frequens. Sermo hic unice est de varietate fructu rubro. FRUCTUS sunt Baccae sursum convexae deorsum cavae, ex multis acinis subrotundis inter se junctis aggregatae, succosae cum seminibus minimis oblongis; rubelli coloris, saporis peculiaris dulcis cum aciditate, odoris grate fragrantis. Succus quem vehunt, jucunde ruber est. Molestae sunt Rubi Idaei Baccae vermiculis, qui cavum earum occupare solent.

VIRES. Refrigerantes, antiputredinosae.

USUS. Ob Semina et vermes contentos crudi Fructus aegris non propinantur. ROOB RUBI IDAEI Decoctis et Mixturis antiphlogisticis ab uncia una ad duas additur, ita et SYRUPUS RUBI IDAEI SIMPLEX. SYRUPUS RUBI IDAEI CUM ACETO potius in morbis biliosis et putridis convenit. ACETUM RUBI IDAEI tanquam remedium antiputredinosum in febribus putridis Decoctis addditur. AQUA RUBI IDAEI est Aqua odoris et saporis grati, quae praeter Aquam Naphae et Rosarum odorem et saporem diutissime servat, ad Mixturas et Decocta utitur.

PRAEPARATA.

AQUA DESTILLATA RUBI IDAEI.
ACETUM RUBI IDAEI.
ROOB RUBI IDAEI.
SYRUPUS RUBI IDAEI SIMPLEX.
SYRUPUS RUBI IDAEI CUM ACETO.
} *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ BACCAE SAMBUCI.

N. germ. *Holunderbeere, Fliederbeere, Holderbeere, Quebeken.*

N. syst. L. (Sambucus nigra.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 151. ZORN Pl. med. Tab. 334.

Partes usuales. *Flores; recentes et sicci; et Baccae recentes.*

Sambucus nigra; cymis quinquepartitis, foliis pinnatis, caule arboreo MURR. in LINN. *Syst. veg. ed.* 14. *p.* 295.

Est

Est Arbor humilior in sepibus, locis ruderatis, et ad pagos crebra. FLORES sunt cymae quinque partitae, corollis monopetalis, rotatis, quinquefidis, albis, pedunculis et pedicellis ex viridi albis, odoris peculiaris balsamici, subnarcotici, saporis mucilaginosi, amaricantis. BACCAE sunt subrotundae umbilico cum stellato, uniloculares, cum tribus oblongis in uno latere convexis, in altero subangulatis seminibus, et Succo multo ex nigro rubro, saporis acido-dulcis, vix grati. FLORES recentes spirant odorem fortem non omnino ingratum, qui per destillationem aqua recipitur. Si eorum major quantitas sumitur, exigua pars Olei aetherei butyracei sub eadem encheiresi transit (LEWIS *M. m. p.* 515.). BACCAE linum fusco colore tingunt. Vino odorem moschatellinum impertiunt. Et vel solae cum Saccharo vel in connubio Aromatum fermentatione Vinum quoddam, isti *Frontiniac* non absimile, locis Vite carentibus suppedidant.

VIRES. *Baccarum* leniter stimulantes, diureticae, cum regimine calido diaphoreticae, solventes. *Florum* stimulantes, sudoriferae.

USUS. *Florum* in paroxysmis hystericis, rheumatismis, perspiratione suppressa, arthritide, exanthematibus retropulsis. *Externe* in Erysipelae, in inflammationibus a vulnere aut luxatione, in angina forma gargarismatis, in oedemate in sacculis discutientibus cum coindicatis.

DOSIS. ROOB SAMBUCI ab uncia semis ad duas, SYRUPUS' eodem modo variis Mixturis et Decoctis additur. AQUA DESTILLATA pariter Mixturis antiphlogisticis et antispasmodicis additur.

PRAEPARATA.

AQUA DESTILLATA FLORUM SAMBUCI.
ACETUM FLORUM SAMBUCI.
ROOB SAMBUCI.
SYRUPUS SAMBUCI.
} *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ BACCAE SPINAE CERVINAE, seu RHAMNI CATHARTICI.

N. germ. *Kreuzbeere*, *Wegedornbeere*, *Hundsbeere*, *Färbebeere*, *Amselbeere.*

N. syst. L. (Rhamnus catharticus.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 135. ZORN Pl. med. Tab. 203.

Partes usuales. *Baccae recentes.*

Rhamnus catharticus; spinis terminalibus, floribus quadrifidis dioicis, foliis ovatis, caule erecto LINN. *Syst. veg. p.* 194.

Est Frutex altior, in montanis, dumetis et sepibus frequens. BACCAE sunt rotundae, magnitudine pisi minoris, nitentes, puncto elevato in apice notatae, nigrae, cum Pulpa succosa profunde viridi, seminibus quatuor

cras-

crassis, ovatis, glabris, in uno latere subtrigonis; sapor amaricans, subacris, nauseosus, odor nonnihil ingratus. Caveas ne cum Baccis *Rhamni frangulae* LINN. commutentur vel adulterentur, quae seminibus duobus rotundis, planis distinguendae. Vi alvum purgandi jam dudum claruerunt; id quod Fruticis nomen jam significat. Usui pictorio quoque inserviunt Baccae, pro colore viridi usitatissimo germ. *Saftgrün* dicto.

VIRES. Purgantes, solventes, incidentes, diureticae.

USUS. In morbis pituitosis, hydrope, lethargo.

DOSIS. ROOB aut SYRUPUS ab uncia semis ad duas exhibetur.

PRAEPARATA.

ROOB SPINAE CERVINAE.
SYRUPUS DE SPINA CERVINA, SEU DOMESTICUS. } *vide praeparata P. II.*

N ph. l. V. ⊙ FRUCTUS TAMARINDORUM.

N. germ. Tamarinden, Sauerdatteln, ungereinigtes Tamarindenmark.

N. syst. L. (Tamarindus Indica.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab 201 et 221. ZORN Pl. med. Tab. 291. JACQUIN Hist. pl. america. p. 10. Tab. 10 et Tab. 179. fig. 98. ubi icon fructus.

Partes usuales. *Fructuum Pulpa.*

Tamarindus Indica; LINN *Sp. pl. p.* 48.

Est Arbor in India orientali, Arabia, Aegypto et America calidiori habitans. FRUCTUS sunt in Pultem tusi, exuti corticibus leguminosis sive tegminibus externis, seminibus vero et filis validis, quae semina in situ retinuerunt, adhuc praediti; Substantia Pulposa, mucilaginosa, tenax, filis solidis ac seminibus angulato-subrotundis, compressis, duris, nitidis, spadiceis permixta, odoris vinosi, saporis grate acidi vinosi, coloris e fusco nigricantis. *Tamarindi Indici*, *Americanis* multo praestantiores, eligendi; *Americanorum* seu *Occidentalium* Pulpa cruda, mollitudine majori et dulcedine, ob additum ad praecavendam vapescentiam Saccharum, sapore longe mitiori ac minus acido, mucilagine minus sequaci ac seminibus paucioribus distinguenda. *Tamarindi* enim *Indici* seu *Orientales* longe sicciores sunt, non autem mucilaginosi, coloris sunt nigrescentis, saporis grate acidi, vinosi, quia sine addito Saccharo in alias Regiones transmittuntur. Rejiciatur Pulpa cruda quae in cellis locisve humidis diu recondita fuit, ex superficie externa nimis uda, et ex seminibus mollioribus, tumefactis ac nitore destitutis cognoscenda. Adulterationem cum Syrupo communi et Aceto prodit sapor magis dulcis et nonnihil empyreumaticus. Indi Arabesque Pulpam Tamarindorum cum Aqua vel Aceto in vasis cupreis conficere dicitur, exinde timor justus, ne Pulpa ad nos allata particulis cupreis sit inquinata ac vi-

vitiata; omnis igitur Pulpa ad usum medicum servanda, prius examinanda an Viridi aeris depravata; solvat ergo Pharmacopola in aqua bullienti quantitatem Pulpae, et solutioni immittat Ferrum politum, quod post aliquot dies Cuprum per rubiginem manifestabit; Pulpa cuprata tunc rejicienda, omnis vero acuratissime modo P. II. dicendo, depuranda.

Infusum Pulpae Tamarindorum habet colorem fusescentem, saporem acidum, odorem proprium Tamarindorum. Tinctura spirituosa est parumper fusci coloris, sine odore, nisi ipsius Spiritus et saporis acidi, tamen magis spirituosi. Acor Pulpae dependet a Sale essentiali fructus. Hoc coctione Pulpae cum aqua, colatione et evaporatione, quoad partem copiose elicitur forma squamarum, initio impurum et subbrunum, repetita autem solutione et crystallisatione album, sed simul acoris expers. Similes crystalli ramis Arboris interdum adhaerescere observantur, et convenire quam maxime cum Tartaro; nam acor idem, similis difficultas solutionis in aqua, eadem cum Reagentibus ratio. Hinc acido Tartari in omnibus simile Experimenta suadent cel. REMLER uti supra de FRUCTU PRUNORUM DAMASCENORUM dictum fuit.

VIRES. Refrigerantes, eccoproticae, antibiliosae.

USUS. In morbis a saburra biliosa intestinali, in febribus putridis, biliosis, diarrhoea et dysenteria sanguinea et biliosa, in Erysipelate, in nimio fluxu haemorrhoidum a causa biliosa.

DOSIS. PULPA TAMARINDORUM DEPURATA ab uncia semis ad unam aut duas; in Seri lactis libra una, uncia semis, ad unam Pulpae. Miscetur cum Manna, Sale mirabili, Tinctura Rhei, Sale Ammoniaco, Saccharo, Sero lactis.

PRAEPARATUM.

PULPA TAMARINDORUM DEPURATA.) *vide praeparata P. II.*

V. SILIQUAE VANILLAE.

N. ph. l. — V. SILIQUAE VANILLAE.

N. germ. — *Schoten der Vanillenwinde.*

N. syst. L. — (Epidendrum Vanilla.)

Icon. Vide ZORN Pl. med. Tab. 288. Banille MERIAN. Surin. 25. Tab. 25. sed absque flore. Conf. l'Epidendrum Vanille in AUBLET Hist. des plantes de la Guiane Françoise, Vol. II. App. p. 78. sqq. REGNAULT Botan. La Vanille.

Partes usuales. *Fructus, seu Siliquae Vanillae siccae.*

Epidendrum Vanilla; scandens, foliis ovato-oblongis nervosis sessilibus caulinis, cirrhis spiralibus LINN. *Sp. pl. p.* 1347.

Est Planta fruticosa, scandens, parasitica, Arboribus in America australi et Insulis Indiae occidentalis adhaerens, locis montosis et umbrosis in

in Jamaica (BROWNE'S *nat. hist. of Jam. p.* 326.) sponte crescens, vel ad littora sylvatica maris, ubi exundationes saepe fiunt, in Guiana gallica (AUBLET). Ob lucrum ex Siliquis autem copiose colitur. FRUCTUS est Siliqua, quae, prout in officinis deprehenditur recta, compressa, fusco-bruna, dodrantalis, sesquilineam circiter lata, utroque extremo angustior, obtusa et nonnihil incurvata praecipue versus basin, fragilis, longitudinales rugas extrinsecus agit et superficiem pinguem habet, aliquando Crystallulis exiguis salinis scintillans, et inter parenchyma subcoriaceum continet copiam innumerosam *Seminum* minutissimorum rotundorum nigrorum splendentium. Odor ejus fragrans, referens illum Balsami Peruviani et diu digitis, quibus contrectata fuit Siliqua, inhaerens. Sapor unctuosus, subacidus, blande aromaticus. Semina commansa inter dentes stridorem edunt.

Eligenda Vanilla, quae parumper mollis, coloris nitentis, fragilis, cujus Siliquae longae et angustae, ponderosae, coloris ex rubro fusci, quarum Pulpa oleosa, fusescens, nigris seminibus splendentibus referta et odoris grati fragrantis. Transferuntur ad nos in fasciculos colligatae et lamina plumbea tenui obvolutae cistisque ligneis inditae. Talis fasciculus, uti ad nos transferuntur, continet quinquaginta Siliquas; sic genuinae Vanillae ex Mexico et Regno Peruano per Portum gaditanum allatae talis fasciculus debet habere pondus quinque unciarum. Videndum ne Siliquae Pulpa sua sint orbatae et forte aliena materia repletae, iterum conglutinatae, et inter bonas Siliquas mixtae sint. Vel Siliquae vetustae inodorae miscella Olei Amygdalarum, Storacis et Balsami Peruviani illitae admistae sint. Etiam Siliquae siccae Oleo illiniuntur ad conciliandam similitudinem cum recentibus, sed tum acquirunt superficiem nimis splendentem, quod ex usu noscitur et si tales Siliquae vitro inclusae servantur, intra aliquot dies odorem rancidum aquirunt, unde fraus detegitur. Infusum genuinae Vanillae aquosum habet colorem ex flavo - fuscum, odorem gratum et saporem aromaticum. Tinctura spirituosa etiam odorem aromaticum habet, tamen odor Spiritus vini praevalet, saporem aromaticum, tamen debiliorem, quam ipsa Vanilla, et colorem flavum. Aether colorem flavum extrahit. Destillatione Siliquarum cum aqua obtinetur Aqua destillata odoris fragrantis, Spiritu vini autem nihil abstrahitur, nisi addito prius Sale alcalino ad ipsas Siliquas concisas.

VIRES. Stimulantes, calefacientes, excitantes, nervinae, aphrodisiacae.

USUS. In Systemate nervoso refocillando; venerem efficaciter stimulant. In Succolata frequentissime gratiae causa additur, verum hic stimulans cum nutriente efficaci jungitur, unde facile venereos stimulos in largiori usu concitari poterit. Etiam AQUA DESTILLATA VANILLAE et SPIRITUS VANILLAE per se aut lacti mixta, aut aliis per se ad gratiam et vi stimulante et nervina adduntur.

PRAEPARATA.

AQUA DESTILLATA VANILLAE SIMPLEX. } *vide praeparata P. II.*
SPIRITUS VANILLAE. }

N.

N. ph. l. V. BACCAE VITIS IDAEAE.

N. germ. *Rothe Heidelbeere, Mehlbeere, Preusselbeere, Kronsbeere, Helperlebeere, rothe Besinge, Bernizbeere.*

N. syst. L. (Vaccinium Vitis idaea.)

Icon. Vide ZORN Pl. med. Tab. 87. *Flor. Danic.* Tab. 40.

Partes usuales. *Baccae recentes; et Folia sicca.*

Vaccinium Vitis idaea; racemis terminalibus nutantibus, foliis obovatis revolutis integerrimis subtus punctatis LINN. *Sp. pl. p.* 500.

Est Fruticulus sempervirens in sylvis sterilioribus habitans. Intelligitur varietas Baccis rubris. BACCAE sunt globosae, glabrae, umbilico quadrifido, quadriloculares, extus coloris laete rubri, intus albi, saporis subacidi et subausteri. Roob grate acidum jucundum et in febribus quoque proficuum solito modo ex iis paratur. In hunc scopum laudatur quoque Infusum Baccarum inter *praeparata officinalia* inveniendum. FOLIA supra descripta loco Foliorum *Uvae Ursi* eodem modo usurpantur.

VIRES. Refrigerantes, antiputredinosae.

USUS. In omnibus febribus inflammatoriis, biliosis et putridis INFUSUM BACCARUM VITIS IDAEAE aut ROOB convenit.

DOSIS. ROOB ab uncia semis ad duas cum Decocti libra una; INFUSUM BACCARUM jam in officinis paratum, obvium, et Sacchαro edulcoratum, pro potu ad sitim fallendam febrientium et vires refocillandas egregie convenit. *Folia Vitis Idaeae* eadem forma et eodem scopo, ut *Uvae Ursi Folia* adhiberi possunt.

PRAEPARATA.

INFUSUM BACCARUM VITIS IDAEAE.
ROOB BACCARUM VITIS IDAEAE. } *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ UVAE.

N. germ. *Weinbeere.*

N. syst. L. (Vitis vinifera.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 154. ZORN Pl. med. Tab. 276.

Partes usuales. *Fructus, seu Uvae recentes et harum Producta et Educta.*

Vitis vinifera; foliis lobatis sinuatis nudis LINN. *Sp. pl. p.* 293.

Est Frutex sarmentosus, perennis, cirrhis suis fulcris vicinis adhaerens. Sponte crescit in Regionibus australibus quatuor mundi plagarum. Colitur autem in aliis sub mitiori coelo sitis, sed non ultra quinquagesi-

mum primum gradum septentrionem versus, et tricesimum versus Aequatorem.

Cultura magna varietas Fructuum sive Uvarum propullulat. Bonitatem determinat coelum, solum, colendique ratio. Succus est vel dulcis vel acido-dulcis, vel acidus, aut Moschati saporis. Uvae maturae crudae a sanis potissimum eduntur, in usum medicum vero harum Producta et Educta adhibentur. MUSTUM, *Most*, est Succus ex Uvis maturis expressus saporis dulcis vel acido dulcis pro diversitate Uvarum. Cel. SPILLER Medicus Vindobonensis in *Diss. de Succo Uvarum* §. *VII.* optimam methodum docuit, qua Mustum dulce, a fermentatione praeservari et salubre reddi, atque ad usum medicum et oeconomicum aptius disponi possit. Accepit Mustum purius ex torculari depluens, illud lege artis in vasis fictilibus vitreatis (continuo despumando) ad quartam vel ad dimidiam sui remanentem partem coquendo inspissavit, et BOTRYOMELLIS seu MUSTI COCTI nomine insignire placuit. Tum etiam non raro id ipsum BOTRYOMEL adjecto Oleo Tartari per deliquium et corrigi potest et debet: neque tamen vel minime ideo alicui nocebit. Mustum ita praeparatum seu BOTRYOMEL aliis commixtum, liberoque aeri diutissime expositum non fermentat, id minus in vasis clausis conservatum. Sic saepe per triennium sine fermentatione asservari potest. Aqua dilutum BOTRYOMEL immutatum perstat; vino additum praeter gratum acorem, jucundam adhuc dulcedinem conciliat, neque propterea in motum cietur fermentativum. Spiritus vini BOTRYOMELLE edulcoratus, servari potest, quin mutetur. Cum Aceto, Succo Limoniorum etc. aliquod tertium sine fermentationis subsequentis indiciis constituit. BOTRYOMEL saporem dulcem et longe gratiorem quam Mel Apum habet ac eximia virtute saponacea praeditum; est enim Sapo vegetabilis acescens, qui aequabiliter cum Aqua et ipso Spiritu ardente misceri potest, oleosa quoque et resinosa corpora aquosis miscibilia reddit. Haec proprietas saponacea quidem Succis aliis fructuum horraeorum communis, nisi proportione principiorum constituentium differant. Itaque fructus dulces parte oleosa abundare; in acidis excedere Salem, dilui omnia aquositate in fatuis, et denique maxima ex parte a Terra constitui austeros non sine fundamento credibile est. Quid ergo BOTRYOMEL in variis morbis efficiat, patet ex dulcedine saccharina et vi saponacea; nempe spissum solvere, attenuare, incidere; acrimoniam oleosam, putridam, invertere, demulcere, corrigere, omnesque his causis dependentes morbos tam acutos, quam chronicos emendare et curare valet. Praeterea BOTRYOMEL in Pharmaciis ruralibus et Nosocomiorum loco Sacchari pretiosi tanquam res indigena pretiique longe vilioris, tamen efficax et multo gratior Melle Apum ad varia Praeparata et Formulas ex tempore praescriptas multo lucro adhiberi et Saccharo substitui potest.

VINACEA, *Weintreber*, *Weintrester*, sunt Pelliculae Uvarum una cum acinis, quae post pressionem Uvarum ab expresso Musto tempore vindemiarum remanent, quibus tamen Musti haud exiguum insidet, hinc et, si aqua affusa fermentationi submittuntur, Vinum debile exinde exsurgit, operarium dictum. Haec *Vinacea* odorem habent vinosum, et saporem adstringentem, dum adhuc servant calorem ex previa fermentatione aere fixo, quem continent, vires resolventes, roborantes, antisepticas possident.

Do-

Dolendum, quod efficax hoc remedium solo vindemiarum tempore haberi possit. VINUM est Succus Uvarum seu Mustum fermentationem spirituosam passus. Largiuntur illud, praeter Uvas, Poma, unde Pomaceum seu Cidre, Mel, unde Hydromel, Dactyli et omnes fructus acido - dulces, unde tot Vina in oeconomia familiaria. A liquido autem, quod, ut in Vinum transeat, postulatur, ut Sal acidum in largiori Aqua suspensum, uti et Oleum mucilaginem terramque debite inter se juncta, complectatur. Partes hae vel sponte vel addito fermento in motum vertuntur, unde aer fixus extricatur, qui saepe intra dolia accurate obturata retentus, eadem displodit. Fermentatione bene succedente de ipso Oleo aliquid cum Aqua ope acidi et mucilaginis tam arcte copulatur, ut novum mixtum spirituosae naturae emergat. Attamen pars ejusdem a partibus oleosis et mucilaginosis retinetur, quibus terrestres majori copia adhaerent, et quae *Fecum* forma partim vasis fundum partim superficiem petunt. Generatim odor et sapor Vinorum est specificus, gratus, spirituosus, *vinosus* vocatur. Principia constitutiva Vini sunt acidum Sacchari, acidum Tartari, verus Tartarus, Spiritus vini, et partes mucilaginosae.

Ingens habetur copia Vinorum varii generis. Differunt autem Vina *aetate*, *colore*, *sapore*, *spirituositate*, *regione*, *solo*, *situ*, *anno*, *vitio*. Respectu aetatis dantur Vina *recentia*, quae unius anni sunt, haec mucosa, turbida, acida, minus spirituosa. *Antiqua*, quae multorum annorum sunt. Haec clara, minus acida, magis spirituosa, demum mere oleosa. Ratione coloris sunt *alba* et *rubra*, haec autem magis roborant et adstringunt. Respectu spirituositatis discernuntur in *generosa*, quae multum Alcoholis et *debilia*, quae minus Alcoholis plus Aquae continent. Respectu Soli habentur *Vina montana*, *planitialia*, *insulana*. Respectu Regionis dicuntur Vina Germanica, Italica, Hispanica, Gallica, Hungarica, Bohemica etc. Respectu Anni Vina *boni*, *mali*, *mediocris* anni, sic Vinum Tockayense non omni anno dulcescit, si enim Autumnus pluviosus, tum acidum, si siccus dum dulce evadit. Nam humiditate Uvae non siccantur, hinc Mustum nimis dilutum in fermentationem illico ruit vinosam. Respectu vitii, quod Vinum habere potest, datur Vinum *nimis novellum*, *nimis acerbum*, *nimis sulphuratum*. Vina sulphurata varia mala generant; noscitur instillatione Solutionis Argenti nitrosae, qua Vinum brunum vel nigrum evadit, ovum vel lamella Argentea Vino imposita nigrescunt. *Vinum Mangonizatum Lithargyro*. Vina acida Lithargyro vel aliis Praeparatis Plumbi dulcificata varia mala generant. Noscitur tale Vinum plumbatum instillatione LIQUORIS PROBATORII HAHNEMANNI seu AQUAE HEPATICAE ACIDULATAE, compositionem (vide *inter praeparata P. II.*). Si hujus Liquoris pars una cum tribus partibus Vini nullo metallo adulterati miscetur, omnia clara et transparentia manent; si Vino Ferrum inest, nullo modo inde turbatur; Plumbum vero contentum forma floccorum ex fusco - nigrorum ex Vino praecipitat, etiamsi in libris quatuor Vini solummodo granum unum Plumbi solutum fuerit. Si hoc modo Vinum Plumbo adulteratum inventum fuerit, etiam instillatione Essentiae Gallarum forte simul contentum Ferrum detegitur et si in 24000 granis Vini solummodo granum unum Ferri contentum fuerit, Liquor ab instillata hac Essentia intra horam fere nigrescit, ab atramento sic nato.

 Vi-

Vina praeterea saepe Spiritu vini communi aut Spiritu vini gallici adulterantur. Vix credibile esset, ut detegi possit haec adulteratio, cum Vinum natura sua jam Spiritum hunc contineat. Verum facile cum majori quantitate Vini detegitur. Vasa destillatoria Vino suspecto ad duas tertias implentur, ponantur in Balneum Mariae cujus gradus caloris sit semper a ducentis, usque ad ducentos quinque gradus Thermometri Fahrenheitiani. Spiritus vini Vino admixtus transibit in Excipulum et ponderari potest, ubi Spiritus vini in Vino natura sua contentus remanebit in vase destillatorio; est enim lex naturae, quod Spiritus in Vino natura sua contentus destillatione non ascendat nisi gradu caloris Aquae ebullientis nempe ducentesimo duodecimo Thermometri Fahrenheitiani. *Fucatum* etiam habetur Vinum. Oenopolae enim male callida arte saepissime Vina nativa quoad colorem, consistentiam, saporem et gratiam arte imitari solent, quorsum pertinent Saccharum ustum, Passulae majores, Santalum rubrum, Succus myrtillorum etc. Hae res crumenae magis quam sanitati dolum inferunt, nociva vero est admistio Baccarum Phytholaccae; utplurimum etiam Vina haec facile corrumpuntur.

Vina habentur quoque *acida*, *austeriuscula*, *acidula*, *acidulo - subdulcescentia*, *et dulcia.*

Vina acida noscuntur sapore acido; multo praeterea Tartaro sunt impraegnata. Talia sunt Vinum Cassoviense; Vina Bohemica, Saxonica, Silesiaca, Lusatica, Helvetica et Marchica.

Vina austeriuscula noscuntur sapore plus minus adstringente et colore rubro, multum continent Tartari terrei. Talia sunt Vinum Hungaricum rubrum, ut Agriense, Budense, Neostadiense et Sicksardiense. Haec Vina fragrantia, adstringentia, acidula, gratissima sunt. Praeterea Vinum Gallicum rubrum ordinarium, Vinum Burgundicum, Vinum Eremiticum, Vinum Burdigalense, Vinum Pontac et Vinum Gravianum.

Vina acidula noscuntur grato sapore acidulo; subtili acido praedominante instructa sunt, quare alcali saturant et aquae miscellam facile ineunt. Talia sunt Vinum Rhenanum, cujus species primariae sunt Hochheimense, Kostheimense, Bacheracense, Rheingauense. Vinum Moselanum, Vinum Neccarinum in ducatu Palatino et Würtembergico. Vinum Stradae Montanae in ducatu Palatino, cujus optimae species sunt Vinum Auerbacense et Bensheimense. Vinum Austriacum colitur in Austria, cujus optimae species sunt Neoburgense, Wisenburgense, Nusbergense, Brunnense, Mödlingense, Baumense, Pumperskirchense, Maurense, Krinzingense, Edenburgense, Rezense, Tulnense, Wachauense. Vina haec aetatem nacta et bene fermentata praestantissima sunt et salubria; quaedam ex his antiqua quoad omnia cum Vino Rhenano conveniunt, imo forte superant. Juniora autem vel mediae aetatis acido abundant. Vinum Franconicum, cujus optima species est Vinum Herbipolense montanum, *Steinwein.*

Vina acidulo - subdulcescentia noscuntur sapore acidulo - subdulcescenti Minus continent principii acidi. Minus antiseptica et diuretica, sed magis spirituosa quam Vina prioris classis sunt. Aquam minus ferunt, hinc facile inebriant, si meraca bibantur. Talia sunt Vinum Gallicum album,

Vi-

Vinum Campanicum, Vinum Hungaricum album, cujus species optimae sunt Vina Sorproniensia, Rustensia, Razelsdorfensia, Nesmillinum, Waradinum, Oreschanum. Vinum Portugallicum.

Vina dulcia nativa sunt Vina quorum sapor valde dulcis est. Acidum multo Oleo vel muco impraegnatum continent.

Habentur *generosa*, ut Hungarica, Hispanica, Insulana, quae durabilia et fortia sunt. *Debilia* ut Italica, Tyrolensia, Gallica; haec potius Musta cocta, quam Vina vocari merentur, cum fermentationem vix passa facile corrumpuntur. *Dulcificata* ex Saccharo, et Uvis passis parata. *Plumbata* nempe Lithargyro dulcificata, inde nobilium colica pictonum. Ad Vina dulcia nativa pertinent potissimum Vinum Tokayense in Comitatu Zempliniensi ad oppidum Tokay proveniens. Praeterea septem alia numerantur oppida in locis submontanis, quorum Vina generositate Tokayensi non cedunt. Vinum S. Georgii; Vinum Hispanicum ordinarium; Vinum Capense; Vinum Frontiniacum seu Languedocium; Vinum Malvaticum; Vinum Maderaicum; Vinum Palmae; Vinum Malaccense; Vinum Xerae; Vinum Allicantinum seu Illicitanum; Vinum Lachryma Christi; Vinum Graecum di Somma; Vinum montis Pulciani; Vinum Tyrolense; Vinum Tinto; et Vinum Muscatellinum.

FECES VINI; *Weinlager*, *Weinhefen*, *Geleger;* est sedimentum semiliquidum, post fermentationem, Vini primum detracti. Odorem habent vinosum, saporem similem adstringentem, destillatione dant Spiritum vini. TARTARUS CRUDUS, TARTARUS VINI, *Weinstein*, *roher Weinstein*. Est Sal essentiale Vini neutrum, cui vero acidum peculiare ultra saturationem inest, sensim a Vino secretum et dolia incrustans, partibus oleosis et aliis heterogeneis mixtum, saporis aciduli, in aqua difficulter solubile et ex solutione terram insipidam deponens; ita ut unciae quatuor Aquae fervidae circa drachmam semis et Aquae frigidae solummodo grana duodecim solvant. Super prunis fumum dat multum, odore empyreumatico ingrato. E Vinis rubris secernitur *Tartarus ruber* et ex albis sive flavis *Tartarus albus* sive subgriseus, rubro praeferendus. Adportatur e locis Vinorum divitibus. CRYSTALLI TARTARI, seu TARTARUS DEPURATUS, *gereinigter Weinstein*, *Weinsteinkrystallen*, *Weinsteinrham*. Est Tartarus crudus Vini solutione in aqua, colatione et passim terrae cujusdam argillaceae et calcareae, seu cinerum et albumine ovorum depuratus, in crystallos redactus parvas irregulares, impellucidas, solidas, albas, et communiter in glebas aggregatas, subinde in superficie nonnihil pulverulentas, saporis acidi vinosi. Crystalli Tartari qualitatis quidem acidae, proprie vel per se autem Sal medium, in quo acidum Tartari exsuperat, continent etiam sexaginta septem partes acidi dicti et triginta et tres Salis alcali vegetabilis. Subinde etiam, inprimis ex Gallia allati terra calcarea contaminati sunt, quae in saturatione cum alcali et in praeparatione Tartari solubilis praecipitatur. Crystalli minores in corticis forma cohaerentes olim praecipue CREMOR TARTARI vocati sunt, hodie Crystalli majores et minores simulac in pulverem redacti sunt subtilem, sic appellantur. Crystalli vel Cremor Tartari Succos plantarum coeruleos reddunt quidem rubros, adhuc autem cum acidis effervescunt. Ferro candenti impositi, odorem spargunt pungentem empyreumaticum, remanente tan-

tandem Sale alcali; in Aqua difficulter solubiles, ita, ut in uncia Aquae destillatae frigidae solummodo grana tria et in Aqua fervida grana septem post refrigerationem mox praecipitantia solvantur. Adulteratio cum Salibus vitriolicis v. c. Alumine, sedimento albo proditur per instillationem Aceti saturnini in solutionem Crystallorum Tartari; cum Nitro contaminati supra prunis detonant; Cupro inquinati ex saturatione cum Spiritu Salis armoniaci volatilis coerulescunt et Ferrum politum earum solutioni immissum, colore cupreo imbuunt. Quum a Pharmacopolis ipsis elaborati Crystalli seu Tartarus crudus depuratus minus albus evadat, ex Gallia advehitur, ubi ope terrae argillaceae albae et calcareae depuratur, vel ex Italia, praecipue Venetiis, ubi adjuvante cinere lignorum et albumine ovorum purificatur; ex Gallia advecti crystalli Tartari Italicis praeferuntur et acidi Tartari divitiores creduntur. Hodie tamen etiam circa Viennam in Austria talia Laboratoria seu Fabricae habentur ubi Crystalli Tartari parantur.

SPIRITUS VINI; *Weingeist*, *Brandwein.* Est Liquidum inflammabile, Aquae miscibile, volatile, fragrans, ex fermentatione spirituosa Succi Uvarum, seu Vino aut Fecibus vini vel aliorum vegtabilium natum et destillatione elicitum vocatur Spiritus vini ex Vino, *Weinbrandwein*, ex Fecibus vini, *Lager - oder Weinlagerbrandwein.* Ex Vino gallico, Fecibus vel Vinaceis hujus Spiritus vini gallicus, *Franzbrandwein.* Etiam ex hordeo vel secali aut utroque mixto et fermentato in locis ubi nulla viticultura est, destillatur inde Spiritus Frumenti dictus *Kornbrandwein.* Ex Succo Prunorum fermentato Spiritus Prunorum *Zwetschenbrandwein* ex Succo Cerasorum Spiritus Cerasorum *Kirschbrandwein,* ex Succo Arundinis Sacchariferae fermentato Spiritus Sacchari *Zuckerbrandwein* et Syrupo Saccharino magis empyreumaticus Taffia *Rum* dicitur. Ex oryza Spiritus destillatus *Reisbrandwein, Arack, Rack.* Ex lacte, ut lacte equino fermentato Spiritus lactis *Pferdmilchbrandwein, Kumifs* obtinetur. Sic ex omnibus vegetabilibus praecipue fermentationi idoneis destillatione Spiritus obtinetur et si purus est, ex omnibus idem et in genere Spiritus Vini vocatur *Weingeist oder Brandwein.*

Principia Spiritus vini constitutiva sunt, pars inflammabilis oleosa, seu phlogiston, acidum Aceti et multa Aqua.

Proprietates quibus Spiritus vini ab aliis liquidis distinguitur sunt 1mo valde levis est Spiritus vini ratione gravitatis specificae, ita, ut non solum pinguedo, sed plurima pars oleorum in eo fundum petant. 2do Est valde volatilis et longe leviori gradu caloris ebullit quam Aqua. 3^tio^ Inflammatur absque calefactione praegressa sine fumo et fuligine, nec materiam carbonaceam relinquit. In vasis clausis calori expositus non inflammatur, sed forma vaporum ascendit et destillatione condensatus immutatus Spiritus transit in Excipulum. 4to Aquae varia proportione miscibilis et inde ab omnibus aliis corporibus inflammabilibus differt. 5to Consueto frigoris gradu non congelatur, hinc saepe liquoribus aquosis, quos a congelatione praeservare animus est, additur. 6to Solvit Olea aetherea, Camphoram, Resinas vegetabiles, Balsama naturalia, Sapones, et maxima parte etiam Olea empyreumatica et cum praecedentibus destillatione elevatur et in Excipulum transit. Hinc variae Essentiae, Tincturae, Spiritus abstractitii Spiritu vini hac ratione parantur. Spiritus vini Oleum solutum continens, op-

optime colore lacteo noscitur, qui admista Aqua oritur. Gummata vero non solvit, et Resinae in Spiritu hoc solutae, Aqua exinde praecipitantur; sic etiam Gummi Aqua solutum Spiritu vini exinde praecipitatur. 7mo In Olea pressa et substantias his similes ut pinguedinem animalem, Butyrum, Ceram, nec Succinum et Copalium vix ullas vires exserit; nisi rancida fiant aut igne mutata fuerint. 8vo Solvit quaedam Salia e c. omnia Salia media acido Aceti parata, Salem ammoniacum, Mercurium sublimatum corrosivum, Saccharum, Salem sedativum, et Flores Benzoes. 9no Mediante calore unitur cum Salibus alcalinis fixis siccatis et Sale alcalino caustico constituitque cum iis Producta saponacea, aut Tincturas alcalinas. 10mo Singularem effectum cum acidis prodit; incalescit valde cum quibusdam, cum omnibus autem, praecipue cum iis unitur intime, quae validam acrimoniam possident, et concentrata sunt. Hac unione tollit horum acrimoniam et iis saporem refrigerantem, reficientem, odorem gratissimum et longe majorem volatilitatem conciliat. Hoc modo oriuntur acida dulcificata et Naphthae. 11mo Si Spiritus Salis ammoniaci aquosus, fortis, sine calce viva paratus, cum Spiritu vini rectificatissimo miscetur, coagulatur inde Spiritus et constituit sic dictam Offam Helmontii; etiam hac ratione uniendo se se cum parte aquosa coagulat Lac, Albumen ovi, Serum sanguinis, reliqua. 12mo Quo plus Aquae hic Spiritus continet, eo debilor erit: ideo repetitae destillationes et rectificationes requiruntur ut ab Aqua liberetur. Inde varias denominationes acquirit, ratione majoris aut minoris quantitatis phlegmatis contenti. Nempe SPIRITUS VINI VULGARIS, *gemeiner Weingeist.* SPIRITUS VINI RECTIFICATUS, *rektifizierter Weingeist*, SPIRITUS VINI RECTIFICATISSIMUS seu ALCOHOL VINI, *höchst rektifizierter Weingeist oder Alkohol.*

Signa probitatis et fortitudinis Spiritus vini dum emitur ex sequentibus desumuntur. SPIRITUS VINI VULGARIS ex Vino aut fecibus Vini paratus debet esse pellucidus et clarus instar Aquae, nullum habeat odorem nauseosum, nec saporem acidum aut oleosum. Si dimidia pars lagenae eo repletae concutitur, valde spumescere et spuma cito disparere debet. Olea pressa in eo fundum petant. Certior methodus est deflagratio ipsius Spiritus; sumitur determinata quantitas Spiritus vini, incenditur in cochleari antea calefacto, et in loco quieto deflagret, donec sponte exstinguatur. Phlegma residuum iterum mensuratur. Fortis et bonus Spiritus tantum unam tertiam Aquae, hinc duas tertias Spiritus continet; nec phlegma nauseosi saporis relinquit, aerometrum supra sex gradus immittit. Sed et haec criteria tamen dubia sunt; hinc certissimum signum fortitudinis est ex pondere Spiritus vini respectu ponderis Aquae. In vitro, cujus capacitas non major, quam ut exacte uncia Aquae contineri possit, Spiritus vini rectificatissimus vero, huic vitro infusus, tantum drachmas sex et quadraginta octo aut ad summum quinquaginta quatuor grana ponderabit. SPIRITUS VINI VULGARIS saepe multas partes alienas acidas et oleosas continet ut ex odore et colore noscitur; cum Spiritu vinoso frumenti adulteratus in cochleari accensus, relinquit phlegma saporis et odoris ingrati empyreumatici, farinae tostae similis, fauces quasi scabrantis, quum phlegma Spiritus vini probi et genuini sapore praeditum est acidulo et subacri. Hinc ut de puritate

tate certi simus in Pharmaciis non adhibetur venalis, nisi destillatione praegressa depuretur. Habentur sic ratione fortitudinis tres diversi Spiritus, nempe SPIRITUS VINI VULGARIS DESTILLATUS, SPIRITUS VINI RECTIFICATUS, et SPIRITUS VINI RECTIFICATISSIMUS seu ALCOHOL VINI. Modum praeparationis (vide *inter praeparata P. II.*). *Spiritus vinosus frumenti* seu *Vinum adustum*, *Kornbrandwein*, *Fruchtbrandwein*, *Brandwein*, est Spiritus inflammabilis uti supra dictum destillatione simplici ex cerealibus, praesertim ex seminibus secalinis, fermentatione praegressa elicitus, limpidus, albus, odoris volatilis, saporis acris, minus grati. Eligatur per agitationem bullulas largiens mox pereuntes, Oleum expressum subito ad fundum transmittens, aerometri demissionem supra quinque gradus permittens, nec odore nec sapore adventitio notatus. Saepe ex neglectis vasis destillatoriis contaminatus est particulis cupreis, quae mangonisatio, colore coeruleo ex admixtione Spiritus Salis ammoniaci volatilis, et colore viridescente frustuli calcis vivae immissi dignoscitur.

ACETUM VINI, *Weinessig*, est Liquor acidus ex Vini fermentatione acida natus. Vinum enim vel alia materies, quae fermentationem spirituosam subiit, si novam fermentationem ingreditur, secedunt intestino motu oleosae et terrestres partes, quae acidum obvolverant, et in Acetum vertitur. Est ergo Acetum vini fluidum limpidum ex albo flavescens, saporis valde acidi, odoris grati, ex acescentibus vinis, vel ex fecibus vini vel ex ambobus mixtis vel ex vinaceis fermentatione paratum. Principia Aceti plura sunt, est enim acidum impurum, ex acido Aceti et Tartari, ex Tartaro, principio Saccharino, terra calcarea, mucilagine, et Aqua aggregatum. *Notae* probitatis et bonitatis sunt odor et sapor proprius, gratus, reficiens, ab omnibus aliis acidis diversus; nullum relinquat saporem mordacem sive urentem, color sit ex flavo albus, pellucidus, et saltem quadragesimam aut si fortis trigesimam sui partem Salis alcalini vegetabilis depurati saturet. Ex salibus mediis, quae ingreditur, instillando Oleum vitrioli, proprio odore volatili acido se se prodit, ita et fortitudine et puritate omnia acida vegetabilia superat. Quo melius Vinum fuit, eo melius Acetum habetur. Rejiciatur Acetum vini turbidum, vapidum, saporis ac odoris vapidi vel putridi, saporis urentis et omne adulteratum. Cupro depravatum admixta Spiritus Salis ammoniaci volatilis portione aequali coerulescit; Plumbo contaminatum, sapore praeditum est dulciori et cum LIQUORE VINI PROBATORIO HAHNEMANNI fuscum sive bruneum evadit; acido Vitriolico adulteratum optime ex Terrae ponderosae salitae solutione aquosa instillata cognoscitur; Acetum enim purum limpidum manet, adulteratum vero terram praecipitat, nec non solutio terrae calcareae v. c. cretae in Spiritu nitri vel Acetum saturni, turbidum reddit Acetum vitriolatum et albo colore praecipitat; acido Salis inquinatum instillata solutione Argenti in Spiritu nitri statim sedimentum deponit album; acido Tartari vitiatum cum Sale alcalino vegetabili saturatum Tartarum praecipitat regeneratum.

Paratur Acetum in Regionibus vinetorum divitibus et in doliis advehitur plus minusve capacibus. In locis calidis vasisque non bene clausis facile mucum contrahit, vapam induit et corrumpitur, ad quam corruptelam praecavendam, Acetum vini lagenis infunditur, quae aheno Aqua repleto super igne collocato immittuntur et, simulac Aqua per aliquot momenta ebul-

ebulliverit, rursus eximuntur, optime clauduntur et loco temperato servantur, vocatur tum ACETUM VINI PRAEPARATUM (vide *praeparata P. II.*). Acetum vini *crudum* differt ab Aceto vini *destillato*, quod *crudum* oleosas et spirituosas partes adhuc contineat et quasdam mucilaginosas et terreas, hinc putredini optime resistit et sudorem pellit. Acetum *destillatum* vero est solum acidum purum vegetabile hinc quoque putredini resistit, vires diaphoreticas vero nullas possidet, et etsi omnis cautela fuerit adhibita fere semper levem odorem et saporem empyreumaticum habet, a quo quidem aeri aperto exponendo liberatur. Hinc plures Acetum vini *crudum* dicto modo praeparatum Aceto vini *destillato* praeferunt.

VIRES. Fructuum seu Uvarum recentium sunt refrigerantes, leniter laxantes, antiputredinosae.

USUS. *Recentes* et *siccatae* in tussi, haemophthysi aut ardore urinae, in febribus biliosis et putridis crudae aut coctae copiose ingeri possunt. Ceterum uvarum *Producta* et *Educta* in medicina potissimum adhibentur.

Acetum.

VIRES. Resolventes, lenissime irritantes, antiphlogisticae, antisepticae, adstringentes, sudoriferae.

USUS. *Interne* in omnibus febribus putridis, biliosis, inflammatoriis, variolis retropulsis, scorbuto, angina, hydrophobia, mania. *Externe* in Enemate pertinaci alvi constipatione, in mensium fluxu nimio abdomini et lumbis OXYCRATUM, quod ex Aqua et Aceto constat, applicatur; in omni inflammatione a causa externa ut contusione, sugillatione, in gangraena et sphacelo. Perniones Aceto discutiuntur; in haemorrhagia uteri post partum etiam frigide injectum Acetum sed magna circumspectione adhibeatur; *Acetum calefactum* magis adstringit, hinc haemorrhagiam narium et eam, quae dentem evulsum sequitur, compescit. Callos et clavos pedum emollit, nec non callum ossis fracti, hinc non nimis diu oxycratum in fracturis ossium continuandum. ACETUM CONCENTRATISSIMUM naribus admotum syncopticos et ex cerebri commotione asphyctos excitat. Vapor Aceti aerem putridum corrigit, et in tumoribus induratis stimulando agit; in difficili respiratione, et in iis, qui vapore carbonum suffocati erant, excitat. SAL ACETI ODORIFERUM est gratum odoramentum debiles et syncopticos efficacissime reficiens. ACETUM PROPHYLACTICUM *externe* instar resolvens et ad vaporem excitandum convenit, putredini resistit, in vulneribus recentibus utile, in hystericis odoramenti instar adhibitum excitat. MORSULI ACETI etiam in febribus refrigerandi scopo et ad sitim sedandam adhibentur.

DOSIS. *Interne* drachmae duae Aceti aut uncia semis, in mania unciae quatuor. Miscetur interne cum Melle, cortice Peruviano, Camphora, Salibus mediis, quae inde non decomponuntur, ut in Tartaro Tartarisato contingit; Sale ammoniaco; cum mucilaginibus, sapone et alcalinis aut aliis corporibus, quae decomponuntur Acetum non praescribitur. In Decocto librarum duarum Cochlearia duo aut tria Aceti exhibentur in febribus. Ad usum communem medicum internum Acetum non destilla-

tum *destillato* praeferendum, ob transpirationem, quam promovet. OXYMEL SIMPLEX est bonum resolvens, quod Mixturis antiphlogisticis ad unciam unam aut duas et enematibus et gargarismatibus ab unciis duabus ad tres, enematibus praecipue in constipatione alvi pertinaci additur; etiam ad cataplasmata et fomenta in contusionibus, herniis, luxationibus et gangraena addi potest. OXYSACCHARUM ut Oxymel interne adhibetur, praecipue ubi ventriculus Mel non fert.

Feces Vini.

VIRES. Roborantes, adstringentes, resolventes, antisepticae.

USUS. Cum anatica portione aquae diluta fex vini est egregium et optimum medicamentum antiphlogisticum et antigangraenosum, ut millies experientia celeb. PLENCK docuit, in inflammatione a contusione, distorsione, vulnere, fractura, luxatione. Sine Aqua in laxitate articuli et gangraena humida profuit; Aqua mixta Fex Vini in paralysi, arthritide, rheumatismo, extenuatione artuum proficue adhibetur.

Vinacea.

VIRES. Roborantes, adstringentes, aere fixo, quem continent, resolventes et valde antisepticae.

USUS. Forma fomenti vel balnei sicci topici adhibentur in ulceribus sordidis crurum, in gangraena, paralysi, tumoribus podagricis, arthriticis, rheumaticis, in contractura, in aridura membrorum, in laxitate articuli a praegressa distorsione vel luxatione reposita. Dolendum, quod efficax hoc remedium solo vindemiarum tempore haberi possit.

Spiritus Vini.

VIRES. Roborantes, adstringentes, irritantes, antiputredinosae.

USUS. In articulationum aliarumve partium, tendinum, nervorum laxitate, ut herniis, uvula prolapsa, tumoribus oedematosis, in ulceribus vel vulneribus pure nimio manantibus, in calli ossei mollitie. Ad Aquas spirituosas destillatas et ad Tincturas. SPIRITUS VINI CAMPHORATUS in gangraena humida, panaritio fungoso, in lupia, in ambustione aut vulnere levi. *Spiritus Vini* Aqua dilutus in inflammationibus chronicis ab atonia vasorum ortis, ut angina et ophthalmia chronica. AQUA VULNERARIA ex Vino cum herbis balsamicis destillata in vulneribus fungosis multum suppurantibus convenit. Vapor *Spiritus Vini* accensi sudorem movet et oedemata discutit.

NOCET *Spiritus Vini* in inflammationibus acutis non chronicis, in ambustionibus siccis, in vulneribus sclopetariis, in quibus inflammationem augendo et suppurationem impediendo partes inferiores gangraenescere facit. Vulnus cerebri non consolidat. Nec lymphae fluxum ex vase lymphatico laeso compescit; ossi sano diu applicatum inducit decolorationem.

ALCOHOL VINI.

VIRES. Stypticae, vasa discissa arctantes, contrahentes, sanguinem et serum coagulantes.

USUS.

USUS. In haemorrhagia a vasis laesis mediocris magnitudinis. Praeterea ad varia praeparata adhibetur.

NAPHTHA ACETI SPIRITUOSA.

VIRES. Antisepticae, analepticae, antispasmodicae, sedativae, resolventes, diaphoreticae.

USUS. Hoc remedium eximium nostro corpori maxime conveniens in febribus putridis, malignis, virium summa prostratione, tendinum subsultu, et aliis spasticis in febribus symtomatibus seu dicto *Statu nervoso* febrium, in dysenteria putrida, variolis malignis, tussi convulsiva egregias vires exserit.

DOSIS. Ad guttas decem, ad triginta exhibetur.

NAPHTHA ACETI AQUOSA; ob admixtam aquam minus calefacit; ceterum in iisdem morbis et quidem majori dosi exhiberi poterit. Ita et LIQUOR ANODYNUS VEGETABILIS seu ACETUM DULCIFICATUM adhibetur.

SAL ESSENTIALE TARTARI seu ACIDUM TARTARI CRYSTALLISATUM.

VIRES. Antalcalinae, incidentes, aperientes, refrigerantes, temperantes.

USUS. Adhibetur in iisdem casibus, in quibus Cremor Tartari utitur.

DOSIS. A granis decem ad triginta.

CREMOR TARTARI seu CRYSTALLI TARTARI.

VIRES. Eccoproticae, antiputredinosae, refrigerantes, diureticae, abstergentes.

USUS. In omnibus febribus biliosis, putridis, etiam in inflammatoriis, in obstructionibus viscerum a causa mucosa, et inde dependente Hypochondriasi, ita et in arthritide et podagra in subjectis pituitosis, in hydrope; praecipue si febris juncta, in angina et ophthalmia gastrica, in mala suppuratione vulneris, ulceris, in erysipelate, in haemorrhoidibus coecis, in ardore aesophagi et ructu bilioso. PULVIS OPHTHALMICUS a Cremore Tartari suam efficaciam in delendis maculis corneae habet, item ad dentifricia adhibetur.

DOSIS. A granis decem ad drachmas duas exhibetur; difficulter Aqua solvitur et debilibus saepe pondus in ventriculo creat. Hinc addito Borace facilius solvitur et nascitur inde Sal

CREMOR TARTARI SOLUBILIS, dictus; qui easdem fere vires possidet, facilius Aqua solvitur, putredini resistit, aperit et majori dosi unciae unius v. g. exhibitum laxat. Crustam linguae nigram in febribus putridis optime detergit.

DOSIS. Est ut Cremoris Tartari et ultra.

TARTARUS TARTARISATUS.

VIRES. In minori dosi optime solventes, in majori eccoproticae.

USUS. In saburra primarum viarum, in febribus, diarrhoeis, dysenteriis, in melancholia et mania majori dosi, in obstructionibus viscerum abdominalium optime convenit.

DOSIS. Scopo solvente a scrupulo uno ad drachmam, scopo eccoprotico ab uncia una ad unciam unam et semis exhibetur.

TERRA FOLIATA TARTARI CRYSTALLISATA.

VIRES. Solventes, aperientes, diureticae.

USUS. Praecipue in morbis chronicis et infarctu pituitoso; hinc in omnibus morbis inde dependentibus, in obstructionibus viscerum abdominalium, systematis venae portarum, hypochondriasi, melancholia, hydrope, defectu menstruorum, chlorosi, fluore albo.

DOSIS. Scrupulus unus ad drachmam unam Aqua aut Vino solvitur. Nunquam forma pulveris, quia aere facile deliquescit. Miscetur saepe cum Extractis amaricantibus, cortice Peruviano, Melle et forma electuarii adhibetur.

LIQUOR TERRAE FOLIATAE TARTARI. Ex Sale Tartari et Aceto constans, ut TERRA FOLIATA TARTARI CRYSTALLISATA adhibetur.

TARTARUS SOLUBILIS. Est Cremor Tartari alcali volatili saturatus.

VIRES et USUS. Ut Tartari Tartarisati, sed dosis ad medietatem minor, quia efficacius vires suas exserit.

SAL TARTARI seu ALCALI VEGETABILE PURUM.

VIRES. Acidum absorbentes, resolventes, antiemeticae ob aerem fixum copiosum contentum.

USUS. Per se *interne* non adhibetur, sed cum acido Citri aut Vitrioli juxta RIVERIUM et HULME in vomitu sistendo, in febribus, in vermibus et calculo renum aut vesicae. In induratione lactea mammarum *externe*, in ulceribus et spina ventosa a rachitide ortis, forma lavamenti *externe* in impuritatibus cutaneis. Ad varia Salia media, Saponem et alcali vegetabile causticum parandum adhibetur.

DOSIS. Salis Tartari drachma una solvitur in Aquae destillatae communis unciis sex, signetur No. 1., dein Recipe Aquae fontanae uncias sex, Spiritus Vitrioli diluti unciam unam signetur No. 2. primo sumitur de solutione signata No. 1. uncia una et postea statim de Mixtura No. 2. eadem quantitas et hoc omni hora reiteretur. Vel Salis Tartari drachma semis in unciis quatuor Aquae communis soluta hauritur, mox desuper deglutiat aeger duo Cochlearia Succi e recenti Limonio expressi, Saccharo edulcorati et Aqua diluti. Dosis Salis Tartari ceterum erit a granis quinque ad decem. Pro usu *externo* Aqua solutum applicatur. LIQUOR SALIS TARTARI seu OLEUM TARTARI PER DELIQUIUM non solum usibus pharmaceuticis et chemicis inservit, sed etiam, si acidum primarum viarum abundat, Aqua dilutum cum fructu ad Guttas quinque, vel quindecim exhibetur. *Externe* in impuritatibus cutis detergit, sic crustae tineo-

sae

sae hoc Oleo illitae decidunt. Guttae quaedam hujus Olei multa Aqua dilutae furfures capitis bene abigunt.

PRAEPARATA et COMPOSITA.

ACETUM VINI PRAEPARATUM.
ACETUM VINI CONCENTRATUM, LOCO DESTILLATI.
ACETUM VINI CONCENTRATISSIMUM SEU SPIRITUS SEU ALCOHOL ACETI.
ACETUM VINI PROPHYLACTICUM, SEU CARDIACUM.
BOTRYOMEL.
CREMOR TARTARI SOLUBILIS.
LIQUOR ANODYNUS VEGETABILIS, SEU ACETUM DULCIFICATUM SOLA MISCELA PARATUM.
LIQUOR SALIS TARTARI, SEU OLEUM TARTARI PER DELIQUIUM.
LIQUOR TERRAE FOLIATAE TARTARI.
MORSULI ACETI.
NAPHTHA ACETI SPIRITUOSA, SEU AETHER ACETI SPIRITUOSUS.
NAPHTHA ACETI AQUOSA SEU AETHER ACETI AQUOSUS.
SAL ACETI ODORIFERUM.
SAL ESSENTIALE TARTARI, SEU ACIDUM TARTARI CRYSTALLISATUM.
SAL TARTARI, SEU ALCALI VEGETABILE PURUM.
SPIRITUS VINI VULGARIS DESTILLATUS.
SPIRITUS VINI RECTIFICATUS.
SPIRITUS VINI RECTIFICATISSIMUS, SEU ALCOHOL VINI.
SYRUPUS ACETI, SEU OXYSACCHARUM.
TARTARUS SOLUBILIS.
TARTARUS TARTARISATUS.
TERRA FOLIATA TARTARI CRYSTALLISATA.

} *vide praeparata* **P. II.**

§. VII.

§. VII. *SEMINA.*

GRANA, NUCLEI, AROMATA VARIA.

N. ph. l. V. SEMINA ABELMOSCHI, seu GRANA MOSCHATA.

N. germ. *Bisamsaamen*, *Abelmosch*, *Bisamkörner.*

N. syst. L. (Hibiscus Abelmoschus.).

Icon. Vide RUMPH. Ambo. Tom. IV. p. 38. Tab. 15. granum moschatum.

Partes usuales. *Semina sicca.*

Hibiscus Abelmoschus; foliis suppeltato - cordatis septemangularibus serratis, caule hispido LINN. *Syst. veg. p.* 524.

Est Frutex utriusque Indiae in Malabaria, Java, Brasilia, Jamaica crescens; in Aegypto quoque obvius. SEMINA sunt reniformia, subcompressa; lentis fere magnitudine, longitudinaliter striata, coloris extrinsecus gilvi, hilo rotundo nigricante in sinu seminum, repleta medulla albida. Manu incalescentia fricta, vel carbonibus injecta, Moschi odorem spirant, saporis vero sunt amaricantis, nonnihil calidi. Cur grana Moschata a quibusdam dicantur, jam cognoscitur. Semina ex India occidentali petita majora sunt et odoris fortioris, quam orientalia. Ad nos ex Gallia et Italia adferri solent. Quoniam odorem diu servant, in patria cistis includi solent; in India suffimigii instar carbonibus insperguntur, et eorum odore vestimenta imbuunt. Ita et in Italia quoque pro odoramento sunt. *Moschus animalis* hisce granis aliquando adulteratur (PISO *Ind. Lib. IV. c.* 45. *p.* 211.). Ad hujus tamen vires accedere odoris convenientia suadet, quem similem, praeter hanc Stirpem, quoque *Geranium moschatum*, *Malva moschata*, *Lathyrus moschatus*, *Allium moschatum* spargunt. Experimenta in morbis instituere hisce praecipue granis operae pretium esset, quum reliquis dictis fragrantia antistent, et commodissime in Emulsione exhiberi posse videntur.

N. ph. l. V. SEMINA AMOMI, seu PIPERIS JAMAICENSIS, seu PIMENTAE.

N. germ. *Englisches Gewürz, Amömlein, Jamaische Pfefferkörne, Nelken-Pfefferkörner.*

N. syst. L. (Myrtus Pimenta.)

Icon. Vide PLUK Phyt. 155. fig. 4. SLOANE natu. Hist. of. Jam. T. II. p. 76. Tab. 191. REDI Experimenta circa varias res natu. p. 133. cum Tab. quae fructum depingit, BLACKWEL Tab. 355.

Partes usuales. *Semina sicca.*

Myrtus Pimenta; foliis alternis LINN. *Sp. pl. p.* 676.
Est Arbor in nova Hispania Americes et in Insulis Antiliis crescens nominatim Jamaica, ubi loca petrosa occupat. Ibidem et plantatur sollicite ambulacri serie, sedulo cavendo ab incendio, quod si incideret, ob inflammabiles particulas, quas Arbor spirat, exstingui vix posset. SEMINA AMOMI sunt *Baccae*, quae maturescentes viriditate pristina deposita nigrae fiunt, globosae, umbilicatae coronula quadripartita, biloculares seminibus duobus hemisphaericis; decerpuntur autem ante maturitatem ne aroma debiliter et hae immaturae *Baccae* sole radiante siccatae in forum transferuntur, aequant magnitudinem Piperis nigri, vel, ut plerumque, superant, mox globosae, mox nonnihil oblongae sunt, umbilicatae denticulis detritis, saporem plurium Aromatum, Caryophyllorum, Cinnamomi, Nucis Moschatae, prae se ferunt. Unde et Anglis *Allspice* dictae, quasi quodlibet Aroma in hoc unico collectum esset. Oleum aethereum recondunt haec Semina coloris dilute flavi, tempore ex rubro-bruni, odore et sapore ad Oleum Caryophyllorum propius accedens, sed blandius, Aquae fundum petens. Utplurimum $\frac{1}{18}$ pars hujus Olei destillatione obtinetur. Blandior horum Seminum natura, quam quae vulgaribus condimentis inest, commendat horum usum ad condiendos cibos; nec in Medicina haec contemnenda ob vires stomachicas irritantes et ob efficaciam cum aliis Aromatibus communem. Praeterea leviori longe pretio se se commendant.

VIRES. Stomachicae, stimulantes.

USUS. Ad condiendos cibos ut alia Aromata; in medicina aliis in pulvere ad stimulum adduntur, potissimum tamen AQUA DESTILLATA, SPIRITUS et OLEUM DESTILLATUM adhibentur ubi laxitas in primis viis, torpor fibrarum et humorum spissitudine mucosa viscera laborant; solida enim stimulando spissum resolvunt.

DOSIS. In pulvere a granis tribus ad decem; AQUA DESTILLATA Mixturis ab uncia una ad tres additur. SPIRITUS a drachma semis ad drachmam unam. Oleum essentiale destillatum forma Eleosacchari a gutta una ad tres. *Externe* hoc OLEUM ut OLEUM CARYOPHYLLORUM adhibetur.

PRAE-

PRAEPAPATA.

AQUA AMOMI, SEU PIPERIS JAMAICENSIS SIMPLEX. OLEUM DESTILLATUM AMOMI, SEU PIPERIS JAMAICENSIS. SPIRITUS AMOMI, SEU PIPERIS JAMAICENSIS.	} *vide praeparata P. II.*

N. ph. l.	V. AMYGDALAE AMARAE.
N. germ.	*Bittere Mandeln.*
N. syst. L.	(Amygdalus communis.)
Partes usuales.	*Nuclei sicci.*

Amygdalus communis; LINN. *Varietas Amygdalus amara.*
Sunt Nuclei ejusdem figurae ac dulcis, ast saporis grate amari, (vide *Amygdal. dulces.*).

N. ph. l.	V. ⊙ AMYGDALAE DULCES.
N. germ.	*Süsse Mandeln.*
N. syst. L.	(Amygdalus communis.)
Icon.	Vide BLACKWEL Tab. 105. ZORN Pl. med. Tab. 301.
Partes usuales.	*Nuclei sicci.*

Amygdalus communis; foliis serraturis infimis glandulosis, floribus sessilibus geminis LINN. *Sp. pl. p.* 677. *Varietas Amygdalus dulcis sativa.*
Est Arbor in septentrionali Africa spontanea, in Italia, Gallia, Sicilia copiose culta, etiam Germaniae clima fert calidius. NUCLEI sunt ovati complanati, pellicula brunea, lineis elevatis et pulvere flavescente resinosoque instructi, intus bipartibiles, albi, in apice corculum gerentes, saporis dulcis, lactei, cum fragrantia quadam. Comparandae Italicae vel Florentinae, quae crassiores, longiores gratiorisque saporis sunt quam Valencianae, Provencales, et Barbadicae. Rejiciantur erosae, fractae, rancidae, vetustae, et eligantur recentes, integrae, pellicula tenui vestitae, torosae, nec rugosae, saporis grate dulcis. AMYGDALAE AMARAE non decorticatae destillatione largiuntur Aquam fragrantem odoris nucleorum Persicorum vel Cerasorum saporis amari subacris (Conf. DARIES *Episto. de Amygdalis et Oleo amararum aethereo p.* 8.). Amarities non insidet Oleo expresso nam hoc aeque dulce est, ac quod ex Amygdalis dulcibus eruitur sed tantum ad $\frac{1}{4}$ partem inde exprimitur. Residua vero post expressionem pars intense amara, quin amarior, quam ipsa Amygdala. Olei aetherei fragrantissimi, summe volatilis, acris, amarissimi, aqua gravioris, tantillum (ad paucas guttas ex libris quinque Amygdalarum) ex furfuribus relictis, seu potius ex pellicula flava, a non decorticatis destillatione cum Aqua

Aqua eruitur (DARIES l. c.); hinc sedes hujus Olei amarissimi aetherei in cuticula videtur quaerenda esse. Spiritus vini ab hac pellicula flava rubro colore tingitur. AMYGDALAE AMARAE animalibus coeco-natis sunt deleteriae, quod ab Oleo aethereo, quod in pellicula flava residet, dependet; Amygdalae enim amarae decorticatae animalibus nullo modo nocent. Forte hoc Oleum idem est illud, quod vires similes in Foliis Laurocerasi exserit. AMYGDALAE AMARAE Emulsionibus ad gratiam adduntur. AMYGDALAE DULCES ardent facile igni admotae flamma clara, quae nihil fuliginis emittit, nisi exstincta. Destillatione Amygdalarum dulcium non decocticatarum in aqua facta, haec ipsa odorem florum Acaciae spirat (JUCH *Diss. de Amygdal. p.* 20.). Ob mucilaginosam materiem, quae cum oleosis et terreis partibus in Amygdalis juncta est, hae ipsae tritura Camphoram, Resinam Jalappae aliaque resinosa, subigere et Aquae miscibilia reddere valent.

Pro usu medico pariter ac oeconomico exui plerumque solent nuclei epidermide sua, quod fit easdem Aquae fervidae immittendo, ne alienus sapor adhaerescat, et ut incommoda varia vitentur; *decorticatae* tum dicuntur. AMYGDALAE DULCES decorticatae Aqua contusae lacteam illam reddunt, relicta parte indissolubili, dicitur tunc EMULSIO. Haec diu servari non potest, quum facile acescat, cremoracea materie in superficiem ascendente. Additum illi acidum mox eandem in coagulum, fere ut lac animale, vertit. Amygdalarum *dulcium* decorticatarum uncia semis cum Aquae fontanae libra una sistit Emulsum dilutum, et cum libra semis Aquae magis nutriens. Ob saporem magis gratum drachma una Amygdalarum *amararum* decorticatarum et ad libram Aquae Sacchari drachmae sex adduntur. Praeterea AMYGDALAE DULCES dimidium sui ponderis Olei expressi unguinosi largiuntur. Plus eruitur expressione quam calor adjuvat, quam frigida. Frigide expressum facilius rancescit, calide expressum diutius sine ranciditate servari potest. Utimur vero pro expressione Olei Amygdalis non decorticatis, contusis, antea a pulvere adhaerente linteo rudi detersis. Gratia antistat reliquis Oleis expressis et subdulce est, non omnino limpidum, odoris parumper Amygdalini; quo magis rancescit eo magis limpidum evadit. Coit frigore 8 vel 10 gr. Fahrenh. Aquae non est miscibile nec Spiritu vini solvitur, Aether vero illico solvit. Mucilago, ex aequalibus partibus Gummi et Aquae, Olei quatuor partes subigit. Miscibile quoque illud cum Aqua reddit albuminis vel vitelli ovi connubium. Gratissimum est omnium Oleorum, dulce, blandum. FURFURES, post expressionem Olei in saccis residui, servant tantillum Olei, ut et hi Aquae lacteum colorem afferant; FURFURES vero ipsi, praecipue *Amygdalarum amararum* in manuum lavacro sordes ut Sapo abstergunt, hinc pro Pulvere *manuali.*

VIRES. In substantia nutrientes, sed ob Oleum unguinosum contentum, difficilioris sunt digestionis. Forma Emulsionis refrigerantes, obvolventes, nutrientes, antiphlogisticae, emollientes.

USUS. In Emulsione in febribus inflammatoriis et inflammationibus omnium viscerum, in vulneribus cum inflammatione, in urinae ardore et hae-

morrhagiis; *externe* in ophthalmia Emulsio frigide applicata et tepide adhibita in angina et asperitate faucium, aut odontalgia profuit. Amygdalae decorticatae in dupla quantitate Resinam Jalappae optime subigunt. Ad parandum Emulsum Amygdalis decorticatis saepe loco Aquae purae fontanae AQUA DESTILLATA CERASORUM NIGRORUM aut AQUA DESTILLATA RUBI IDAEI additur. Haec Emulsio *interne* adhuc convenit in usu *externo* Cantharidum, extenuatis nutrimenti loco inservit, cum Gummi arabico mixtum Emulsum in ingestis venenis mineralibus convenit. Cum Camphora addita in febribus exanthematicis, in variolis et febribus malignis; in morbis nervorum chronicis et paralysi praeter drachmam unam Camphorae cum mucilagine Gummi Tragacanthae subactam et in libra una Emulsi solutam grana quatuor TARTARI EMETICI MITIORIS adduntur. PASTAE AMYGDALINAE uncia semis cum aquae libra mixta Emulsum sistit extemporaneum. SYRUPUS AMYGDALINUS, si ad drachmas sex cum Aquae libra semis miscetur, pariter fit Emulsum. SYRUPI hujus AMYGDALINI drachmae duae grana duo aut tria Resinae Jalappae subigunt.

PRAEPARATA.

PASTA AMYGDALINA, SEU EMULSUM PORTATILE.
SYRUPUS EMULSIVUS.
} *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. SEMINA ANETHI.

N. germ. *Dillsaamen.*

N. syst. L. (Anethum graveolens.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 545. ZORN Pl. med. Tab. 512.

Partes usuales. *Semina sicca.*

Anethum graveolens; fructibus compressis LINN. *Sp. pl. p. 377.*
Est planta annua, in Europa meridionali spontanea, apud nos hortensis. SEMINA sunt ovata, latere uno plana, altero convexa et ter striata, torosa, margine membranoso, dilute fusca, odoris fragrantis, saporis aromatici calidi. Destillatione largiuntur Oleum aethereum moderate urens, ita ut ex sedecim unciis Seminum uncia una Olei destillati obtineatur.

VIRES. Incidentes, resolventes, carminativae, diureticae.

USUS. In colica flatulenta, tympanitide, vermibus et spasmis absente febre et inflammatione. *Externe* ad fomenta discutientia, in hernia a flatu incarcerata forma enematis applicatur.

DOSIS. In pulvere a scrupulo uno, ad drachmam semis; in infuso a drachmis tribus ad unciam semis.

N.

N. ph. l. ☉. SEMINA ANISI STELLATI, seu SINENSIS.

N. germ. *Sternanis*, *Badian.*

N. syst. L. (Illicium Anisatum.)

Icon. REGNAULT Botan. l'Anis etoilé ou la Badiane. KÄMPF. Amoenita. exot. p. 880. fig. 881. Somo, vulgo Skimmi. THUNBERG Flora Japonica. p. 235.

Partes usuales. *Capsulae et Semina sicca.*

Illicium Anisatum; floribus flavescentibus LINN. *Syst. veg. p.* 422.
Est Arbor in Japonia et China crescens. Fructus, nomine Anisi stellati veniens ex sex plerumque vel octo CAPSULIS stellatim invicem junctis compressis unilocularibus, oblongis, acutis, duris constans, ferrugineis, extus rugosis, intus glabris, nitidis, communiter margine superiori dehiscentibus, inferiori convexo, tumido, aspero; qualibet in Capsula inclusum est SEMEN ovatum, compressum, sub arillo fragili, nitido, glabro, badio continens nucleum albidum, mollem, pinguem. Odore et sapore aemulatur *Semen Anisi vulgaris* vel *Foeniculi*, sed magis aromatico, dulciori ac suaviori. Capsulae ipsae magis afficiunt linguam, quam SEMEN et hujus CORTEX magis nucleo, qui saporem cum leni aromate pinguem prodit. SEMINA plus Olei aetherei destillatione exhibent, quam CAPSULAE SEMINALES. Nuclei frigida pressione Oleum unguinosum erogant grati odoris. In usum medicum plerumque et CAPSULAE et SEMINA junctim contunduntur. Eligantur fructus integri, minime impuri nec pulverulenti. Ex Tartaria, China et insulis Philippinis adferuntur.

VIRES. Stimulantes, stomachicae, carminativae, incidentes.

VIRES. In morbis pectoris pituitosis, laxitate primarum viarum, colica flatulenta.

DOSIS. A scrupulo uno ad drachmam, cum Speciebus pectoralibus ad drachmam et ultra, in infuso a drachma una ad tres.

N. ph. l. V. ☉ SEMINA ANISI VULGARIS.

N. germ. *Gemeiner Anis.*

N. syst. L. (Pimpinella anisum.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 874. ZORN Pl. med. Tab. 128.

Partes usuales. *Semina sicca.*

Pimpinella Anisum; foliis radicalibus trifidis incisis LINN. *Sp. pl. p.* 379.
Est planta annua, in Aegypto spontanea, in Saxonia superiori, Thurringia et in aliis Germaniae Regionibus copiose culta. SEMINA sunt oblonga, parva, basi ventricosa, striata, viridi fusca, ex duobus seminibus facie plana connexis conflata, saporis dulcis, aromatici, odoris fragrantis.

Eligatur Semen plenum, viride, nec acerosum. Oleum aethereum includunt, cujus uncia una vel plus ex libris tribus Seminis destillatione elicitur (LEWIS), et id quidem in cortice Seminis latere videtur; praeterea autem expressum, quod crassius est et odoris saporisque expers, altero copiosius, in medullari parte residens. Omnem efficaciam Spiritus vini abripit.

VIRES et USUS. Ut *Anisi stellati.* OLEUM ANISI DESTILLATUM in colica flatulenta a refrigeratione, et morbis pectoris pituitosis ad sputa promovenda ad guttas duas aut plures exhibetur. SPIRITUS ANISI a drachma semis, una, per se, ad drachmas tres ad unciam semis in Mixturis.

PRAEPARATA.

AQUA DESTILLATA SEMINUM ANISI.
OLEUM DESTILLATUM ANISI. } *vide praeparata P. II.*
SPIRITUS ANISI.

N. ph. l. V. ⊙ SEMINA AVENAE, seu AVENA.

N. germ. *Hafer, Haferkörne.*

N. syst. L. (Avena sativa.)

Icon. Vide MÜLLER illustra. syst. sex. REGNAULT Botan. l'Avoine.

Partes usuales. *Semina, seu Avena cruda et decorticata.*

Avena sativa; paniculata, calycibus dispermis, seminibus laevibus altero aristato LINN. *Syst. veg. p.* 104. habentur duae varietates *Avena nigra*, et *Avena alba.*

Est Gramen annuum, quod copiose per totam Europam ob insigne commodum et oeconomicum et medicum seritur, locisque montosis et macilentioribus bene viget. SEMEN est oblongum, utrinque extenuatum, altero extremo latiori, sulco uno medio longitudinali distinctum, cortice subangulato, nucleo villoso. Amylum, quod Avenae inest, dimidiam ejus partem constituit (SCHEELE in BERG. *M. m. p.* 58.) cinerascentis coloris. Aqua coctum in gelatinam commutatur cineream bene compingentem. Gluten ex libra una farinae Avenae ad drachmam unam et grana 42 solummodo obtinuit celeb. MÖNCH (vide *Systematische Lehre der Arzney - Mitteln. Marburg* 1795. *p.* 21.). Grana integra seu Avena cruda cum aqua ad crepaturam usque cocta, potum in acutis idoneum, prout hordeum, suggerunt. Avena decorticata seu grutum, pro cibo sanorum et febrientium conceditur; cocta cum copiosiori aqua potus quoque consueti loco in acutis esse potest. Ob multum mucilaginis clysmatis instar domestici est sub vulgari Olei unguinosi et Salis communis connubio.

VIRES. Minus nutrientes et minus mucilaginosae quam hordeum, emollientes, refrigerantes, obvolventes.

USUS.

USUS. Decoctum avenae in febribus acutis, in tabe, et haemophthysi.

DOSIS. Uncia una in libris duabus aquae ad remanentiam librae unius.

N. ph. l. V. NUCES BEEN, seu BEHEN, seu GLANDES UNGUENTARIAE.

N. germ. *Beennüsse, Behennüsse.*

N. syst. L. (Guilandina moringa.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 386. ZORN Pl. med. Tab. 536.

Partes usuales. *Semina, seu Nuces penitus decorticatae.*

Guilandina moringa; inermis foliis subpinnatis, foliolis inferioribus ternatis LINN. *Sp. pl. p. 546. Mant. I. p. 379.*

Est Arbor in Malabaria, Zeylona et Aegypto indigena. Latent in legumine trivalvi carne alba farcto, SEMINA oblonga, triquetra, nucis avellanae magnitudinis, in putamine ex cinereo albo, solido sed fragili et tenui inclusa, pellicula crassiuscula, fungosa, albissima vestita, saporis acris, amari, oleosi, ingrati. Acrimoniam nucibus inesse pracipue cortici, quae primas vias vellicat, docet et exemplum pueri, qui iis loco nucum avellanarum comestis cum vitae summo periculo alvum dejecit (AMAT. LUSITA. *Curat. med. 63. Centu. 6.*). Hinc antequam in usum medicum adhibentur, nempe ad exprimendum Oleum, cortex auferri debet. OLEUM BEHEN seu BEEN, seu BALATINUM dictum ablato cortice expressione elicitur; ex libris octo cum drachmis quinque nucleorum decorticatorum celeb. GEOFFROY (vide *M. m. Traité T. III. p.* 254.) uncias triginta et dimidiam Olei unguinosi lutescentis, limpidi, fere inodori et insipidi, diu absque rancore servandi, obtinuit. Ab incolis montis Sinai nec non Aegyptiis exprimitur hoc Oleum et sensim in Italiam transfertur. In Pharmaciis autem nostris a Pharmacopolis ipsis ex Seminibus penitus decorticatis exprimitur. Externe variis Linimentis, Unguentis, Ceratis, Balsamis odoratis additur. Oleum hoc cum Cera alba est Basis omnium Balsamorum fragrantium, cui Olea destillata pro arbitrio instillantur. Cuti nitorem et laevitatem conciliat.

VIRES. Ut aliorum Oleorum unguinosorum, ceterum diu absque rancore servari potest.

USUS. OLEUM BEEN ideo ad Olea infusa adhibetur; *externe* cuti nitorem et laevitatem conciliat et pruritum sopit.

PRAEPARATUM.

OLEUM BEEN EXPRESSUM.) *vide praeparata P. II.*

N.

N. ph. l. V. ⊙ NUCES CACAO CARACCENSES.

N. germ. Karakische Cacaubohnen, Karakischer Cacao, Cacaonüsse.

N. syst. L. (Theobroma Cacao.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 373. ZORN Pl. med. Tab. 308. JACQUIN Amer. pict. p. 104.

Partes usuales. *Semina seu Nuclei sicci.*

Theobroma Cacao; foliis integerrimis LINN. *Sp. pl.* p. 1100.

Est Arbor in Regno Mexicano, Gujana, Cayenne, Carolina, Insulis Antillanis crescens. SEMINA sive nuclei sunt rotundo - oblongi, teretes, epidermide scabra, fragili, atro - rubra, pulvere griseo argenteo conspersa vestiti, cum medulla grisea, in lobulos divisibili, pingui, saporisque grate amari. Rejiciantur minores, mucidi et intus albi. Quo propiores ad hanc optimam speciem accedunt species aliae, eo meliores e. g. Species *Berbicensis* post *Caraccensem* praestantior est aliis et epidermide minus scabra, tenuiori et griseo pulvere distinguenda; infima est species *Insulana*, cujus nuclei minores, latiores, epidermide ferme glabra, ex atrorufa, nullo pulvere tecta et arctius nucleo adhaerente vestiti ac saporis sunt amarioris, subausteri. Abundant nuclei copia muci blandi, et adhuc majori Olei unguinosi. Hoc mox sapore, nec non flamma, quam admoto igne capiunt, cognoscitur. Uberius tamen recentioribus, quam vetustis inest. Et hoc quidem tam prelo extorqueri potest, quam coctione cum Aqua, et, dum refrixerit, spissitudinem Sebi induit. Pro utroque fine tostio modica, decorticatio et tritura eorum praecedere debet. Expressione parcius provenit, cinereum colorem prae se fert et magis spissum est. Coctione blando igne facta obtinetur Oleum purius et albidius, quod a superficie condensatum facile separatur. Libra una optimi Cacao trita et cum octo libris Aquae cocta ad crassitiem pultis uncias septem Olei sebacei in superficie erogat, quod OLEUM seu BUTYRUM CACAO dicitur. Americanis nuclei in pastam conquassati continuo praesto sunt, ut absque ambagibus escam domesticam exinde lacte vel aqua sibi parare queant. Europaei potissimum ad Cacao tabulatam seu Succolatam inde parandam hos nucleos adhibent.

VIRES. Oleosae, mucilaginosae.

USUS. *Nucum Cacao* in viribus exhaustis a debilitate, in morbis consumtivis, ad tussim mitigandam forma CACAO TABULATAE.

BUTYRUM CACAO.

VIRES. Emollientes, involventes.

USUS. *Interne* in ischuria et stranguria a calculo aut ulcere vesicae urinariae; in genere in omni casu ubi Olea unguinosa *interne* indicantur. *Externe* in excoriatione labiorum et papillarum Mammarum, in haemorrhoidibus coecis dolentibus, in pertinaci alvi constipatione ad inunctionem abdominis, ad unguenta.

DO-

DOSIS. *Interne* a drachma semis ad unam per se, aut miscetur cum potu mucilaginoso, Gummi arabico aut vitello ovi.

SAPO CACAO.

VIRES. Solventes, resolventes, involventes, leniter irritantes, abstergentes.

USUS. *Interne* SAPO CACAO omnibus aliis reliquis notis praefertur. Hinc in obstructionibus viscerum, in acido primarum viarum, in ictero, hypochondriasi, calculo vesicae fellaeae; in arthritide chronica, in calculo renum aut vesicae, in ingestis venenis mineralibus ut Arsenici aut Mercurii sublimati nimia copia. *Externe* in enemate in alvi constipatione pertinaci cum infuso *Chamomillae vulgaris.*

DOSIS. A drachma una ad unciam semis. In ingesto veneno SAPONIS CACAO libra una in libris quatuor aquae solvitur et sic tepide omni secundo aut tertio minuto primo vasculum exhibetur. Homini a sedecim annis ad viginti, librae quatuor hujus solutionis tempore duarum horarum exhiberi possunt, a duodecim annis ad sedecim tres librae solutionis, ab octo ad duodecim annos librae duae, a sex ad octo annos libra una hujus solutionis.

PRAEPARATA et COMPOSITA.

BUTYRUM, SEU OLEUM CACAO.
CACAO TABULATA, SEU PRAEPARATA, SEU CHOCOLATA MEDICA.
SAPO CACAO, SEU SAPO VEGETO - MINERALIS. } *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ☉ SEMINA CANNABIS.

N. germ. *Hanf - Saamen.*

N. syst. L. (Cannabis sativa foemina.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 322. ZORN Pl. med. Tab. 532.

Partes usuales. *Semina.*

Cannabis sativa foemina, LINN. *Sp. pl. p.* 1457.

Est Planta annua, Persiae indigena, et in Germania arte culta. Imbecillior et gracilior est Planta mascula et praecocius inarescit, vel, ut dici solet, maturescit; crassior foeminea, quae ob Semina praecipue medici census est. Quatuor supraque ulnarum altitudinem attingere, non rarum est. In Pedemontio ad octodecim supraque pedes succrescit et basis caulis crassitie pollicem superat; qua sub crassitie quoniam levis, valde albus et nitidus, est, instar Scipionis a foeminis praestantioris notae per rura deambulantibus usurpatur. SEMINA sunt grana ovata, subcompressa, quorum testa ex albo cinerea, glabra, bivalvis, suturis prominulis, tenuis, dura, fragilis, altero extremo obtusa, altero foveola rotunda notata nucleum includit epidermide fusca vestitum, saporis oleosi dulcis. Narcotici virus haec Stirps in Asia crescens possidet effectu apud orientales gentes conspicuo,

cuo, quo vero in Europa culta caret. Seminum libra una expressione Olei unguinosi uncias tres exhibuit SPIELMANNO (*Chem. p.* 84.); coloris est viridis, saporis Cannabini, ardet flamma lucida parum fuliginosa. Ablato cortice Seminum dimidiam partem sui ponderis Olei expressione largiuntur, coloris flavi, et longe magis mucilaginosi, quam Oleum Amygdalarum. Uncia una Seminum cum libra una Aquae contusa Emulsum sistit saturatum.

USUS. Ad Emulsiones inde parandas adhibentur.

N. ph. l. V. ⊙ SEMINA CARDAMOMI MINORIS.

N. germ. *Kleine Kardamomen.*

N. syst. L. (Amomum Cardamomum.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 385. ZORN Pl. med. Tab. 336.

Partes usuales. *Semina.*

Amomum Cardamomum; scapo simplicissimo brevissimo bracteis alternis laxis LINN. *Sp. pl. p.* 2.

Est Planta perennis, in Zeylona et Malabaria crescens. Olim in plerisque Pharmacopoliis tres diversitates servabantur, verum Historia variorum Fructuum Cardamomi prout affinium multarum scitaminearum Stirpium adhuc valde manca est, hinc hodie pro usu medico solummodo Semina Fructus Cardamomi minoris Pharmacopolia intrant; haec species enim certe nota et a superius descripta Planta obtinetur, et vi reliquas superat. Fructus est Capsula trivalvis, valvulis flexilibus, dissepimentis membranaceis, trilocularis, striata, pallide lutea, petiolo exiguo, apice decidua, cum duplice Seminum inter se cohaerentium serie. Intus enim latent SEMINA inter se cohaerentia, angulata, multiformia, rugosa, extus subrufa, intus alba, referta medulla alba. Capsula ipsa parum vel nihil saporis vel odoris habet. Semina autem confracta fragrantem et fortem odorem spirant, masticata saporem grate aromaticum, amaricantem, acrem camphoraceum producunt. Semina in Capsula inclusa servanda ad retinendas eorum particulas volatiles. Aqua infusione ex Seminibus eruit praeter aromaticas multas partes copiam mucilaginis, qua tantopere illa abundant, ut vix per filtrum etiamsi diluta transigi queat. Olei aetherei $\frac{1}{12}$ (NEUMANN l. c.) vel $\frac{1}{16}$ (SPIELMANN *M. m. p.* 245.) inest. Est pallide flavum, odoris Cardamomi, et saporis valde acris. Extracti aquosi pondus insignius est, quam resinosi.

VIRES. Stimulantes, calefacientes.

USUS. In colica flatulenta, ita et in laxitate primarum viarum scopo stomachico aliis additur.

DOSIS. In pulvere a grano uno ad quinque. In Tinctura a drachma semis ad unam. OLEUM CARDAMOMI a gutta una ad duas exhibetur.

PRAE-

PRAEPARATA.

TINCTURA SEU ESSENTIA SEMINUM CARDAMOMI.
OLEUM SEMINUM CARDAMOMI DESTILLATUM. } *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ☉ SEMINA CARVI.

N. germ. Kümmel, Mattenkümmel, Wiesenkümmel, gemeiner Kümmel, schwarzer Kümmel.

N. syst. L. (Carum Carvi.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 529. ZORN Pl. med. Tab. 397.

Partes usuales. *Semina.*

Carum Carvi; LINN. *Sp. pl. p.* 378.

Est Planta biennis, in pratis frequens spontanea, etiam arte colitur. Culta planta majora Semina profert magisque oleosa et gratiora, spontanea autem acriora; spontanea ideo in officinis servanda. SEMINA sunt grana parva, ovato-oblonga, uno latere concava et striata, altero plana, incurva, obscure brunea, saporis calidi, aromatici, subamari, acris, odoris fragrantis. Infusum aquosum odorum magis spirituoso, sed sapore imbecillius et coloris pallide rubri. Destillatione cum Aqua aroma ascendit, Extracto remanente fere insipido, unde patet amaras partes esse valde parcas. Vehit multum Olei aetherei, quod simul elicitur idque tanta copia, ut unciae triginta Seminum ejusdem circiter unciam unam erogent (LEWIS *M. m. p.* 187.) SPIELMANNUS vero (*Chem. p.* 214.) ex libra una Seminum solummodo drachmas duas obtinuit. Est coloris lutei, insigniter calidum et acre.

VIRES. Stimulantes, calefacientes, carminativae.

USUS. In colica flatulenta enematibus additur absente inflammatione. OLEUM SEMINUM CARVI a gutta una ad duas cum Saccharo *interne* scopo carminativo. AQUA DESTILLATA Mixturis ad uncias duas vel tres additur.

PRAEPARATA.

AQUA DESTILLATA SEMINUM CARVI.
OLEUM CARVI DESTILLATUM. } *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. **SEMINA CATAPUTIAE MAJORIS, seu RICINI VULGARIS.**

N. germ. *Wunderbaumkörner, grosse Purgierkörner, Treibkörner.*

N.. syst. L. (Ricinus communis.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 148. ZORN Pl. med. Tab. 131.

Partes usuales. *Semina, ablato prius cortice.*

Ricinus communis; foliis peltatis subpalmatis serratis LINN. *Sp. pl. p.* 1430.

Est Planta biennis, in India utraque, Africa et Europa australi habitans, apud nos in hortis et frigidariis colitur. Pharmacopolae cauti est, ut Semina Ricini ipse secundum cl. HEYERI consilium: CRELLS (*neue chemische Entdeckungen P. II. p.* 44 *sqq*) educet; ita et de aliis Plantis, quae saepe adulterantur aut confunduntur optandum esset, ut Pharmacopolae has Plantas ex Horto imperiali botanico desumtas in suis propriis hortis plantarent. Fructus Capsula tricocca est, subrotunda, obsita aculeis succosis, trivalvis et trilocularis. Intus latent SEMINA ovata, utrinque compressa, phaseolum majorem magna, sub cortice tenui, fragili, nitido, ex nigrescente et albicante variegato, nucleum continentia album, unctuosum, saporis subacris. Capsula sponte violenter dehiscit, ut et Semina exsiliant, calore solari vel furni, vel, si parcendum tempori, in mortario lapideo pistilli lignei ope sejungi a seminibus potest, et dein agitatione vel et digitis facile auferri. Conquassando quoque in mortario ligneo exuuntur cortice suo. Semina decorticata expressione copiam *Olei unguinosi* largiuntur, proportione quidem non semper eadem. Potissimum tamen libra una Seminum decorticatorum uncias sex Olei largitur. Ita in Europa expressione elicitur et est spissiusculum, coloris ex glauco viridescentis, saporis et odoris fere nullius, citius rancescit. In Jamaica vero coctione elicitur, et hoc est limpidum, grati odoris, et per longius tempus dulce a ranciditate liberum manet. Semina cum cortice violenter purgant, hinc cortex sollicite a Seminibus aufferri debet, antequam ad exprimendum inde Oleum adhibentur.

VIRES. OLEI RICINI EXPRESSI sunt emollientes.

USUS. In doloribus colicis, colica pictonum, in gonorrhoea, doloribus calculosis tanquam remedium eccoproticum. Verum nihil specifici continet, hinc in omni simili casu *interne* melius OLEUM AMYGDALARUM recens aut adhuc melius BUTYRUM CACAO recens loco OLEI RICINI EXPRESSI et *externe* OLEUM OLIVARUM aut LINI adhiberi possunt.

N.

N. ph. l. V. ⊙ SEMEN CINAE, seu SANTONICI,
seu CONTRA.

N. germ. *Wurmsaamen*, *Zitwersaamen*, *Wurmsaamen - Beyfufs.*

N. syst. L. (An ab Artemisia judaica? LINN. an ab Artemisia contra? LINN. vel Artemisia Santonico? nondum determinatum, forte ab omnibus his speciebus.

Icon. *Artemisiae judaicae* vide ZORN Pl. med. Tab. 367. *Artemisiae Santonicae* Tab. 240.

Partes usuales. *Semina.*

Artemisia judaica; fruticosa, foliis obovatis obtusis lobatis parvis, floribus paniculatis pedicellatis LINN. *Syst. veg. p.* 618.

Est Planta perennis in Judaea, Arabia, et Numidia spontanea. Artemisia Santonicum perennis quoque in Persia et Tartaria hospitat. SEMINA sunt parva, oblonga, coloris ex gilvo viridescentis, odoris peculiaris fortis, saporis amari subacris, resinosi, multis cauliculis, florum et foliorum partibus intermixtum. Optimum est Aleppense, postea Orientale, Indicum et Barbarum seu Africanum minoris virtutis, et ultimum vilissimum. Rejiciatur discolor et longiore Seminum specie mixtum, inodorum et minus intense amari ac resinosi saporis. Adulteratio cum Semine *Abrotani*, flavescentia majori et straminis in pulverem comminuti similitudine proditur. Ex Oriente et Africa hoc Semen adfertur. Infusum spirituosum et in Extractum inspissatum prae aquoso gratum odorem conservat, aquosum autem infusum et Extractum amaritiem absque odore. NEUMANN $1\frac{7}{8}$ Extracti spirituosi $1\frac{3}{4}$ aquosi, fere inertis obtinuit: CARTHEUSER autem hujus ultra $\frac{3}{8}$, illius $\frac{5}{8}$. Praeterea calidae sunt naturae, Oleum enim essentiale continent a quo plurima vis horum Seminum dependet.

VIRES. Vermes necantes, simul calefacientes ob *Oleum essentiale* contentum.

USUS. In vermibus.

DOSIS. Pulvis a granis decem ad drachmam semis. Miscetur cum Vitriolo martis, cortice Peruviano, Mercurio dulci, aethiope Antimoniali, Saccharo aut Melle. CONFECTIO SEMINUM CINAE infantibus ad drachmam unam exhibetur.

PRAEPARATA.

CONFECTIO SEMINIS CINAE SEU SANTONICI.
MORSULI ANTHELMINTICI.
PULVIS ANTHELMINTICUS.
} *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ SEMINA CUCURBITAE.
N. germ. *Mandelkürbis - Saamen*, *Pluzerkörne.*
N. syst. L. (Cucurbita Pepo.)
Partes usuales. *Semina.*

Cucurbita Pepo; foliis lobatis, asperis, pomis laevibus LINN. *Sp. pl. p.* 1435.

Est Planta annua, quae in hortis colitur et praegrandes fructus sistit. Fructus est variae magnitudinis et figurae, cortice instructus laevi, qui, utplurimum per maturitatem flavescit et totus siccus evadit, Pulpa autem magis sicca, utplurimum insipida, includente SEMINA majora, oblonga, utrinque plana acuminata, tota margine tumido cincta, superne ovata, inferne quasi resecta, medullam albam vehentia, coloris albi vel flavescentis, eorum nucleus vero cuticula viridi tegitur. Scatent Oleo unguinoso, ita ut ex libra Seminis una Olei semilibra obtineatur, quod expressum lampadum pabulum commodum praestat, et ob mucilaginem admixtam haec Semina Aqua contusa egregium Emulsum sistunt.

V. ⊙ SEMINA CYDONIORUM. vide *Fructus Cydoniorum.*

N. ph. l. V. SEMINA DAUCI SYLVESTRIS, seu VULGARIS.
N. germ. *Wilder Möhrensaamen*, *wilder Karottensaamen*, *Vogelnestsaamen*, *Möhrenkümmel*, *Eselsmöhremsaamen.*
N. syst. L. (Daucus Carota.)
Icon. Vide BLACKWEL Tab. 546. ZORN Pl. med. Tab. 471.
Partes usuales. *Semina.*

Daucus Carota; Seminibus hispidis, petiolis subtus nervosis LINN. *Syst. veg. p.* 228.

Est Planta biennis, in dumetis, collibus, campis et pratis aridis indigena. SEMINA sunt subrotunda, altero latere plana, altero convexa, aspera, hispida, ex viridi fusca, saporis aromatici, odoris fragrantis. Infusum aquosum umbellarum sex vel septem seminiferarum in vase consueto pro Thea factum gratum sistit potulentum Limonii saporis (LEWIS *M. m. p.* 251.) Olei essentialis odorati aliquid haec Semina largiuntur (*Idem ibid.*).

VIRES. Stimulantes, incidentes, carminativae, stomachicae.

USUS. In laxitate primarum viarum, in flatibus, hydrope, sabulo renum, colica.

DOSIS. In pulvere a granis decem ad scrupulum unum, in infuso uncia semis.

N.

N. ph. l. FABA PICHURIM, seu FABA PECAIRO, seu PECURIS.

N. germ. *Pechurimbohne, brasilianische Bohne.*

N. syst. L. (Arbor nondum satis determinata.)

Partes usuales. *Semen, seu Faba sicca.*

Arbor unde haec Faba provenit, crescit in Brasilia et Paraguay; inde etiam haec ad nos advehitur. FABA seu SEMEN est oblongo - ovatum, uno latere convexum, altero nonnihil concavum, ambobus extremis obtusum, circiter pollicem unum et semi longum, octo lineas latum et nonnullas lineas crassum, saepe sulco longitudinali, foveaque oblonga notatum, extus epidermide ex bruno nigra obductum, intus nucleo dilute fusco, sive ferrugineo, sive ex carneo luteo, punctulis obscurioribus nonnihil variegato, friabili instructum; odoris aromatici inter odorem Nucis Moschatae et Ligni Sassafras medii, ejusmodi saporis amaricantis. Caveas a Faba quadam *Spuria* ex America loco genuinae allata, quae dimidium vera *Faba pechurim* major est, extus rugosa et pallidior, intus profundioris coloris, durior, amarior minusque aromatica. Libra una harum Fabarum expressione largitur unciam unam et semis Olei albicantis, butyracei, odoris penetrantis aromatici adinstar Olei Sassafras. Infusum aquosum valde odorum sapidumque est. In Decocto Seminum refrigerato supernatat oleosa substantia. Alcohol vini tingitur per hunc nucleum colore rubicundo oleoque pariter dicto instruitur, Extractum vero inde paratum acris et fervidi saporis est, odoris saporisque, qualis in Nuce Moschata et Ligno Sassafras.

VIRES. Stimulantes, leniter calefacientes, roborantes, stomachicae.

USUS. In diarrhoeis chronicis et dysenteria praemissis evacuantibus.

DOSIS. In pulvere a granis decem ad drachmam dimidiam aut scrupulos duos bis ter, quater de die. Pro vehiculo Aqua, Vinum vel Spiritus vini idoneus est; levi pretio se se commendat.

N. ph. l. V. ⊙ FABA VULGARIS.

N. germ. *Bohne, Gartenbohne, welsche Bohne, Saubohne, grosse Bohne.*

N. syst. L. (Vicia Faba.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 19. REGNAULT Botan. la Feve de Marais.

Partes usuales. *Semen, seu Faba; et hujus Farina.*

Vicia Faba; caule erecto, petiolis absque cirrhis LINN. *Sp. pl. p.* 1039.
Est Planta annua, in Aegypto et ad mare caspicum in confiniis Persiae spontanea, colitur ubique in hortis agrisque copiose. SEMEN est reniforme, compressum ex arillo crasso gilvo et medulla alba, dum siccum est, con-

constans, callo lineari insidens. Semen tam ante maturitatem quam siccatum coctione praegressa editur. Varietas Semine minori mensas delicatiorum intrat. FARINA Seminum in officinis ex varietate majori occurrit.

VIRES. *Externe* resolventes, discutientes.

USUS. FARINA FABARUM ad erysipelas et tumores calidos mammarum, testiculorum, nec non ad hydrocelen discutiendam applicatur.

V. ⊙ SEMEN FOENICULI DULCIS, seu ITALICI. vide *Radicem Foeniculi.*

N. ph. l. V. ⊙ SEMEN HORDEI, seu HORDEUM.

N. germ. *Gerste, Wintergerste, Sommergerste, Graupen.*

N. syst. L. (Hordeum vulgare.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 423. ZORN Pl. med. Tab. 509.

Partes usuales. *Semina, seu Hordeum crudum; et mundatum; ac perlatum; item Maltum.*

Hordeum vulgare; flosculis omnibus hermaphroditis aristatis, ordinibus duobus erectioribus LINN. *Sp. pl. p.* 125. *Wintergerste* germanis; *Hordeum hybernum.*

Est Gramen annuum ignotae patriae; frumentum notum. Habetur hujus varietas *Hordeum coeleste* seu *hybernum* Seminibus decorticatis, hoc est gluma florali exteriori, quae in altera varietate firmiter adhaeret, denudatis; unde *nackte Gerste* a germanis vocatur; ipsa maturitate perdit aristas. Haec species vulgo versus hyemem seritur, raro vere, unde nomen germanicum *Wintergerste*, *Hordeum hybernum. Hordeum distichon;* flosculis lateralibus masculis muticis, Seminibus angularibus imbricatis LINN. *Sp. pl. p.* 125. *Sommergerste* germanis; *Hordeum aestivum.* Hujus varietas est *Hordeum nudum* Seminibus decorticatis. Haec species tempore verno seritur et exeunte aestate maturescit; unde *Sommergerste* germanis. SEMEN HORDEI (cortice instructi) oblongum, medio crassius, utrinque attenuatum, glabrum, coloris straminei, apice terminatum arista lineari saepe diffracta, ventre longitudinaliter per medium sulcato, dorso et lateribus angulatis, medulla farinacea farctum. Semen integrum, prout ex horreo colligitur *Hordeum crudum* vocari solet; quod cortice autem per molendinam exutum est *mundatum;* et quod mola in formam sphaericam redactum est, *perlatum* germanis (*Perlgraupen*) dicitur. Hordeum antiquis tam cibi varia genera, quam potulenta varia suppeditabat accepta. *Cremor* (*Gerstenschleim* germanis) aqua ex Hordeo viscida dictus. Semina Hordei cruda, prius aqua frigida in tabulatis vel receptaculis commodis emollita, dein per strata loco, quem aer bene perflat, distributa, speciem fermentationis subeunt et germina utrinque protrudunt, denique vero mox siccantur aere vocantur tunc (*Luftmalz* germanis) vel torrentur super furnis commodis vocantur (*Darrmalz* germanis). MALTUM seu MALTA, *Malz* germanis. Hoc Mal-

Maltum intus valde farinosum est, saporis dulcis, odoris grati. Rejiciatur Maltum inaequaliter germinatum, in aqua fundum petens, fragile, sapore et odore supra dicto destitutum. Proximum est, ut in rudiores partes mola frangatur (*Malzschrot* germ.). Et haec quidem prima Cerevisiae initia sunt, cui potissimum parandae haecce encheiresis destinabatur. Sed nostra aetate infusum seu Mustum Malti Hordei medicina magni nominis evasit, cujus praeparatio inter *praeparata extemporanea* seu ex tempore paranda quaerenda P. II.

Idem Hordeum post germinationem leviorem tostum vel siccatum demum pinsitum, seu MALTUM ruditer comminutum, Cerevisiae materies est maxime vulgaris. Potus ex hoc aliisve frumentis pro siti fallenda paratus nec Graecos nec Aegyptios olim latuit, antiquis quoque Germanis notus satis fuit. Maltum hodie in hunc finem sub variis vasorum mutationibus et infusionibus Aqua coquitur et coctio tam diu continuatur, donec Decoctum saturate dulce et clarum obtineatur (*Mustum Hordei*, *Würze* germa.). Additur tum Lupulus, vel, quod praestat, Aqua antea decoctus, vel cum Musto decoquendus, idque fit tam ad mitigandam dulcedinem quam avertendum acorem. Quibus factis fermentationi liquidum committitur, accelerandae fermento adjecto sive fece Cerevisiae, et ante fermentationem omnino cessantem in dolia transfertur, quo ibidem absolvi omnino possit. Ita evolvuntur partim coctione, partim fermentatione duplici, Spiritus et mucilaginosae partes, quae Hordeo insunt, et quum haec multis aquosis diluta in Cerevisia exstent, facile per corporis humani vasa distribuuntur. Difficile quatuor ista bonae Cerevisiae Requisita, Maltum, Lupulus, Fermentum et Aqua, in summa sua integritate combinantur, nec ars coquendi illam et tractandi, postquam domum translata fuerit, ubivis aequali notitia exercetur. Non mirum igitur Cerevisiam pluribus vitiis multis in locis laborare. Secundaria Cerevisia (*Cofent*) tenuis ista est, quae obtinetur nova portione Aquae Malto jam excocto superinfusa, et cum residuo Lupuli cocta. Praeter Triticum et Hordeum, quibusdam in locis ex Avena item ex Secale, Cerevisia coquitur, in Indiis ex Oryza, in America ex Zea Mays. Impraegnatur et subinde ista variis aromaticis sub ipsa fermentatione vel coctione admistis vel in sacculo suspensis.

Cerevisia igitur, seu *Vinum Cereris* potus est ex Semine Cereali Decocto, fermentationem spirituosam passus et Lupuli amarore impraegnatus. Homines in Regiones Viti propagandae parum idoneas delati, hujus potus inventores erant. Cerevisiae habentur variae species. Dividuntur respectu coloris in *albas*, quae ex Malto parum tosto et parum Lupulato constant; albedo enim a Malto, aere tantum siccato vel leniter tosto, vel Tritico ad partem vel omnino adhibito derivanda. *Brunae*, quae ex Malto multum tosto et multum Lupulato conficiuntur. Respectu *consistentiae* triplex habetur Cerevisiae varietas. 1mo Cerevisia *meraca*, quae consistentiam Syrupi habet ut Mumma Brunsvicensis, et in nostris Regionibus praecipue Austria illa *Einbock* dicta. 2do Tenuis, quae diminuta Hordei copia et Aquae momento aucta debilissima est, haec ob farinosam et acescentem indolem in ipsis morbis acutis pro potu admitti potest. 3^tio^ Mediae consistentiae, quae qualis nostra *alba* et *bruna* est, vulgarem consistentiam habet, pro potu diaetetico ad mensam optime adhibetur. Bonae notae Cere-

re.

revisia esse debet non acida, sed amarescens, spumam modice agens dum effunditur, sine qua aerem fixum aufugisse judicatur. Nocet vero ista, cujus fermentatio suppressa, quae non solum ampullas displodit, sed colicam flatulentam, stranguriam et alia mala creat; nocet et male cocta, vel minus recens, vel fece inquinata, non bene defecata, displicet, quae, vel ex deffectu necessarii fermentationis gradus, vel accessu aeris ad vasa, quibus servatur, gas suo destituitur et inde vappidum saporem contrahit. Fex Cerevisiae, leni calore siccata, et in pulverem redacta, si homini robustissimo ad grana tantum tria praebeatur, teste KRAMERO (*med. Castr. p.* 110.) vehementissimas cum maximis doloribus conjunctas ano et cato purgationes excitat. Cerevisia bruna ex libra una in uncias duas coctione concentrata, ita, ut Syrupum referat, corpora resinoso - gummosa efficaciter trituratione solvit.

Respectu frumenti et praeparationis insignis numerus varietatum Cerevisiae habetur. Praecipuae varietates vero sunt sequentes. *Cerevisia Hordeacea*, quae ex Hordeo paratur, *Gerstenbier*, haec iis praecipue in locis, in quibus Vinum deficit, in deliciis est. Bene nutrit, et facile vias urinarias transit, minus calefacit, quam Cerevisia Triticea. *Cerevisia Triticea*, quae ex Tritico paratur, *Weizenbier*. Magis est nutriens et calefaciens, quam hordeacea, segnius autem renes transit, hinc obesitati, viscerum obstructioni, asthmati ob lentorem ansam praebet. *Cerevisia Secalina*, quae Secali paratur, *Rockenbier*, est viridiusculi coloris, saporis haud ingrati, valdo nutriens. At alvum constipare et respirandi difficultatem inducere dicitur. *Cerevisia Avenacea*, quae ex Avena conficitur, *Haberbier*. Tenuis ast Cerevisia, minus spirituosa, minusque nutriens, at magis diuretica, quam alia Cerevisia. *Cerevisia Pini*; quae cum ramulis Pini sylvestris conficitur. *Föhrenbier.* Europaei in America hanc Cerevisiam conficiunt. Si bona est, clara, resinosi saporis, parum nutriens at valde diuretica et antiscorbutica, per plures annos non acescens, hinc pro itineribus maritimis valde apta. *Cerevisia Lagenaria*, *Buttelbier*, quae vitro infusa valde spumescit. Paratur, si Cerevisia cum Sacchari et Cremoris Tartari exigua portione mixta, lagenae forti inclusa, epistomio et pice bene obturetur. Est gratissimi et reficientis saporis, valde putredini et scorbuto ob aerem fixum resistens, facile fertur a stomacho etiam debilissimo. *Mumma Brunsvicensis* est Cerevisia ex Hordeo parata, quae adeo meraca est, ut Syrupi ferme consistentiam habeat. *Braunschweiger Mumme.* Haec clara est, coloris saturatius bruni es saporis grate dulcis, valde spirituosi; adeo durabilis est haec Cerevisia, ut in utramque Indiam sine corruptione iter perferat, quin vectione per mare praestantior fit. Valde est nutriens, roborans at simul valde stimulans et inebrians. Medicamenti igitur potius loco est, quam potui vulgari idonea.

Acetum Cerevisiae, *Bieressig* germ. obtinetur, si, omisso Lupulo, liquidum Cerevisiae destinatum limitem spirituosae fermentationis transgreditur, et in alteram sive acidam transit. Promovetur haec calore conclavis et addito fermento, cujus magna varietas artificibus placet. Rarius ex Cerevisia jam parata Acetum produci solet; pellucidum esse debet, et acore insigni, quem et olfactus percipit, distingui; debilius est et minus gratum Aceto vini, attamen non spernendum in usum culinarem. Hordeum *Amy-*

lum

lum exhibet albido cinerascens, quod Aqua coctum in gelatinam transit ejusdem coloris, tenacem. Ex unciis tribus Hordei eruitur *Amyli* uncia una cum drachmis sex (SCHEELE in BERG. *M. m. p. 57.*). Nihil vero glutinosi alcalescentis inest.

VIRES. Magis obvolventes et plus nutrientes quam Avenae, emollientes, resolventes.

USUS. Forma Decocti tanquam medicamentum nutriens et leniter solvens, etiam hominibus extenuatis scopo nutriente, et si lac ferunt, lacte coctum. In febribus acutis, dysenteria, diarrhoea. *Externe* ad ulcera mundanda, et in gargarismate in angina ulcerosa.

DOSIS. Uncia una aut duae in libris tribus Aquae ad remanentiam librarum duarum. Miscetur cum acidis vegetabilibus, cum passulis contusis in gargarismate et ad detergenda ulcera, cum Melle.

Maltum, seu Malta.

VIRES. Depurantes, obvolventes, solventes, antiscorbuticae; aere fixo contento resistit putredini et scorbuto, mucilagine obvolvit acrimoniam, usu protracto alvum solvit.

USUS. In scorbuto, in exanthematibus chronicis praecipue puerorum. In ulceribus putridis et scorbuticis, tumoribus oedematosis.

DOSIS. Infusum (vide *praeparata extemporanea*) ad libras duas vel quatuor quotidie scorbuto laborantibus propinari debet.

N. ph. l.	V. ⊙ SEMINA LINI.
N. germ.	*Leinsaamen, Lein, Flachssaat.*
N. syst. L.	(Linum usitatissimum.)
Icon.	Vide BLACKWEL Tab. 160. ZORN Pl. med. Tab. 251.
Partes usuales.	*Semina, et Tela.*

Linum usitatissimum; calycibus capsulisque mucronatis, petalis crenatis, foliis lanceolatis alternis, caule subsolitario LINN. *Sp. pl. p. 397.*

Est Planta annua in Pannonia, Hispania, Helvetia aliisque Regionibus australibus inter segetes spontanea, sed in aliis pro usu oeconomico pariter ac medico creberrime colitur. Semen ex Lithuana et vicinia Poloniae ditione, item ex Livonia translatum inprimis expetitur. SEMINA sunt grana ovato-oblonga, compressa, margine acuto, admodum glabra, nitida, cortice plus minusve bruneo, nucleo albo, saporis ingrate dulcis, mucilaginosi, unctuosi, absque ullo odore. Copiam mucilaginis circiter ad $\frac{1}{6}$ continent nec non Olei unguinosi ad $\frac{1}{5}$ (SPIELMANN. *Chem. p.* 102. *p.* 84.). Mucilago infusione cum Aqua fervida vel coctione facile elicitur. Sufficit, ad Aquae uncias sedecim, Seminum non contusorum unciam dimidiam sumere. Spiritus vini rectificatus nihil fere ejus elicuit. *Oleum* ex Seminibus Lini frigide expressum, pellucidum est, lutei coloris, odoris specifici ingra-

ti, saporis pinguis nauseosi, intenso frigore minime congelascens, aeri expositum sensim exsiccescens, flamma flagrans fumante et male olente, facile in rancorem degenerans. Rejiciatur turbidum, obscure luteum, saporis acris sive rancidi. Servetur loco frigido bene clausum. Summi oeconomis momenti est tam pro filis textisque inde parandis, quam pro Oleo ex Seminibus eruendo. Nempe Caules cubitales vel sesquicubitales cortice vestiuntur, qui constat ex copia fibrarum subtilissimarum et tenacissimarum glutine connexarum, quod maceratione in Aqua solvitur, ut nihil nisi fibrosum remaneat. Mox ante, vel, quod praestat, sub Seminum maturatione evelluntur, et in fasciculos colligati sub dio siccantur, tum Capsulis Seminalibus ablatis virgae in Aquam mersae pondere saxi deprimuntur, maceratione facta iterum siccantur, et malleo stupario contunduntur, ut membranosum fragile separetur, quod et in molendinis peculiaribus perficitur; accedit denique carminatio per ferreas spinas. Sic aptum est Linum, quod in fila ducatur. Textorum vero teneritas et grata albedo tam a genio ipso Lini, quam solo, maceratione, et reliqua encheiresi, dein apricationis artificio dependet.

Filorum aeque ac textorum multiplicem esse utilitatem neminem latet. *Telas* lineas commendant maxime candor, puritas, flexilitas, aequabilitas et mollities filorum, cui ipsi tribuas, quod non ita cutis nuda ac a Lana vel Gossypio stimuletur. Elui quoque facile possunt maculae et spurcities, qua contaminantur. Magna in Chirurgia lintei est utilitas ad fasciarum mantiliumque varia genera multiplici nominum varietate a Gallis insignita, quorum vero numerus et applicatio fausto eventu nostro tempore ad majorem simplicitatem redacta est. Taceo splenia, epithemata, sacculos, emplastra rel. quibus materiem linteum suppeditat. Sed de *linteo carpto* specialius dicendum est, quod ex Tela detrita duplici ratione parari solet, vel stamina singula, digitis evellendo, vel ope cultri linteum in flocculos radendo, quae posterior species justius *linteum rasum* dicitur. Applicatur vel siccum, absque peregrino ullo connubio, vel oblitum medicamentis variis pinguedinosae plerumque naturae. Turundae insuper ex filis istis lineis evulsis parantur, glomi, pulvilli multiplicis magnitudinis et figurae, quorum omnium usus specialior ex Chirurgicis petendus est. *Chartam* ex laciniis linteis confici notum est.

VIRES. *Seminum* emollientes, obvolventes, relaxantes.

USUS. MUCILAGO SEMINUM LINI ex Seminibus Aquae infusis parata *interne* in gonorrhoea, in ardore urinae, in doloribus calculosis, miscetur ad Decocta durante usu Mercurii dulcis aut Sublimati corrosivi, cum Melle Rosarum mucilago mixta in aphthis infantum. *Externe* ad gargarismata et injectiones in angina ulcerosa. Ad enemata emollientia, et ad tenesmum forma enematis, ad cataplasmata.

DOSIS. Drachmae tres Seminis ad libram unam Aquae fervidae infundantur. FARINA SEMINUM LINI cum Lacte cocta dat cataplasma emollientissimum, quod ad emolliendos tumores inflammatorios et induratos adhiberi solet. Farina cum Aqua vegeto - minerali cocta exhibet optimum ca-

cataplasma antiphlogisticum pro mammis aut testiculis aut alia parte inflammata, ut multoties experientia didici.

OLEUM LINI EXPRESSUM; *interne* raro adhibetur, excepta colica pictonum aut venenis ingestis. *Externe* abdomen in obstructionibus inungitur hoc Oleo, etiam in enemate in doloribus colicis, aut haemorrhoidalibus adhibetur.

PRAEPARATUM.

FARINA SEMINUM LINI, SEU PULVIS SIMPLEX SEMINUM LINI.) *vide praeparata P. II.*

V. ⊙ SEMEN LYCOPODII, seu MUSCI CLAVATI.

vide *Muscos.*

N. ph. l. **V. ⊙ SEMINA MELONUM.**

N. germ. *Melonenkörne, Melonensaamen.*

N. syst. L. (Cucumis Melo.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 329. ZORN Pl. med. Tab. 360.

Partes usuales. *Semina.*

Cucumis Melo; foliorum angulis rotundatis, pomis torulosis LINN. *Sp. pl. p.* 1436.

Est Planta annua in Calmuchia spontanea, sed apud nos ob gratiam fructus in vaporariis copiose culta. Fructus variae magnitudinis et figurae intra corticem laevem aut tuberculosum includit carnem mollem succosam, coloris rubri, flavi, albi, vel viridis, saporis dulcis, leviter vinosi, aromatici, odoris grati fragrantis, in qua latent SEMINA ovato-oblonga, plana, minora, compressa, ex albo flavicantia, inferne marginata et angustata, quorum arillus coriaceus medullam albam, dulcem, oleosam continet. Si contunduntur, ope mucilaginis, quam continent, Oleum eorum cum Aqua unionem init, lacteumque humorem sive Emulsionem constituit. Oleum Seminum Melonum tamen nimis cito rancescere, docet experientia nota, quod sapidiores Melones gignantur a Seminibus paullo vetustioribus.

N. ph. l. V. ⊙ NUX MOSCHATA, seu MYRISTICA.

N. germ. *Muskatennüsse.*

N. syst. Thunberg. (Myristica moschata sive aromatica.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 353.

Partes usuales. *Nucleus; et Membrana seu Involucrum proximum Nucis, Macis dictum.*

Myristica moschata, seu aromatica; foliis lanceolatis fructu glabro THUNBERG *in Vet. Acad. Handl.* 1782. *p.* 49. et *Diss. Nov. gen. pl. P. V. p.* 83. item in libro *ejusdem de Myristica etc. Upsali* 1788.

Est Arbor magnitudine Pyri vel ultra, in Insulis Moluccanis spontanea, hodie praecipue in Provincia Banda et tribus exiguis ejus ditionis Insulis, nimirum Neyra, Lantoer, et Pulo-ay colitur. Neyraschenses nuces optimae sunt. Fructus Drupa est, pyriformis, sulco longitudinali notata, magnitudine fere Persicae fructus. Extima ejus pellicula in hac glabra est, initio laete virens, maturescendo gilva. Dehiscit sensim una cum carne substrata, quam vestit, albicante, duriuscula, attamen Succo tenui repleta; tumque in conspectum venit *Membrana*, seu Involucrum sive Tegmentum proximum Nucis moschatae, haec subpinguis, chermesini coloris, varia monstrat lora brevia, reticulatim invicem connexa, in lacinias lineares, ramosas, tenaces fissa, quae MACIS *germ. Muskatenblüthen, Muskatenblumen* vocatur. Est odoris fortis balsamici, saporis aromatici, subamari, acris. Eligatur flexilis, tenuis, oleosa, crocea, et valde odorata MACIS, et rejiciatur minus laciniata, fragilis, albicans vel dilutius flavescens. Haec Membrana MACIS immediate cingit Nucem, cujus putamen nigrum fine pedunculo obverso obtusum est, altero instructum acumine exiguo. Inter hoc, quod tenuius nonnihil est cortice Nucis avellanae, latet *Nucleus* subrotundus, solidus, durus, externe nonnihil sulcatus, ex griseo fuscus, intus flavescens et ruffis striis undulatis notatus, tactu pinguis, scissilis, odoris balsamici, saporis grate amari, aromatici. Atque haec ipsa pars seu *Nucleus* in vita communi NUX MOSCHATA seu MYRISTICA, *germ. Muskatennüsse* audit. Nux rotunda minor, vulgo foemina dicta, praeferenda oblongae et majori, Mas dictae, odore et sapore destitutae et intus mucidae ac nigrescentibus striis distinctae. Eligantur Nuclei rotundi, crassiores, pinguiores, ideo acu candente perfusi Oleum exsudantes; cariosi, saporis et odoris debilis rejiciendi.

NUCIS MOSCHATAE uncia una, drachmas duas et scrupulum unum Extracti aquosi odoris debilis et saporis parumper balsamici et amaricantis vix perceptibilis fere inertis et Extracti spirituosi magis amari, aromatici leniter adstringentis et odoris proprii Nucis Moschatae largitur. Libra una NUCIS MOSCHATAE destillatione cum Aqua quatuor aut etiam duodecim drachmas Olei aetherei ex flavo-rubescentis majori consistentia praediti, quae pro parte innatantis et fundum petentis erogat. Expressione quatuor aut quinque unciae Olei butyracei, Sevi consistentiae ex rubro flavi coloris, pinguedinosi obtinentur, et praeterea aliqua quantitas Olei aetherei inde destillatione eruitur. Utrumque ex Hollandia plerumque adfertur leviori quidem

dem pretio, sed ut expressum Sebo et Cera saepissime adulteratum, hinc tam destillatum, quam expressum, etiamsi parumper plus constent, genuina ut sint a Pharmacopolis ipsis paranda. Infusum NUCIS MOSCHATAE aquosum colorem habet albicantem, odorem et saporem Nucis Moschatae, sed debiliorum. Tinctura spirituosa coloris amoeni, flavi, odoris aromatici, et saporis acris aromatici. Aether colorem pallide flavum extrahit. Ex MACI Aether vix aliquid extrahit; infusum aquosum est albicantis coloris, saporis debilis et odoris proprii MACIDIS. Tinctura spirituosa est flavescentis coloris et odoris et saporis ipsius MACIDIS. Uncia una MACIDIS Extracti aquosi drachmas quatuor et spirituosi drachmas duas exhibet. Libra una MACIDIS Olei aetherei tenuissimi volatilis mediocriter acris drachmas quatuor aut sex largitur, odoris valde aromatici ipsius MACIDIS; est pellucidum dilute flavum, Aquae supernatat, crassior et coloratior pars hujus fundum petit.

VIRES. *Nucis* sunt stimulantes, calefacientes, stomachicae, roborantes.

USUS. In debilitate primarum viarum, colica flatulenta, spasmis absente inflammatione, in chlorosi, vomitu a spasmis, et aliis morbis a laxitate; aliis medicamentis ut Rheo ad gratiam additur.

DOSIS. A granis quinque ad decem et viginti in pulvere cum Saccharo. OLEUM DESTILLATUM a gutta una ad sex *interne*. OLEUM NUCIS MOSCHATAE PRESSUM *externe* in diarrhoeis, in vomitu nimio, doloribus colicis abdomini absente inflammatione et in magna debilitate ventriculi cardiae inungitur, etiam coindicatis unguentis nervinis in paralysi additur.

Macis.

VIRES. Stimulantes, calefacientes, stomachicae, roborantes, antispasmodicae.

USUS. In laxitate primarum viarum, colicis doloribus a flatibus aut refrigeratione, in spasmis hystericarum, chlorosi, vomitu a spasmis, aliis medicamentis quoque additur. *Externe* in suffimigio in spasmis.

DOSIS. In pulvere a granis quinque ad decem cum Saccharo. OLEUM MACIS DESTILLATUM a gutta una ad sex *interne*. *Externe* ad unguenta nervina et emplastra stomachica a drachma semis ad unam additur.

PRAEPARATA et COMPOSITA.

AQUA DESTILLATA AROMATICA.
OLEUM NUCIS MOSCHATAE, SEU NUCISTAE EXPRESSUM.
OLEUM NUCIS MOSCHATAE DESTILLATUM.
OLEUM MACIS DESTILLATUM.
PULVIS AROMATICUS.
SPIRITUS NUCIS MOSCHATAE.
SYRUPUS AROMATICUS.

} *vide praeparata P. II.*

SE-

SEMEN OREOSELINI. vide *Radices.*

⊙ CAPITULA, seu CAPSULAE SEMINALES PAPAVERIS. vide inter *Succos inspissatos sub Opio.*

N. ph. l.	V. ⊙ SEMINA PETROSELINI.
N. germ.	*Petersiliensaamen.*
N. syst. L.	(Apium Petroselinum.)
Icon.	Vide BLACKWEL Tab. 172.
Partes usuales.	*Semina.*

Apium Petroselinum; foliis caulinis linearibus, involuccellis minutis LINN. *Sp. pl. p.* 379.

Est Planta biennis in Sardinia et Sicilia sponte crescens, apud nos in hortis colitur. SEMINA sunt exigua ovata, uno latere plana, altero convexa, incurvata, latere convexo quatuor sulcis flavis distincta, profunde viridia, odoris fragrantis, saporis aromatici, amari. Continent Oleum essentiale, quod plurimam partem fundum Aquae petit. Efficacissimas partes Spiritus vini extrahit. Resolvere, flatus dissipare et lotium pellere consensu medentium constat. Externe tutius, quam mercurialia pediculos necant.

VIRES. Diureticae, antiphthiriacae.

USUS. *Externe* pulvis Seminum in unguento capiti pediculoso illinitur. Conquassata *Herba* et mammis imposita Lac discutit, concisa et aegri lotio leviter cocta tumores mammarum induratos dispellit. In puncturis insectorum herba contusa dolorem brevi sistit. *Interne* AQUA DESTILLATA in hydrope convenit cum aliis coindicatis. UNGUENTUM CONTRA PEDICULOS in Tinea melius ad fugandos pediculos, quem mercurialia adhibetur.

PRAEPARATA.

AQUA DESTILLATA SEMINUM PETROSELINI.
UNGUENTUM CONTRA PEDICULOS. } *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ PIPER NIGRUM.

N. germ. *Schwarzer Pfeffer, gemeiner Pfeffer.*

N. syst. L. (Piper nigrum.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 348. ZORN Pl. med. Tab. 557.

Partes usuales. *Baccae immaturae siccatae.*

Piper nigrum; foliis ovatis subseptemnerviis glabris, petiolis simplicissimis LINN. *Sp. pl. p.* 40.

Est Planta frutescens, sarmentosa, radiculas in caule protrudens, in India orientali quidem spontanea, sed ignobilem et amarum fructum fert, nisi cultura subveniat; hinc inprimis in Malabaria, Sumatra, et Java colitur. FRUCTUS sunt Baccae virides immaturae, maturescendo rubicundae, pisi minoris magnitudinis, globosae, compactae, durae, non petiolatae, siccatione nigricantes, intus ex cinereo albidae, odoris subaromatici, saporis acris urentis. Aqua Piperis nigri destillata odore et sapore Piperis, attamen mitiori, quam illud, instruitur. Una cum ea ascendit sub destillatione Oleum, sub finem adeo operis. Recens illud fere excolor vetustate in aureum transit. Fluidum est, aqua levius, odore Piperis, sapore simili, sed blando nec tam mordaci, ut in Pipere manducato, et mox inter gustandum evanido. Libra una Piperis nonnisi Olei drachmas duas emittit, nisi Aqua jam ad ejus destillationem adhibita paretur. Libra una Piperis impertit quingentis et quinquaginta adeo Aquae libris saporem suum coctione, etiamsi oleosa parte destillatione antea privatum fuerit, cineres ex residuo combusto nihil Salis continent, sed particulas magnete eliciendas. Verum cineres Piperis nigri recentis combusti Sal alcali minerale et aliquid Salis communis continent. Inhaeret praeterea Piperi pinguedo quaedam, partim ceraceae, partim gummosae naturae, quae sapidum Piperis in se continet. Alcohol vini Pipere digestum ex rubro nigricat, et postquam istud solubilibus partibus sic imbutum fuerit, reliquum Piperis ad gustum odoremque iners omnino est. (vide GAUBII *Advers. p. 55 sqq.*). Distinguendum utique est inter ea Aromata, quorum exaestuans potentia, in Oleo aethereo latens, universalem humorum commotionem efficit, et Piper, quod ejusmodi Oleum non continet, et modice ingestum topicum modo stimulum excitat. Hinc commode variis ferculis non saporis unice causa, sed pro adjuvanda ciborum digestione usu quotidiano additur.

VIRES. Stimulantes, calefacientes.

USUS. *Interne* instar Aromatis cum cibis difficilioris digestionis, in pituita ventriculi, jejuno ventriculo mane sex aut duodecim grana juxta cel. UNZER. *Externe* capiti inspergitur ad fugandos pediculos, ope cochlearis applicatur uvulae prolapsui. Granum immittitur denti carioso.

DOSIS. In pulvere a granis quinque ad decem, in Vino a scrupulo uno ad drachmam et quidem frigide infunditur. *Externe* Piper rubefacit cutim, praecipue in pulvere, hinc ad Sinapismos adhibetur; ad unciam unam

se-

Seminum Sinapi ad augendum stimulum drachmae duae pulveris Piperis nigri adduntur pro Sinapismo.

N. ph. l. ⊙ SEMEN SABADILLI vel SABADILLAE.

N. germ. *Sabadilsaamen, Mexicanischer Läusesaamen.*

N. syst. L. *Veratri* verosimile species nondum satis cognita; nemo enim botanicorum Mexicanam plantam, quae Seminis mater est, recentem vel siccam descripsit.

Partes usuales. *Semina.*

Ex Mexicano Regno adferuntur. *Miscela* est ex Seminibus vel nudis vel intra Capsulas suas reconditis, Capsulis vel integris vel diffractis, particulisque florum ac pedunculorum variis, proportione dubia et inaequali. Capsulae ovato - oblongae, compressae, circiter semipollicares, in medio utriusque lateris sutura longitudinali, ex qua tenues ramosae costae oblique exeunt, notatae, SEMINA bina includentes, coloris straminei. SEMINA oblonga, uno extremo obtusa, altero acuminata, latere uno subplana, altero convexa, margine acuto, compacta, nitida, profunde brunea vel nigrescentia et subrugosa, intus albida, saporis acerrimi ingrate amari, pungentis, salivam attrahentis. Odore carent Semina, ast pulvis eorum naribus attractus sternutationem movet, et quidem vehementer. Infusum aquosum valde acre et causticum, spirituosum pariter, sed simul prodit odorem fortem aromaticum. Extractum aquosum primum octavam fere partem ponderis Seminum constituit, spirituosum autem fere quartam. Semina in pulverem redacta vim suam amittunt mora.

VIRES. *Interne* drasticae, irritantes; *externe* pediculos et cimices necantes.

USUS. In verme Taenia *interne* exhibetur. *Externe* in phthiriasi capitis vel totius corporis. Pulvis capiti inspergitur vel vestibus insuitur. Caute tamen etiam *externe* adhibenda haec Semina, cum ab externa applicatione quandoque vomitus, animi deliquia et alvi dejectiones oriantur.

DOSIS. Celeb. SCHMUCKER adultis grana quindecim pulveris Sabadillae cum Melle forma boli fausto eventu in verme Taenia adhibuit. Infantibus ab annis duobus ad quatuor, grana duo pulveris bis de die cum decem aut duodecim granis Rhei; a septem, ad octo annos, quinque grana pulveris; ab octo ad duodecim, decem grana pulveris; verum celeb. PLENCK inde maniam et celeb. LENTIN convulsiones observarunt, hinc *interne* maxima cautela et nunquam antea adhibendum, nisi securiora remedia omnia antea tentata, nullum producant effectum.

SEMEN SANTONICI. vide *Semen Cinae.*

N.

N. ph. l. V. ⊙ SEMEN SINAPIS NIGRAE.

N. germ. *Schwarzer Senf.*

N. syst. L. (Sinapis nigra.)

Icon. *Sinapeos nigrae* vide BLACKWEL Tab. 446. ZORN Pl. med. Tab. 152. et *albae* vide BLACKWEL Tab. 92.

Partes usuales. *Semina.*

Sinapis nigra; siliquis glabris racemo appressis LINN. *Syst. veg. p.* 503.

Est Planta annua, in aggeribus ruderatis et in agris spontanea, plerumque vero praecipue *Sinapis alba* in hortis colitur. SEMINA sunt exigua, rotunda, nonnihil compressa, striis concentricis notata, nigrescentia, saporis subamari acris; in pulverem redacta nares feriunt. Pro Semine *Sinapeos nigrae* etiam adhiberi potest *Semen Sinapeos albae* sive *Semen Erucae, weisser oder gelber Senf*, ejusdem figurae, coloris vero flavescentis, saporis minus acris. Semina destillata Aqua largiuntur Oleum aetherum Aqua specifice gravius, intense acre naresque valde afficiens; reliqua ejus pars Extractum subdulce mucilaginosum erogat. Extractum spirituosum amaricans et oleosum est. Differt ab Oleo dicto aliud expressione eliciendum, ut quod blandum et insipidum, remanente acrimonia in pasta (LEWIS *M. m. p.* 544.). Vera tamen etiam vestigia Salis alcalini volatilis Semini inesse visa, quae mitiori igne per destillationem ejusdem cum cineribus clavellatis et Aqua se se declararunt (WIEGLEB *v. d. alcal. Salzen p.* 197. *Experim.* 79.).

VIRES. Rubefacientes.

USUS. Sinapismus seu Cataplasma ex fermento panis acidi et Semine Sinapi *externe* in arthritide vaga, podagra retropulsa, febribus putridis, biliosis, inflammatoriis, in insultibus apoplecticis, convulsionibus, variolis et paralysi in eodem casu ubi Cantharides conveniunt, praecipue in hominibus ubi Cantharides facile stranguriam efficiunt; quidam etiam in febribus putridis et variolis Cantharidibus praeferunt: quia tum a Cantharidibus facile ulcera mali moris aut grangraena oritur. Ubi subitanea revulsio requiritur Sinapismi valent, quia citius agunt et eodem modo irritant ut Vesicantia. Etiam forma fomenti, cataplasmatis aut balnei adhibentur. Sinapismi simplices constant ex uncia una aut duabus Seminum Sinapi grosso modo contusis. Acetum loco Aquae melius additur; Acetum squilliticum magis irritat. Pulvis Cantharidum solummodo tum additur, si non satis irritat, grana quinque Cantharidum ad unciam semis Seminum Sinapi. Etiam Allium, praecipue in hystericis additur, Raphanus rusticanus seu Armoracia ad balnea ex Seminibus Sinapi additur, quae in arthritide vaga, et paralysi non satis commendari possunt. Ad unum balneum unciae duae aut quatuor Seminum Sinapi contusorum adhibeatur. Suris melius, quam plantis pedum Sinapismi applicantur.

N. ph. l. ⊙ TRITICUM vel TRITICI SEMINA.

N. germ. *Weizen; dessen Winterfrucht, wie auch die Sommerfrucht.*

N. syst. L. (Triticum hybernum; et Triticum aestivum.)

Icon. Vide in HALLERI comm. Soc. Götting. 1774. p. 7. *Triticum hybernum*, locustis quadrifloris glabris, basi subhirsutis glumis submuticis Tab. 1. fig. 2. ubi spica modo partialis depingitur. item TOURNEFORT. Institut. Rei herb. Tab. 292. *Triticum aestivum* locustis quadrifloris basi subhirsutis, glumis exterioribus floralibus aristatis vide HALLERI comm. Soc. Götting. 1774. p. 5. fig. 1. item TOURNEFORT. Institut. Rei herb. Tab. 293.

Partes usuales. *Semina; horum Farina; Amylum; Furfures Tritici; et Mica Panis albi.*

Triticum hybernum; calycibus quadrifloris ventricosis laevibus imbricatis submuticis LINN. *Sp. pl. p.* 126.

Annuum Gramen est. Procerius, perfectius. Pluribus culmis emergit floribus plerisque fertilibus.

Triticum aestivum; calycibus quadrifloris ventricosis glabris imbricatis aristatis LINN. *Sp. pl. p.* 126.

Annuum quoque Gramen, sed macilentum et debilius praecedente est. Culmos fert pauciores et flores pauciores perficit.

Ad HALLERI judicium varietate modo, non specie, differt inter se utrumque, ut ex dictis intelligitur. Nempe aristae non omni tempore, nec omni loco in spica adsunt et longitudine vario gradu discrepant. Solum macrius, negligentior cultus, et satio Seminum valde recentium proventui aristarum favere solet. Praeterea magnitudo spicularum et granorum, hirsuties spicularum rel. in Triticis varietates efformant multiplices; unde ingens diversorum nominum vis, a loco culturae praeprimis desumta. Ratio horum discriminum in solo et climate quaerenda videtur. Triticum ex Sicilia in reliquas terras occidentales primo translatum esse, justa suspicio est (HEYNE *Programma de frugum et panificii initiis in opusc. Vol. I. p.* 355.). Colitur jam in omni Europa tum caldiori, ut Lusitania, quam frigidiori, ut Suecia, Russia. Viget quoque in Persia, Terra Yemen, aliisque Regionibus fertilibus, in Aegypto in Tingitanam Terram usque, Graecia, item America septentrionali et in Chili et Peruvia. Molliora grana sunt frigidiorum Regionum, duriora et lapidea fere calidiorum, quae et optimum Triticum exhibent. SEMINA sunt ovato-oblonga, longitudine sesquilineae, sursum gibbosa, deorsum sulco longitudinali exarata, antice cicatrice obliqua, postice villo exiguo distincta, cortice flavescente, intra quem medulla s. farina albissima; colliguntur ut alia Cerealia. Duplicis est naturae farina triticea, una ejus pars accedit ad indolem animalem *glutinosa* dicenda; altera ad vegetabilem, *amylacea*. *Glutinosa* pars collam glutinandi vi refert, Aqua non solvitur nec Oleis nec Spiritu vini, e contra cum iis cocta magis induratur. Sola acida eam coctione solvunt, inde difficilis digestio farinaceorum declaratur. Putredine correpta foetet instar casei antiqui vel cadaveris, multum alcali volatilis continet et Oleum empyreumaticum lar-

gitur destillatione sicca. Usta odorem spirat instar Cornu. Et probabiliter Acidum Phosphori continet; inde patet cur cel. MARGGRAF destillando Triticum ex residuo hujus igne violentissimo Phosphorum obtinuerit. Hujus partis *glutinosae* unciam unam et semis ex libra una farinae triticeae conquassatae et agitatae cum Aqua, donec affusa haec non amplius lactescat obtinuit celeb. MÖNCH (vide *Systematische Lehre v. Arzneymitteln Edit. III. 1795. p. 17.*). Per se haec pars glutinosa vix est digestibilis, et ratio difficilis digestionis ciborum farinaceorum. Fermentatione vero adeo intime cum reliquis partibus unitur, ut hac peracta impossibilis sit hujus separatio. Habetur pro parte maxime nutrititia Cerealium; verum per se sola non est. In miscella autem cum principio Saccharino Cerealium et Amylo fermentationem promovet.

Altera pars sive *amylacea* seu AMYLUM, *Kraftmehl, Stärkmehl* germ. est principium farinaceum frumenti inprimis Tritici, ex Tritico comminuto per Aquam frigidam elicitum, a principio glutinoso secretum, et sponte praecipitatum, coloris nivei, albissimi, inodorum, insipidum, in Aqua frigida insolubile, optime in calida, post fermentationem acescens, cum alcali dein effervescens et Tincturam Violarum rufans; Aquam modo lacteam reddens, nisi cum ea coquatur, quo ipso in pultem viscidam abit. Eligatur coloris albissimi, sine omni odore ac sapore, in massas glomeratum, quae sub contritione debili in longa et angusta prismata dissiliunt et in manibus tritum stridens. In variis Germaniae locis praeparatur. FURFURES, *Kleyen*, sunt cortices Seminum Tritici forma pulveris grossi detriti, coloris flavescentis, a medulla seu farina alba separati. Ex Tritico quintuplex FARINAE species paratur ad panem inde conficiendum. 1mo *Farina Siliginea Tritici*, *Weizen-Mundmehl.* Quae flos farinae est, tenerrimum et facillimae digestionis dat panem; cum lacte panem lacteum *Milchbrod* constituit. 2do *Farina Similagea Tritici.* Est pura farina triticea, inde *panis albus*, *weisses Brod*, seu Similagines, *Mundsemmeln*, conficiuntur. 3tio *Farina cibalis, Speismehl.* Ex farina et furfure subtili constat. Inde *panis domesticus albus*, *weisses Hausbrod* paratur. 4to *Farina confusanea*, *Weizen-Mangmehl.* Ex farina a furfuribus non separata constat. Inde *panis militaris triticeus - Weizen-Kommissbrod* paratur. 5to *Farina Furfuracea, Kleyenmehl.* Ex grossiori furfure et pauca farina constat. Inde *panis furfuraceus*, *Kleyenbrod* conficitur, qui solo annonae tempore a pauperibus in cibum adhibetur. Farina rudius molae ope comminuta *Alica, Griefs* germ. vocatur. Superest, ut de Tritici ad Cerevisiam usu moneam, cui multis locis indulgent. Quum vero Cerevisia hordeacea longe vulgatior sit: aptius, quae ad Cerevisiae generalia pro instituti ratione spectant, capite Hordei commemoravi.

Farina Tritici.

VIRES. *Farinae Tritici* nutrientes.

USUS. Cum Lacte cocta cataplasma emolliens, cum Aceto et Aqua cocta cataplasma resolvens sistit, fermentum acidum gangraenae siccae et ulceribus malignis applicatur et Sinapismos.

Amylum.

VIRES. Obvolventes, glutinantes.

USUS. *Amylum* aqua dilutum dat gelatinam, quae aqua diluta pro gargarismate obvolvente in asperitate faucium inservit. Etiam ad pilulas conspergendas.

Furfures Tritici ad pediluvia et enemata emollientia adhibentur.

SECTIO II.

FILICES.

N. ph. l. V. ⊙ FILIX MAS, seu FILIX NON RAMOSA DENTATA.

N. germ. *Farnkraut, Johanniskraut, Johannishand, männliches Farenkraut.*

N. syst. L. (Polypodium Filix Mas.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 323. ZORN Pl. med. Tab. 497.

Partes usuales. *Radix, omnibus fibris et utraque extremitate rescissis; sicca.*

Tempus collectionis. *Autumno exeunte colligenda radix.*

Polypodium Filix Mas; frondibus bipinnatis, pinnis obtusis crenulatis, stipite paleaceo LINN. *Sp. pl. p.* 1551.

Est Stirps perennis, in sylvis Europaeis montosis etiam maxime septentrionalibus indigena. RADIX est oblonga, digitum circiter crassa, undique ovatis, incurvatis, approximatis, nigricantibus tuberculis ferrugineis obsessa, infra fibrosa. Color recentis pallide viridis, siccatae albus subrubescens; odor nauseosus, sapor initio subdulcis postea amaricans constringens. Ex Radicis siccae unciis sex decoctione Extracti aquosi primi, saporis subdulcis leniter adstringentis tandem amaricantis, obtinentur unciae duae, et drachmae sex cum scrupulis duobus; et ex eadem quantitate Radicis Extracti resinosi primi uncia una, et drachmae septem cum scrupulo uno, magis adstringentis et amari (CAR. CHRIST. GMELIN *Dissert. consid. general. Filicum p.* 34.).

VIRES. Anthelminticae, et adstringentes.

USUS. Ad necandos vermes intestinales praecipue Taeniam.

DOSIS. Infantibus usque ad quintum annum pulveris grana triginta ad drachmam unam, usque ad duodecimum annum drachmam unam aut duas, ad-

adultioribus usque ad drachmas tres pro dosi. Miscetur etiam cum Resina Jalappae, Gummigutta, Mercurio dulci, Herba gratiolae. Si certi sumus de Taenia praesente, mane jejuno ventriculo drachmae tres Radicis Filicis pro dosi et duabus horis post, drachma semis pulveris Radicis Jalappae cum grano uno TARTARI EMETICI FORTIORIS propinatur.

N. ph. l. V. ⊙ FILIX FOEMINA.

N. germ. *Weibliches Farenkraut.*

N. syst. L. (Pteris aquilina.)

Icon. Vide BLACKWEL Herb. Tab. 325. BOLTON Filic. Brit. p. 16. Tab. 10.

Partes usuales. *Radix sicca.*

Pteris aquilina; frondibus supradecompositis, foliolis pinnatis pinnis lanceolatis, infimis pinnatifidis, superioribus minoribus LINN. *Sp. pl. p.* 1533.

Est Planta perennis, crescens in sylvis sterilibus et dumetis asperis. RADIX est longa, digitum crassa, solitaria, extus nigra, interne maculata, saporis viscidi amaricantis et magis nauseosi, quam in Filice mare. Librae ejus tres erogant Succi expressi uncias sex tenacitate Mellis instructi (CAR. CHRIST. GMELIN *Diss. de Filicibus p.* 28.). Ex Radicis siccae Aqua decoctae libra una pond. med. obtinetur Extracti aquosi primi magna quantitas, scilicet unciae novem saporis amaricantis subadstringentis; Extracti spirituosi primi autem emergunt ex eodem pondere Radicis modo drachmae quatuordecim cum scrupulis duobus. In laude contra Taeniam apud multos pari passu cum Filice mare ambulat, quin quidam hanc Pteridem seorsim memorant, aut alteri praeferunt. Ita HALLERUS, ALSTON et ANDRY.

VIRES, USUS et DOSIS praecedentis *Filicis maris.*

SECTIO III.

MUSCI.

N. ph. l. V. ⊙ LYCOPODIUM, seu MUSCUS CLAVATUS.

N. germ. *Bärlap, Erdschwefel, Johannisgürtelsaamen, Hexenmehl.*

N. syst. L. (Lycopodium clavatum.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 535. ZORN Pl. med. Tab. 54.

Partes usuales. *Semina, seu potius Pollen Antherarum.*

Tempus collectionis. *Mense Augusto vel Septembri, ubi maturatio contingit, colligitur.*

Lycopodium clavatum; foliis sparsis filamentosis, spicis teretibus pedunculatis geminis LINN. *Sp. pl. p.* 1564.

Est Planta perennis in sylvis abiegnis item in torfaceis, ericetis, et in viis arenosis habitans. *Semen* seu *Pulvis, Pollen, Sulphur,* seu *Farina* Lycopodii latet forma pulveris pallide flavi in spicae bivalvibus et reniformibus capsulis, ut DILLENIUS HALLERUS*que* illas vocant, vel antheris, ut LINNAEUS nominat. Hic ipse prout pro vero antherarum polline, non Semine, istum pulverem habet, ita et HALLERUS (*Hist. stirp. Helv. P. III. p.* 19.). Erumpit sponte capsulis dehiscentibus; pro usu autem Muscus resecatur, antequam squamae spicarum pateant, et siccato eo dein domi conquassatione spicarum pulvis excutitur. Cribratione facta servatur vasis probe clausis. Pulvis hic omni odore et sapore destituitur. Aquae injectus superficiem servat, diuturna tamen agitatione pars fundum petit. Constat ex globulis minutissimis. Contrectatus digitis mollitiei sensum excitat et potius pinguedinis quam siccitatis, et adhaeret digitis. Inspersus flammae candelae vel alius ardentis corporis accenditur cum fulguratione et strepitu, non autem candenti carboni impositus, super quo ipso fumans lente consumitur. Aqua valde exiguum extrahit, scilicet ex pulveris uncia una grana modo octo; Spiritus vini autem octavam totius partem, quae ipsa vel Extractum resinosum vel Oleum est, utrumque nauseosi saporis. Celeb. BERGIUS destillatione ex unciis quatuor pulveris Lycopodii obtinuit phlegmatis aciduli lutei drachmas sex, Olei liquidi nigricantis totidem et Olei butyracei collo vasis retorti adhaerentis fusco lutei drachmas duas, remanente in fundo carbone atro fragili. Sic igitur eadem redundant ex hoc pulvere, ac ex Cera, quam Apes ex polline antherarum effingunt.

VIRES. *Musci* specificae in Plica polonica censentur.

USUS. In Plica polonica.

DOSIS. Poloni ex Herba *Lycopodii* et *Branca ursina* decoctum parant, cui fermentum addunt, ac dein pro potu ordinario adhibent. *Externe* quoque vi abstergente in Plica polonica latente vel suppressa fomenti forma Herba aqua vel cerevisia cocta capiti applicatur et Plica tunc saepe prodit cum symptomatum levamine.

Farina Lycopodii.

VIRES. Lenientes, discutientes.

USUS. In excoriationibus, papillarum fissuris, infantum intertrigine. *Pilulae* hac farina consperguntur, ne conglutinentur.

SEC-

SECTIO IV.

ALGAE.

N. ph. l. V. ⊙ LICHEN ISLANDICUS.

N. germ. *Isländisches Moos, Isländische Flechte, Purgier-Moos.*

N. syst. L. (Lichen Islandicus.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 599. ZORN Pl. med. Tab. 138.

Partes usuales. *Lichen siccus.*

Lichen Islandicus; foliaceus adscendens laciniatus, marginibus elevatis ciliatis LINN. *Sp. pl. p.* 1611.

Est Alga perennis, in Islandia copiose unde nomen, sed et in Helvetiae atque Germaniae ericetis, ac sylvis arenosis et sterilibus v. g. in Hercynicis ad terram et saxa, etiam locis alpinis et montanis proveniens. LICHEN hic constat foliis siccis, coriaceis, laciniatis lobisque iterum incisis et laciniatis, margine elevato pilisque brevibus tenerrimis rigidis, parallelis obsesso, maculis albis punctatis, et in apice communiter subrubicundis; passim inveniuntur peltata, nitida, viscida, nonnihil excavata corpora, intus brunea, quae sunt pericarpia. Recens coloris ex viridi fulvi, vel ex cinereo brunei; siccatus vero ex albo viridis, vel grisei oleagini, saporis amaricantis et mucilaginosi. Accipimus interdum *varietatem* Lichenis Islandici genuini, inprimis Sueciae indigenae ac passim Germaniae, cujus folia minora, teneriora, crispiora, pilis in margine destituta, coloris pallidioris, plumbei et subtus ruffi sunt. Nihil in odore memorabile hic Lichen habet, praeter Algarum et Fungorum solitum; decoctum vero ejus aqua factum nonnihil fragrans sentitur, lacteum vix ita. Masticatione amarus sapor mox evolvitur, qui tamen nihil ingrati admixtum habet, licet satis intensus. Aqua coctione recipit eum, sed adeo tamen tenax inhaeret Licheni ut decoctum vigesimum adhuc manifesta amaritiei vestigia prodat. Lac si substituitur, ob oleosas partes amaritiem aliquantisper temperat. Penetrat amarities stirpis in ipsum lac nutricis, ita ut illud sugere infans detrectet (KÖLPIN casu singulari in PALLAS N. *nord. Beyträge. Vol. II. p.* 343.). Decoctum aqua factum colorem luteum prae se fert, affusa autem solutione Vitrioli Martis colorem induit rubrum. Lacte coctus hoc per triduum et ultra contra coagulum tuetur (MYGIND in SCOPOLI *Ann. hist. nat.* 2. *p.* 113.). Ex Lichenis unciis quatuor, cum aqua repetito affusa coctis, mucilaginis e rubicundo cinereae albicantis subamarae unciae sedecim cuidam rem exploranti emerserunt (TROMSDORF *Diss. de Lich. Island. p.* 12.). Alius fere duplo plus, quam iste, mucilaginis amarae rubicundae obtinuit ejusdem fere consistentiae, ac Gummi arabicum triplo aquae solutum.

Ex

Ex unciis quatuor Lichenis cum libris circiter viginti quatuor aquae per sex fere horas coctis, donec librae circiter duae supersint, post colationem et refrigerium gelatina amaricans obtinetur, quae in *Extractum* densata pendet uncias duas et drachmam unam, et hoc quidem omni fere amaritie destituitur. Extracti spirituosi autem primi ex Tinctura olivacea nonnisi drachmas duas et scrupulos duos ex Lichenis unciis quatuor lucramur, quod tamen cedit amaritie Extracto spirituoso secundo, utquod ipsum amaricans subadstringens et nauseosum est. Longe plus itaque Extracti aquosi, quam spirituosi, Licheni huic inest. Mucilago eam tenacitatem habet, ut chartam leniter conglutinet. Uncia istius dimidia cum Olei Amygdalarum aequali quantitate trita illud Aquae unciis sex miscibile reddit; item Oleum Ricini et Terebinthinae cum Aqua combinat, ita tamen, ut haec Olea post aliquot horas superficiem Aquae petant, concussione subsequente iterum conjungenda. Subigit quoque Campheram, ejusque prout Olei Terebinthinae saporem urentem et Olei Ricini amarum mitigat. Nullae vero partes amylaceae nec glutinosae evolvi possunt, quae in farina Cerealium tamen latent. Destillatione cum Aqua prodit liquidum debilissime acidulum et subacre. Ex iis, quae vehementiori igne eruta, hic nominatim Terra martialis, quae exigua quantitate combustione comparet, commemoranda; pauxillum modo Salis alcalini fixi inest; taceo indissolubiles partes. Ex his igitur colligitur, Lichenem Islandicum fere ad dimidium pondus mucilaginosas et pauciores partes resinosas continere, quae ipsae una cum mucilagine aqua suspensae haerent, admistas quoque esse amaras et blande adstringentes. Unde tam nutriendi vi, quam roborandi et antiseptica excellere jam hariolando patet, id quod ulterius experientia confirmat. Experimenta enim cum Lichene Islandico ac Cortice Peruviano instituta, vires antisepticas huic analogas demonstrant.

VIRES. Recentis Plantae eccoproticae, siccatae vero non; obvolventes, roborantes.

USUS. In contabescentia ab ulcere, vel vulneris nimia suppuratione, aut a salivatione mercuriali inducta, in genere in morbis consumtivis, Phthysi, Haemophthysi, Vomica, et aliis morbis pectoris.

DOSIS. In pulvere a drachma semis ad unam. In decocto, pulmentum ex uncia una musci et aquae aut lactis libris duabus paratum quotidie pro dosi datur. GELATINA LICHENIS ISLANDICI a drachmis duabus ad unciam unam exhibetur.

N. ph. l. MUSCUS CUMATILIS.

N. germ. *Grünes Ledermoos.*

N. syst. L. (Lichen aphthosus.)

Icon. Vide ZORN Pl. med. Tab. 447. DILLENIUS Hist. musc. p. 207. Tab. 28. fig. 106. Lichenoides digitatum laete virens verrucis nigris notatum. HOFFMANN Pl. Lich. Vol. I. Fasc. 1. Tab. 6. fig. 1. p. 28. Peltigera aphthosa. CF. et *Icon* Flor. Danic. Tab. 767. fig. 1.

Partes usuales. *Alga integra sicca.*

Lichen aphthosus; coriaceus repens lobatus obtusus planus, verrucis sparsis, pelta marginali adscendente LINN. *Spec. pl. p.* 1616.

Est Alga terrestris in sylvis sterilibus acerosis habitans, praecipue super terram inter frutices Iuniperi. Odor illi teter mephiticus inest; et insigni vehementia alvum purgat, quae vis nominatim infuso aquoso adscribitur. Novissimis experimentis vis anthelmintica confirmatur, quum pulveris ejus grana duodecim vesperi et mane per sex vel octo dies infantibus exhiberentur, raroque spem hic Lichen fefellit (WILLEMET *Lichenographie econom. Mem. I.* p. 22.).

N. ph. l. HELMINTHOCHORTON, CONFERVA HELMINTHOCHORTOS, seu CORALLINA RUBRA, CORSICANA, seu MELITOCHORTON.

N. germ. *Corsicanisches Moos*, *Wurmmoos*, *Wurmconferve.*

N. syst. de la Tourrette. (Fucus helminthochorton.)

Icon. Vide BARELLIER Plantae per Galliam, Hisp. et Ital. observ. p. 120. Tab. 1276. n. 3. Corallina minima bifida s. Muscus Coralloides bifidus. SWENDIMANN Diss. Helminthochorti Historia natura atque vires, Argent. 1780. p. 9. Conferva helminthochortos; dichotoma uncialis, rufescens, ramis horizontalibus.

Partes usuales. *Alga integra sicca.*

Fucus Helminthochorton; DE LA TOURRETTE *in Jour. de Physique* 1782. *Sept. cum Tab I.* fig. 1 — 10.

Est Alga, quae in rupibus mari inundatis et lapidibus ac conchyliis in littora conjectis praeprimis Corsicae innascitur. HELMINTHOCHORTON est Alga ex fasciculis pollicem circiter longis et lineas nonnullas crassis constans, qui ex copia tenuium, obtuse ramosarum, nodosarum fibrarum aggregati, uno extremo, nempe basi, invicem intricatarum horizontalium et filiformium, altero autem erectarum subulatarum, apice bifidarum vel trifidarum, coloris ex rubro-brunei vel fusci, saporis salsi sine stridore inter dentes, sed cum tenacitate et mollitudine odorisque ingrati. Aquae immersum partes evolvit implexas, nonnihil intumescit, colorem rubrum amittit

et Aquae impertitur sub agitatione crebra mucilaginem, cito autem tunc putrescit; prunis inspersum strepitat cum odore vegetabili. Infusione cum Aqua non solum Sal, sed mucilaginis multum eruitur (SCHWENDIMANN l. c. p. 11. HAPP *Diss. verm. intestin. hom. Historia* p. 47.). Est, qui nullum aliud Sal, quam marinum illi inesse agnoscit (HAPP l. c. p. 47.). Addit vero alius majori Salis communis copiae Sal Glauberi, Seleniten atque Alcali fossile cum non parca Terrae inertis portione (SCHWENDIMANN l. c. p. 13.).

Fuci hujus unciae duae exhibent Extracti aquosi primi drachmas quatuor cum dimidia, badii coloris inodori salsi et Extracti resinosi secundarii vix grana sex. Ex eodem fuci pondere nonnisi Extracti resinosi primi grana quindecim elicita (*Idem* p. 13. sqq.). Mirum, quod cl. HAPP (l. c. p. 47.) nihil resinosi detexerit. Infusa aquosa inspissatione valde mucilaginosa apparent. Destillata inde Aqua tam odoris quam saporis expers est, residuum liquidum evaporatum gelatinam flavescentem offert (HAPP l. c. p. 47.). Ante usum ab adhaerentibus illi fragmentis madreporarum, conchyliis exiguis vel eorum particulis, ab arena et aliis heterogeneis purgari debet, et optime ab omnibus alienis partibus purgatum cum acidis non effervescit. Ne confundas cum *Musco corallino* animalis naturae, qui altior, crassior, subbipinnatus, fragilis, articulatus et albus est, ac sub dentibus stridet; adulteratur saepe cum *Lichene castanea Leersii*, qui vero colore atro puniceo, substantia medullari, ramis acutis, odoris fragrantis et mucilaginosae solutionis in Aqua defectu dignoscendus.

VIRES. Anthelminticae.

USUS. Praecipue in lumbricis.

DOSIS. Pulvis a granis viginti ad triginta; in decocto a drachmis duabus ad unciam semis. Miscetur cum Saccharo, Melle forma Electuarii et Decocti, sic cel. SCHAEFER sequenti formula usus fuit. Nempe hujus *Fuci helminthochortos* drachmae duae coquuntur in Aquae fontanae sufficienti quantitate, colaturae unciarum quatuor additur Mellis depurati uncia semis. Inde omni secunda hora cochlearia duo exhibentur. Plures celeberrimi viri in lumbricis et febribus verminosis hunc *Fucum* valde efficacem invenerunt.

S E C-

SECTIO V.

FUNGI.

N. ph. l. V. ⊙ FUNGUS QUERNUS CRUDUS, seu AGARICUS CHIRURGORUM.

N. germ. · *Eichenschwamm, Zunderschwamm, Feuerschwamm.*

N. syst. L. (Boletus igniarius.)

Icon. Vide BOLSTON'S History of Fungusses, p. 80. c. fig. Flor. Danic. Fasc. 16. Tab. 953.

Partes usuales. *Fungus integer ablato cortice et parte inferiori fistulosa.*

Tempus collectionis. *Mensibus Augusti et Septembris colligendus.*

Boletus igniarius; acaulis pulvinatus laevis, poris tenuissimis LINN. *Sp. pl. p.* 1645.

In truncis variarum Arborum antiquarum, inprimis caesarum enascitur, praecipue Quercus, Fagi, Tiliae, Betulae, Iuglandis, penetratque alte in ligneam compagem. Praefertur Fagineus, praeparatione enim mollissimus fit, secundo loco est ille Tiliis innascens. FUNGUS est acaulis, pulvinatus, convexo - planus, saepe ungulae equinae figurae, supra corticosus, infra fistulosus sive porosus, in medio mollis, superne fulvus interdum lineis discoloribus, interne pallidior sive albidus. In oeconomia claret ob suam pro fomite ignis utilitatem; in hunc scopum scilicet cultro aufertur cortex durus superior, item pars fistulosa inferior, reliquum, quod quoad contactum mollius longe est, ut laxior fiat Fungi textura, lixivio cinerum Fagi coquitur, tum probe lotum siccatur et malleo contunditur, postea in solutione Nitri Aqua facta coquitur et iterum siccatur; quidam adhuc pulvere pyrio illi colorem nigrum inducunt. Ita scintillis vel foco lentis vitreae s. speculi concavi facile accenditur, sed serpente tantum igne, non flamma, odore quasi lintei combusti et remanente favilla. Magnam quoque celebritatem per tempus nactus hic Fungus erat sua efficacia in haemorrhagiis externis, violenta vulneratione vel dissectione arteriarum, nominatim sub amputatione membrorum, enatis sedandis. Tunc vero nulla alia praeparatione Fungi opus est, quam quod ablato duriori ab utraque parte tegmine in frusta minora dissecetur, et post desiccationem mallei ictibus emolliatur. Nulla styptica virtus, qua ipsa arteria contraheretur, huic Fungo inest, sed ob mollem et teneram suam naturam prae reliquis vulgo usitatis, ut linteo carpto, charta bibula et similibus arctius orificio arteriae se se affigit, et novo sanguineo rivo compressione coercito tenacius resistit; quo mollior et flexilior igitur ille est, tanto magis pressioni obsecundat, unde et unicum saepe frustulum sufficit. Thrombus, qui ex hacce sanguinis mora enascitur, novum a tergo affluenti sanguini obicem ponit.

PRAEPARATUM.

FUNGUS QUERNUS, seu AGARICUS CHIRUGORUM PRAEPARATUS.) *vide praeparata P. II.*

N. ph. L. ⊙ FUNGUS SALICIS.

N. germ. *Weidenschwamm.*

N. syst. L. (Boletus suaveolens.)

Icon. Vide BUXBAUM Plant. minus cognit. Centu. 5. p. 8. Tab. 5. Agaricus villosus et porosus candidus salignus. ENSLIN. Monographia in Diss. de Boleto suaveolente LINN. Erlangae 1784. c. Tab. egregia, recusa tit. Comment. a. 1785.

Partes usuales. *Fungus integer siccus.*

Tempus collectionis. *Exeunte autumno et per totam hyemem colligendus, vere subsequentis anni et aestate enim vermibus eroditur, putrescit, nigrescit.*

Boletus suaveolens; acaulis superne laevis, salicinus LINN. *Spec. pl. p.* 1646.

Est Fungus annuus vel biennis, Salicibus unice et quidem harum cortici increscens, in multis Germaniae Regionibus et apud nos reperiundus. FUNGUS SALICIS est Fungus sine radice et caule, semipileatus, semielliptoicus, superne subpulvinatus, sive convexus, interdum colliculis variis distinctus; si junior, subvillosus, adultus vero glaber, interne compactus et subtus tubuloso-porosus, poris rotundis angulatisque, marginibus integerrimis rarissime obsolete lobatis, tenuioribus, et non porosis. Color lacteus vel ex albo flavescens, subtus interdum ex flavo bruneus, intus vero semper lacteus admixto flavescente in brunum vergente colore; odor, inprimis si recens, fragrans, Anisi odori vel Iridis florentinae similis, siccatione subinde suburinosus, sapor masticatione longiore sentitur acidulus, postea amaricans vel unice amarus. Purgandus a particulis corticis, ramusculorum vel foliorum saepe cum ipso concretis. A Boleto versicolori, colore aequali et minime fasciis discoloribus distincto, ab alio Boleto Salicibus innato, Boleto igniario simili, odore suaveolente distinguitur, quum hujus Boleti odor valde nauseosus, foetens, et ab aliis similibus Boletis caulis defectu distingui potest. Odor Aquae destillatae sive ex recenti sive ex sicco Fungo paretur, longe debilior est, quam ipsius Fungi, nec ullum isti vestigium Olei aetherei inest. (ENSLIN *l. c. p.* 20.) Decoctione cum Aqua odor exsurgit huic Fungo proprius. Ex unciis ejus duabus obtinentur Extracti aquosi primi drachmae duae cum dimidia, inodori fere sed amarescentis subnauseosi et subsalsi; et ex eadem Fungi quantitate Extracti resinosi primi grana quinquaginta, saporis salsi atque amari, odoris manifestioris. Ast Extractum resinosum multas simul gummosas partes complectitur (*l. c. p.* 21. *sqq.*). Combustus erogat, praeter Sal alcali, aliud, propius ad Sal mirabile Glauberi accedens, item Terram siliceam et Ferri aliquot miculas, (*l.*

(*l. c. p.* 23.) ut in Pulverem tanto commodius redigatur, confert obducere Fungum antea mucilagine gummi cujusdam, e. c. Arabici vel Tragacanthae, eademque Fungum siccare, vel eum modice siccatum sub trituratione Alcohole vini humectare (*l. c. p.* 30.).

VIRES. *Fungi Salicis* sunt specifice antiphthysicae in Phthysi pulmonali.

USUS. In Phthysi pulmonali ulcerosa.

DOSIS. FUNGUS SALICIS PRAEPARATUS a drachma una ad duas cum Saccharo cando bis de die; vel juxta recentiora Experimenta Electuarii forma ex pulvere FUNGI SALICIS PRAEPARATI et Melle, inde quater de die parvum cochlear exhibetur, vel etiam pulveris Fungi scrupulus unus cum Sacchari lactis eadem quantitate et aeque frequenter, continuatione per plures menses facta exhibetur. Etiam in morbis spasticis, ut malo hypochondriaco vel asthmate spasmodico a recentioribus laudatur.

PRAEPARATUM.

FUNGUS SALICIS PRAEPARATUS.) *vide praeparata P. II.*

SECTIO VI.

VEGETABILIUM PRODUCTA ET EDUCTA.

§. I. SICCA.

A. SUCCI INSPISSATI.

N. ph. l. ⊙ ALOE HEPATICA ET SUCCOTRINA.

N. germ. *Leberaloe, braune Aloe, gemeine Aloe, und sokotrinische oder sukotrinische Aloe, feine Aloe.*

N. syst. (Aloë spicata THUNBERGII.)
(Aloë perfoliata LINNAEI.)
(Forsan et aliae Species.)

Icon. Vide ZORN Pl. med. Tab. 283. et 284.

Partes usuales. *Succus Foliorum inspissatus.*

Aloë spicata THUNBERGII; floribus spicatis horizontalibus campanulatis, foliis caulinis planis amplexicaulibus dentatis. THUNBERGII Dissert. de Aloë p. 4. 10.

Aloë perfoliata LINNAEI; floribus pedunculatis cernuis corymbosis subcylindricis LINN. *Sp. pl. p.* 457.

Ambae sunt Plantae perennes, in India utraque, praecipue in Africa et etiam calidioribus Europae Regionibus crescentes.

Aloë

Aloë est Succus gummi-resinosus vario modo ex foliis elicitus, praeparatus et inspissatus, a qua varietate verosimile diversitates Succi aloetici oriuntur. Amarities Succi non latet in tota foliorum compage, sed in membrana corticali tantum tenaci, quae superficie interiori amplis canalibus sive vasis instruitur, quae in recenti segmento transversim facto punctulis quidem distinguuntur. Parallele haec vasa per longitudinem folii decurrunt, et ex hisce resectis limpidus tenuisque latex funditur. Remotiora illa deprehenduntur in speciebus, quae blandioris Succi sunt vel amaritie omni destitutae. Reliqua pars media folii pulpam constituit albam, pellucidam, aquosam, vel viscosam, insipidam, cujus liquor aliquando in longa fila trahi potest. In caule pariter Succus iste amarus nonnisi in similibus vasis velaminis corticalis latet. Ex foliis ad basin, ubi crassissima sunt, praecisis, sponte exundat Succus amarus viridi luteus. Quanta vero ubertate profluat Succus iste, inde apparet, quod aliquando intra sex vel septem horas librae triginta sex civiles Succi colligi possint foliis perpendiculari situ collocatis. Quandoque vero Succus iste contusis foliis exprimendo, aut coquendo elicitur, imo quandoque etiam aliis admixtis adulteratur. Deflectere inde non potest non *Aloë* a vera sua natura et virtute, sed non minor hisce momentis diversitas exsurgit ex multiplici ista in Succo praeparando varietate, quam descripsi, etiamsi caeteroquin planta eadem sit. Alia igitur est natura *Aloës* sponte exundantis; alia vi ex foliis dissectis et conquassatis erutae; alia si inspissationem praecedit colatura: alia si haec negligitur; alia si Succus sole densatur; alia rursus, si id fit coctione, quae quo fortiori igne perficitur, tanto facilius empyreuma contrahit, dispendium odorarum partium patitur, et tanto profundiori colore tingitur; alia, si sordes coctione ascendentes auferuntur; alia si absque despumatione inspissatur. Inde discrimen dependet totum diversitatum Succi aloetici amari.

Aloë hepatica colore a *Succotrina* distinguitur profunde rufo, sive hepatico, medium versus nigrescente, superficie minus nitida, compage solidiori, sapore amariori, nauseosiori, odore fortiore et ingratiore; magis resinosa, impellucida, subinde attamen in frustulis tenuioribus subtransparens. Nobilior et eligenda in putaminibus cucurbitarum allata, vilior et rejicienda quae in cadis consistentiae mollioris et odoris foetidi advehitur. *Aloë Succotrina* instructa est colore e rubro fusco, in purpureum inclinante, in pulverem vero redacta, croceo et nitido, superficie splendente, sapore amaro subaromatico, odore minus ingrato, balsamico, myrrham mentiente; pellucida est inprimis in frustula diffracta, laevis, magis gummosa, calore flexilis, frigore compactior et friabilis. In cucurbitarum putaminibus adfertur. *Aloë lucida*, omnium optima et purissima, pellucida, flava, difficili me comparanda in officinis rarissime occurrit. Quantum notum, hodie plurimum *Aloës* ex Capite bonae spei, ubi commercium cum eadem societati mercatoriae Indico-belgicae servatum est, item ex Insulis Jamaica et Barbados, nominatim proxime dicta, in Europam transfertur.

Constat *Aloë* tam ex dissolubilibus partibus, scilicet Resina et Gummi, quam ex Terra, solutionem omnem respuente. Proportio harum variat valdopere in diversis Succi speciebus: et connubium Gummi cum Resina tam arctum est, ut menstruo tam aquoso Resina, quam spirituoso Gummi

ad

ad partem solvatur. Plus Resinae quam Gummi *Aloi* inest. Resinam puram vero ea proportione singulis speciebus inesse edocet cl. LEWIS (*M. m. p.* 33), ut *Aloë hepatica* contineat ejus fere ⅓ et Extracti gummosi ⅔, *Aloë succotrina* Resinae ¼ et ¾ Extracti aquosi seu gummosi. *Aloë hepatica* igitur plus Resinae et minus Gummi, quam *succotrina* continet. Resina insipida et inodora fere est. Sapor autem odorque manifestius longe remanet in Extractis gummosis, licet haec ipsa gratia multum antistent *Aloi* crudae, quae velde amarum et nauseosum saporem longae durationis habet et odorem fortem. *Aloe* alvum purgat omnium consensu. Idque non solum contingit eadem per os ingesta, sed et extrinsecus applicata. Et haec quidem purgandi vis gummosae *Aloës* parti praeprimis debetur. Etenim. Resina quocunque modo sumta vix dejectiones efficit; hinc EXTRACTUM ALOES AQUOSUM ipsam *Aloën* vi cathartica superat; hinc *Aloë succotrina*, quae plus Gummi comprehendit, efficacius purgat, quam *hepatica*, et ideo illa pro usu interno, haec vero *hepatica* pro usu externo adhibetur.

VIRES. *Interne* valide purgantes, et calefacientes; *externe* consolidantes, depurantes, antiputredinosae.

USUS. In suppressione mensium et haemorrhoidum. Pro basi pilularum purgantium e. gr. in vermibus. In saburra viscosa primarum viarum. *Externe* in ulceribus sordidis, verminosis, cariosis; subtilissime pulverata in Ophthalmia, praecipue Epiphora oculo inflatur. Demum suppositoria haemorrhoides moventia ingreditur.

DOSIS. Scopo purgandi Aloes grana triginta cum totidem granis Saponis veneti in forma pilulari dantur. Aliis ad grana tria ad quinque additur; per se autem ad promovendos sanguinis fluxus continuato usu ad grana duo exhibetur. Ceterum ab usu Aloes abstinendum in subjectis plethoricis, gravidis, haemoptoicis, praesente calore febrili, febre, aut morbis malignis. *Interne* EXTRACTUM ALOES AQUOSUM convenit, quia non adeo calefacit, et semper forma pilulari a granis tribus ad quinque exhibetur. ELIXIRIUM APERITIVUM loco PROPRIETATIS est optimum solvens et aperiens in chlorosi, defectu mensium a causa frigida, obstructionibus abdominalibus, spasmis uterinis a simili causa, haemorrhoidum fluxu suppresso, in infantibus rachiticis, atrophicis et verminosis, uti etiam ad acidum in ejs praedominans infringendum excellens Medicamen est. Infantibus ultra annum datur a guttis quatuor ad octo, biennibus usque ad duodecim, majoribus usque ad viginti quatuor, et adultis a triginta usque ad sexaginta. TINCTURA ALOES *interne* vix unquam, sed tanquam mundificans a Chirurgis expetitur. EXTRACTUM ALOES COMPOSITUM, seu PURGANS validissime purgat, stimulat, et vermes expellit, hinc in cachexia, vermibus, Melancholia et Mania, in Hydrope adhibetur; adultis a granis quindecim ad grana viginti quinque propinatur, aliis, ut Massae pilulari qualicunque ad octavam aut quartem partem additur. Raro Enematibus subito purgantibus et fortiter revellentibus ad drachmam semis additur. UNGUENTUM ANTHELMINTICUM *externe* in vermibus abdomini illinitur.

PRAE-

PRAEPARATA et COMPOSITA.

ELIXIRIUM APERITIVUM LOCO PROPRIETATIS. EXTRACTUM ALOES AQUOSUM. EXTRACTUM ALOES COMPOSITUM, seu PURGANS. MASSA PILULARUM ALOETICARUM. SUPPOSITORIUM HAEMORRHOIDALE. TINCTURA seu ESSENTIA ALOES. UNGUENTUM ANTHELMINTICUM.	*vide praeparata P. II.*

N. ph. L. ⊙ CATECHU, seu SUCCUS JAPONICUS, seu TERRA JAPONICA.

N. germ. *Katechu, eingedichter Katechu-Saft, Japanische Erde.*

N. syst. L. (Mimosa Catechu.)
(Areca Catechu.)
(Forte et aliae species.)

Icon. *Mimosae Catechu* vide KERR in Med. Observations and Inquir. Vol. V. p. 151. cum *Icone* Tab. 4.
Arecae Catechu vide ZORN Pl. med. Tab. 287.

Partes usuales. *Succus gummi-resinosus ex ligno aut fructu inspissatus, seu Extractum.*

Mimosa Catechu; Spinis duabus stipularibus, foliis bipinnatis 15—30 jugis, foliolis 40 jugis, spicis elongatis axillaribus MURRAY *Apparat. med. Vol. II. p.* 415.

Est Arbor crescens copiose in montibus Rotas et Pallamoro et aliis locis supra Bengaliam sitis.

Areca Catechu; frondibus pinnatis foliolis replicatis oppositis praemorsis LINN. *Sp. pl. p.* 1659.

Est Palmae cujusdam species et Indiam orientalem patriam habet.

Catechu est succus gummoso-resinosus inspissatus, seu *Extractum Catechu* in massis prostans siccis, inaequalibus, solidis, fragilibus, extus ex rubro nigris, intus fuscis vel rufis, linguae minime adhaerentibus, saporis adstringentis, primo subdulcis, postea amaricantis. In Vino, Alcohole vini, in Aceto ferme penitus solubile, optime in Spiritu Nitri dulci, maximam partem etiam in Aqua calida, quae solutio post refrigerationem abit in coagulum mucilaginosum; in cochleari candente comburitur residuo pauco. Adulteratus cum argillacea Terra quadam punicea nec in Alcohole vini nec in Aceto solvitur, diffractus splendet et in igne indurescit. Eligatur Succus Catechu siccus, in ore liquescens, nigrescens, ab impuritatibus liber et odore carens empyreumatico, colore, consistentia, indissolubilium partium proportione, sapore, virtute demum differre multis modis Catechu non mira-

rabitur, qui dicta de Stirpium diversitate et de praeparatione secum reputat. Ex India orientali, ex Malabaria, Suratta, Pegu aliisque quibusdam Indostaniae Regionibus, advehitur; maximus autem ejus proventus ex provincia Indostaniae Bahar est, ubi ex fructibus *Arecae Catechu*, vel aliarum Arborum expressus, aut ex Ligno et Cortice *Mimosae Catechu* et forsan etiam aliarum Specierum *Mimosae* extractus creditur.

VIRES. Adstringentes, antisepticae.

USUS. SUCCUS CATECHU DEPURATUS *interne* in fluore albo, gonorrhoea benigna, ulceribus oris, gingivis et uvula relaxatis, in mensium fluxu nimio, in haemorrhagiis uteri a laxitate; etiam in diarrhoeis chronicis. *Externe* in ulceribus scorbuticis, putridis, gangraenosis. In putredine oris, foetore, dentium vaccilatione et denudatione, atque in cruentatione gingivarum.

DOSIS. *Interne* a granis quinque ad drachmam semis sive in pulvere, pilulis aut Electuario exhibetur. Admiscetur Mel, Cortex Peruvianus in pulvere et Mel Rosarum. TINCTURA CATECHU SIMPLEX et TINCTURA CATECHU COMPOSITA ad scorbutum oris, laxitatem et purulentam gingivarum affectionem cum Melle rosato mixta applicari solent, conferunt etiam in laxitate et exulceratione tonsillarum et uvulae quam Mercurius in faucibus excitavit. TROCHISCI CATECHU in laxitate scorbutica gingivarum et ad foetorem oris corrigendum adhibentur.

PRAEPARATA et COMPOSITA.

SUCCUS CATECHU DEPURATUS.
TINCTURA SEU ESSENTIA CATECHU SIMPLEX.
TINCTURA SEU ESSENTIA CATECHU COMPOSITA, SEU ESSENTIA BALSAMICA GINGIVALIS.
TROCHISCI CATECHU.
} *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. ⊙ LACMUS, seu LACCA COERULEA *forma Pastae ex Belgio.*

N. germ. *Lackmufs oder blauer Lack in Tafeln aus Holland.*

N. syst. L. (Roccella. *Orseille.*)

Icon. Vide DILLENII hist. musc. p. 120. Tab. 17. fig. 39. REGNAULT Botan. Orseille in eadem tabula, quae repraesentat la Coralline de Corse, d. e.

Partes usuales. *Succus Algae Roccellae inspissatus forma Pastae ceruleae.*

Lichen Roccella; fruticulosus solidus aphyllus subramosus, tuberculis alternis LINN. *Sp. pl. p.* 1622.

Est Alga in Insula Magdalenae, Senegaliae proxima, in littore Mauritaniae, Sicilia, Insula Elba crescens, item Insulis Africae nonnullis occidentalibus, praecipue Canariensibus et Capitis viridis, copiosissime vero innascitur rupibus Insularum quarundam Archipelagi. In officina prope Amstelodamum, ubi Lacmus parabatur, sagax harum rerum indagator cel. FERBER (*Beyträge zur Mineralgesch. T. I. p.* 380.) et Pastam ex hac Alga paratam (Orseille) vidit et eandem in doliis urina emollitam imo intra cistas pro majori emollitione repositam reperit, variaque de praeparatione ex hoc ipso percontatione rescivit: non licet dubitare, parando Succo Lacmus inservire. Quum tamen non semper probitas ejusdem eadem sit, nec valor idem: probabile, mox ex *Crotone tinctorio*, mox ex *Parello;* mox ex *Roccella*, forsitan et ex duobus vel tribus horum junctim effingi. Modus autem, quo cum *Roccella* fiat, hic est. Cistis quibusdam ligneis quadrangularibus *Roccella* una cum Urina, Aqua calcis, Calce extincta et tantillo Cinerum clavellatorum immergitur. Post moram aliquot hebdomadum eo Alga emollitur, in speciem fermentationis transit, vel resolvitur, et materia colorans contenta inde extricatur. Ad putredinem arcendam massa subinde agitari debet, nec diutius consistere, donec Alga evaserit coerulea et in pultem pulposam redacta fuerit, id quod aestate citius quam hyeme fit.

Hisce factis tota miscela in proprio molendino adhuc magis conquassatur et per colum ex setis transpellitur. Nihil tum restat, quam ut puls ista crassa modulo chalybeo vel aurichalceo, quadrato-oblongo, in varios loculos diviso illinatur, et dein alio modulo prominentiis quadratis similibus instructo alteri applicato in asserem ligneum substructum excutiatur et siccetur (Conf. in FERBERI libro cit. Tab. 3. fig. 18. e. f.). Et haec quidem est *Lacmus* seu *Laccae ceruleae* seu Pastarum quadrato-oblongarum vendibilium origo. Pollicem circiter longitudine aequant, subdurae et fragiles sunt, Terram obscure violaceam referunt, sparsim maculis albidis distinctam. Salivam violaceam reddunt sensumque ardoris in faucibus excitant gustatae. Odorem Violarum prae se ferunt, quod forsitan ex Radice Ireos florentinae addita repetendum, ideo fortassis addita, ut odor urinosus celaretur et pondus augeretur. Posteriori fine aliquando Arena aliaeque quisquiliae admixtae sunt. Eligitur *Lacmus* purus, ab admixtis liber, pulchre coeruleus, et valde laevis. Tinctores ad Sericum et Lanam tingendam adhibent; ast Medicis et Pharmacopoeis summi momenti est *Lacmus* pro exploranda Salium natura diversa. Vide (*Praenoscenda, Sectione sexta, de Reagentibus* Nro. 24.).

V. ⊙ SUCCUS LIQUIRITIAE INSPISSATUS seu EXTRACTUM LIQUIRITIAE. vide *Radicem Liquiritiae.*

N.

N. ph. l. V. ⊙ MANNA CALABRINA seu VULGARIS.

N. germ. *Manna, Calabrische Manna.*

N. syst. L. (Fraxinus Ornus.)
(Fraxinus rotundifolia.)
(Fraxinus excelsior.)
(Forte et aliae Species.)

Icon. *Fraxini orni* vide ZORN Pl. med. Tab. 574.
Fraxini rotundifoliae vide MILLER'S Gardeners Diction. Ed. 8. n. 2.
Fraxini excelsioris vide REGNAULT Botan. Le Frene. v. SCHÖLLENBACH Abbild. wilder Bäume V. II. Tab. 16. 17.

Partes usuales. *Succus Trunci et Ramorum promanans condensatus.*

Fraxinus Ornus; foliolis serratis, floribus corollatis LINN. *Sp. pl. p.* 1510. Est Arbor Europae australis nominatim Calabriae et Siciliae indigena.

Fraxinus rotundifolia; foliolis ovato - lanceolatis serratis, floribus corollatis MILLER'S l. c. Crescit haec Arbor in Sicilia et Calabria.

Fraxinus excelsior; foliis serratis, floribus apetalis LINN. *Sp. pl. p.* 1509.

Est Arbor Europaea, quae in calidioribus Regionibus Mannam erogat. Praeter hasce Arbores aliae quaedam Arbores et Frutices Succum dulcem aeris calore in grumos concrescentem ex superficie sua emittunt, idque vel quotannis, vel favente modo aëris temperie, praeter consuetudinem calida, vel aliis causis minus manifestis. Ex harum Stirpium censu sunt *Pinus Larix*, ex qua Brigantii Delphinatus Manna Laricea seu Brigantina obtinetur. *Pinus Abies* in extimis ramis in Suecia sed raro; *Aurantium; Iuglans regia* per folia sole ardente; *Salix* in Languedocia aestate calida et sicca. Ex fissuris in *Mori nigrae* cortice ortis in Agro Florentino; in Arabia, Terra inter Merdin et Diabekir sita, *Quercuum* foliis inhaeret Manna instar farinae; alibi ex *Prunis*. Alia Species Mannae originem trahit ex foliis et ramis fruticis *Hedysari Alhagi* LINN., quae in Persia magnitudine granorum Coriandri in frutice comparet et venditur. Est omnium optima, et in massis rubicundo brunis, inquinatis pulvere et foliis servatur. Nunquam ad nos venit. Creber est in Hispania *Cisti ladaniferi* proventus forma massae albae, dulcis, longitudine et crassitie digiti. Sed variae Arbores ex genere *Fraxini* uberrimam et maxime lucrosam Mannae messem admittunt. *Manna* est Succus ex trunco et ramis Specierum *Fraxini* dictarum promanans et in aëre condensatus, saccharinus. Praesto est apud nos in massis difformibus variae magnitudinis, submollibus siccis, grumosis, facile discerpendis, ex glebis albo - flavescentibus et subgriseis conflatis, communiter fragmentis Corticis et Ligni, Arena et aliis quisquiliis contaminatis, odoris ferme nullius, saporis dulcis, subnauseosi. Eligatur quae diffracta pauxillum Mannae liquidae, instar Mellis ostendit, levis, siccior, nonnihil pellucida, pura, facile in grumos dissiliens, non tenax aut sequax, coloris albi-

bicantis cum rubedine quadam, super lingua penitus deliquescens sapore dicto.

Manna pura in Aqua et Alcohole Vini ferme penitus solvitur, si sicca est flamma admota ardet; constat potissimum ex Principio saccharino, Terra calcarea Acido Sacchari juncta, et alcalino Sale vegetabili. Vide (TRAINER *Examen Chemicum Mannae. Erlangae* 8. 1794.). Rejiciatur consistentiae Melleae, sordida, coloris obscurioris, odoris et saporis peregrini. Adulterationem cum Saccharo farinaceo vel penidio vel Melle color denotat fuscus et opacitas; corruptionem cum Arena alba vel Amylo solutio aquosa prodit, et cum Sale mirabili vel alio Sale neutro solutio spirituosa. *Manna canellata* sive *longa* in frustis aliquot pollices longis, unum circiter latis vel tubulosis vel uno latere convexis, ex stratis sive tabulis compositis, coloris albi et in Aqua penitus solubilibus optimae quidem notae est, sed rarissime ad nos genuina et adulterationis expers venit. Manna crassa, spissa, vel sordida penitus ex Pharmacopoliis exulet sic et Manna Brigantina, Pini Laricis Succus et saporis terebinthinacei. *Mannae electae* sub appellatione in officinis servanda Manna calabrina est sive vulgaris, purissima, sive grana vel glebae ejusdem majores albae vel rubellae, transparentes electae. Sicco et calido loco servetur Manna in Pharmacopoliis, in humido enim posita diffluit in tabem ingratam et plane inertem. Ex Calabria, Sicilia et Apulia, advehitur. Ibi enim Mense Augusto Mannae spontaneus effluxus cessat, ubi dein incisione Arborum longe uberius majorique lucro promanat.

VIRES. Eccoproticae, solventes.

USUS. In impuritatibus primarum viarum, in febribus, biliosis, putridis, mictu cruento a calculo renum.

DOSIS. Usque ad quintum annum infantibus drachmae duae ad unciam semis, adultioribus ab uncia semis ad unciam unam et semis in Aqua aut Sero lactis soluta exhibetur. Miscetur cum Sero lactis, Tamarindorum Pulpa depurata, Cremore Tartari, Acidis vegetabilibus. Egregium hoc remedium inflationes abdominis et colicam flatulentam saepe a fermentatione ortam gignit, hinc ad haec incommoda praecavenda adduntur Acida vegetabilia. MANNA TABULATA nihil aliud est, quam Manna a sordibus suis liberata et in modulos Morsulorum effusa. SYRUPUS MANNATUS leniter purgat et ab uncia semis ad unam infantibus scopo purgante in impuritatibus primarum viarum, constipatione, morbis ab acido et muco ortis exhibetur.

PRAEPARATA.

MANNA TABULATA. }
SYRUPUS MANNATUS. } *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. ⊙ **OPIUM CRUDUM, seu OPIUM THEBAICUM.**

N. germ. *Opium, roher Mohnsaft, Mohnsaft.*

N. syst. L. (Papaver somniferum.)

Icon. Vide ZORN Pl. med. Tab. 371. REGNAULT Botan. le Pavot blanc, le Pavot noir. BLACKWEL Tab. 482.

Partes usuales. *Capitula seu Capita Papaveris recentia immatura, quae vulnerata lac fundunt; et hic Succus incisione hac ex Planta orientali promanans inspissatus ex utroque Papavere, Opium.*

Tempus collectionis. *Capitula seu Capita colligenda quando cultri cuspide sauciata Succum largiuntur lacteum, juniora et adultiora inertia sunt et spernenda.*

Papaver somniferum; calycibus capsulisque glabris, foliis amplexicaulibus incisis LINN. *Sp. pl. p.* 726.

Est planta annua, in Oriente habitans, et apud nos in hortis et in agris culta, in orientalibus autem Regionibus Opii praecipue causa.

Capitula seu Capita Papaveris sunt Capsulae globosae, glabrae, pileo stellato ex stigmatis reliquiis formato coronatae. Haec narcoticae omnino indolis, sauciata Lac amarum virosi odoris emittunt; ex siccis coctione cum Aqua Extractum parari potest ad ⅓ vel ¼ partem ponderis, quod dupla quantitate effectus eosdem ac Opium praestare fertur. *Opium crudum* est Succus e Capitulis incisione elicitus et condensatus gummi-resinosus. Habentur tres Species Opii ratione bonitatis, *Prima* est coloris ex flavo albi vocatur *Maslac* ex Succo sponte promanante et aëre calido condensato paratur, nobis autem haec Species non adfertur. *Secunda* dicitur *Opium Thebaicum,* paratur expressione Succi ex Capitulis et coctione horum cum Aqua, cujus Decoctum cum expresso Succo dein inspissatur; haec Species est usitata et optima *Opii crudi* seu *Thebaici* in officinis. *Tertia* vocatur *Meconium*, haec ex omnibus Plantae partibus Aqua decoctis et inspissatione subsequente paratur. Secunda Species seu *Opium Thebaicum* in frustis subrotundis forma placentarum rotundarum complanatarum, vel alia magis irregulari figura instructarum, affertur, quae pondus unciarum quatuor ad libram unam vel duas aequant, epidermide Capsularum interna, subinde Foliis Papaveris, Nicotianae aliorumque vegetabilium praecipue vero Rumicis cujusdam vestita et involuta ac pulvere conspersa vario, magnitudinis diversae. Praeterea *Opium Thebaicum* est solidum, compactum, plane opacum, etiam in marginibus tenuiorum fragmentorum, inter digitos mollescens, sectione communiter in frusta dissiliens, fracturae splendentis, e rubicundo brunei aut pulli coloris, saporis amaricantis nauseosi et fortis subacris, calidi, odoris fortis, virosi, gravis, tetri. Opium eligendum, sit obscure fuscum, densum, siccum, leve tenax, fracturae particulis nitidis micantis, masticatum salivam nec imbuens colore bruneo, saporis amari acris, in faucibus fervorem quendam excitantis, candelae admotum fa-

facile flammam arripiens et fere penitus in Aqua solubile et Tincturam exhibens puniceam, comminutum largiens pulverem fulvi coloris. Rejiciendum molle, friabile, variis heterogeneis inquinatum; coloris profunde pulli seu nigrescentis, odoris debilis vel empyreumatici, Succo Liquiritiae adulteratum sapore dulciore et linea integra ac obscuriori dignoscitur, quae ex madefacto Opii adulterati fragmento chartae albae inducta oritur, quum Opium purum et genuinum lineam ostendit dilute bruneam et interruptam; Sabulo inquinatum Opium proditur sectione stridente, solutione et microscopio. Ex Turcia, Persia, Arabia, Aegypto aliisque locis calidioribus Asiae advehitur.

Sunt plures expertissimi viri, qui in Europa ex eadem, quae in nostris hortis hospitatur Planta, simili artificio, quod apud orientales gentes usu venit, ex Capitulis *Opium* elicuerunt, nec colore, sapore, odore ab orientali discrepans, nec viribus multo inferius. Multis tamen momentis ab hoc differt Extractum Stirpis, item Succus expressus condensatus, scilicet utrique sapor et odor imbecillior est, color etiam compagesque diversa, minus etiam haec Resinae quam verum Opium continent. Longe vero majori lucro in orientalibus Regionibus Opium verum eruitur. Soli enim et Climatis benignitate et cultura accedente assequitur subinde Stirps magnitudinem quadraginta pedum in Persia, et Capsulae interdum in Arabia ad amplitudinem triginta quinque unciarum capacem perveniunt. Tam arctus est Resinae et Gummatis nexus, ut Aqua et Resinae partem, et Spiritus Vini rectificatissimus Gummi bonam partem, abripiat; Spiritus Vini tenuior utramque partem solvit, Vinum autem est optimum menstruum Opii, quod illud penitus solvit et quo etiam optime hoc depurari potest. Quantum autem Resinae et quantum Gummosarum Aquae extrahendarum partium in eo contentum sit, per repetita Experimenta nondum certo constat. Celeb. LEIGH (*Erfahrungsmässige Untersuchung der Eigenschaften des Opiums, Leipzig* 1787.) optima Experimenta instituit. Inde tantum constat, quod pars resinosa maximam quantitatem principii narcotici contineat. Etiam recta nobis inde via ad praeparationem ostenditur. Haec Experimenta tempore perfectiora evadent. Cognitio enim partium constitutivarum corporum Chemiae ope est sola certa et optima via ad vires corporum dijudicandas. Magis enim ad veritatem accedendo avertimus empyriam. Principium narcoticum, Resinae maxime adhaerens, forte in Opio latet, ut in Laurocerasо, Amygdalis amaris etc. in Oleo essentiali contento: nam juxta cel. LORRY (*Memoires de l'Academie des Sciences de Paris.* 1777 — 78.) Aqua super Opium destillatione abstracta vires narcoticas acquirit.

VIRES. *Interne* anodynae in parva dosi, soporiferae in majori dosi, demum diaphoreticae, alvum sistentes, nimia dosi venenatae.

USUS. In omnibus spasmis et omni irritabilitate aucta systematis nervosi absente statu inflammatorio et absente saburra; sic in doloribus calculosis, ischuria, ictero a spasmodica constrictione colli vesicae felleae aut ductus cystici aut choledochi orto, in Epilepsia a terrore aut ira orta, in colica pictonum, spasmo cynico, Tetano, Tussi convulsiva, doloribus venereis nocturnis osteocopis, doloribus posthumis, haemorrhagia uteri de-

debilitante cum doloribus partus et metu abortus; in Tussi catarrhali vehementi, spasmis et paroxysmis hystericarum, in spasmis et convulsionibus infantum, si diarrhoea valida absente saburra aut terror in causa sint; in hernia incarcerata sine inflammatione et cholera; in vomitu aut alvi dejectionibus nimiis a Medicamentis drasticis ortis; in variolarum eruptione si symptomata spastica, convulsiva, absente saburra, eruptionem impediunt, aut in variolis malignis, quando debiles videntur vires vitales et cardiaca imperat necessitas, item in pueris, qui mitem experiuntur morbum, sed aegre dolorem e pustulis ferunt, aut in cubiculis contineri nequeunt; tunc dolores sopit Opium, refrigerium impedit, pacateque decurrit morbus; si tempore eruptionis sine phlogosi diarrhoea oritur symptomatica Opium virus variolosum versus cu'im cogit; in diarrhoea symptomatica tempore desiccationis et si pustulae marsupium vacuum subito referunt et funesta adsunt symptomata Opium convenit, sic et in variolis subito retropulsis. In morbis venereis ad injectiones in urethram ad tollendam irritabilitatem nimiam, sic et in omni irritabilitate aucta systematis nervosi convenit, in dolore, vigiliis protractis, convulsione, spasmo aut Tetano a vulnere inductis, vel ab ulcere dolente, nervum rodente excitatis symptomatibus. Ideo omnibus graviter vulneratis ante et post omnes magnas Operationes Chirurgicas primis statim horis Opium cum Oleo vel Emulsione datur, ut irritabilitas nervorum, a terrore excitata, compescatur. Convenit demum in omni tumore inflammatorio incipiente, si cum nitro detur, viis primis depuratis et vasis sanguineis per venaesectionem evacuatis. Nocet autem praesente jam febre, plethora, saburra. In gangraena sicca dolorosa, digitorum pedis, quae in digitis pedis incipiens sensim ad pedem ipsum et maleolum, quin tibiam ascendit, et aegrum plerumque trucidat. Opii puri nominatim grana tria vel quatuor ad minimum intra nychthemerum capta conveniunt. In Lue venerea, in incarceratione spasmodica herniarum, in Hydrophobia, in Colica pictonum, in Diarrhoea symptomatica morborum Chirurgicorum demum efficax est remedium.

Externe ad resolvendos vel maturandos tumores frigidos venereae, scrophulosae vel rheumaticae indolis Emplastris resolventibus additur. Alii Lapidi caustico vel Emplastro vesicatorio Opium admiscent, ut minori cum dolore caustica agant. LAUDANUM LIQUIDUM seu TINCTURA OPII in chronica oculorum inflammatione oculis ad unam alteramve guttam instillatur. Granum medium Opii denti carioso dolenti immittitur. Emplastrum aut Unguentum opiatum locis spasmo contractis ut in Spasmo cynico, genis et in vomitu Cardiae applicatur. Opium cum Stanni pulvere ad maculas Corneae laudatur. Dolor ulcerum dolentium vel mali moris Laudano sopitur.

DOSIS. OPIUM PURUM seu EXTRACTUM OPII a dimidio grano ad quinque communiter exhibetur; verum in Tetano et Colica pictonum aegroti ingentem dosim Opii sine inducto sopore vel alio malo symptomate ferunt; hinc in his morbis granum unum aut duo omni bihorio dandum. Miscetur etiam cum Camphora, Moscho, Cortice Peruviano, Ipecacuanha, Floribus Zinci, Extracto Saturni ad injectiones. In Tetano vulneratorum

torum

torum a putredine orto Opio Cortex Peruvianus admiscetur. Si a refrigeratione vulnerati ortus fuerit Tetanus, Sal volatile Cornu Cervi in connubio cum Opio dari potest; alii Practici praeter Opium frictiones mercuriales simul adhibent; alii addunt Opio Moschum.

PRAEPARATA et COMPOSITA.

ELECTUARIUM ANODYNUM, SEU THERIACA VIENNENSIS CUM OPIO.
MASSA PILULARUM ANODYNARUM.
OPIUM PURUM, SEU EXTRACTUM OPII VINOSUM.
PULVIS ANODYNUS.
SYRUPUS E MECONIO, SEU PAPAVERIS ALBI, SEU DIACODII.
TINCTURA SEU ESSENTIA OPII VINOSA SEU ANODYNA, SEU LAUDANUM LIQUIDUM SYDENHAMI.

} *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ SACCHARUM.

N. germ. *Zucker.*

N. syst. L. (Saccharum officinarum.)

Icon. Vide SLOANE'S Nat. Hist. of Jam. Tom. I. p. 108. Tab. 66. REGNAULT Botan. le Sucre et a cl. CAZAUD in Philos. Trans. Vol. 69. P. I. Tab. 3. ubi praeter integram Stirpem surculi variae aetatis repraesentantur.

Partes usuales. *Succus Arundinis sacchariferae expressus, inspissatus, depuratus, seu rafinatus, forma et natura Salis essentialis dulcis; et Saccharum liquidum, seu Syrupus saccharinus; et Spiritus Sacchari, seu Rum, seu Taffia.*

Saccharum officinarum; floribus paniculatis, foliis planis LINN. *Syst. veg. p.* 88.

Est gramen perenne in Africa et Asia sponte, hodie etiam in pluribus Americae Insulis cultura crescens. *Saccharum* est Sal essentiale dulce crystallisabile ex Succo culmorum Arundinis sacchariferae expresso, coctione condensato, et varia depuratione et rafinatione elicitum. Multa nomina sortitur Saccharum inter Commercia pro gradu depurationis vario, quorum vulgatissima secundum puritatis ordinem haec sunt: *Saccharum farinosum rubrum, seu Moscovatum seu crudum, seu Thomaeum;* germanice *Moskovade oder Klistier-Zucker, Thomas-Zucker. Saccharum farinosum album seu Cassonade; weisser Farin oder Kassonade. Saccharum Mellis; Melis. Saccharum Refinade; Refinade. Saccharum album pyramidale, weisser Zucker, Puderbrod. Saccharum canariense; Kanarienzucker. Saccharum Candum; Zuckerkand, Kandiszucker.* In officinis solummodo *Saccharum Thomaeum; Saccharum canariense; Saccharum Candum,* seu *Cantum,* et *Saccharum liquidum,* seu

seu *Syrupus Saccharinus*, *Syrop* adhibentur. *Saccharum Thomaeum;* culmis Arundinis sacchariferae justam maturitatem assequutis, hi ipsi prope soli superficiem praeciduntur, Trunci cum Radicis adnatae parte auferuntur, ut ex reliquiis Radicis nova post annum circiter culmorum messis fieri queat. Folia tum una cum panicula separantur et culmi in fasciculos vinciuntur. Hi ipsi mox in molendinum transferuntur, ut circumactis per equos, boves, ventum vel vi illabentis Aquae, cylindris ferreis, per quorum interstitia transiguntur, conquassentur, et *Succum* effundant, qui in cisterna colligitur, vel quod frequentius, mox eodem die ob Succum in fermentationem acidam pronum per canalem in ahenum derivatur. Coquitur hic addita Calce viva vel ejus Aqua vel Lixivio Saponariorum, vel Cineribus puris et despumatur. Horum aliquo opus est, ut superfluum acidum eo combinetur et Saccharum in solidam compagem redigi possit. Transfertur postea Succus in alia ahena, unum post alterum, numero quatuor, sensim minora pro varia spissitudine et claritate, subjuncta in quolibet nova despumatione et additamento novo dictorum, donec inter digitos receptus illos quasi conglutinet, pars superior despumatione separata vocatur *Kagassa*; reliquum Succi despumati et inspissati tum refrigescat in vasis magnis ligneis non admodum profundis. Una hujus pars siccescit, altera liquida manet. Hinc opus indere utramque una vasis infra duabus vel tribus aperturis perforatis, primum infra stupa clausis, dein aperiendis, ut per foramina in cisternas suppositas defluere Syrupus possit, qui *Melassus*, *Melasse* dicitur. Altera pars sicca arenam refert, seu farinam rubram et mox pejoris mox melioris notae est, pro depurationis vario labore, optimum ex majoribus granis iisque claris et magis albidis constat et siccum magnisque doliis nominatim ex Insulis Americanis transfertur in Europam sub nomine *Sacchari crudi*, *Thomaei vel Moscovati*.

Saccharum hoc *crudum* seu *Thomaei* coquitur iterum aheno cupreo in connubio Aquae calcis, quo acidum nudum Sacchari absorbeatur, vel in connubio Sanguinis bovilli vel Albuminis ovorum, quo oleosis et mucilaginosis partibus exuatur, sub continua motitatione et despumatione. Transmittitur tum per pannum laneum intra corbem et post novam coctionem transfertur in refrigeratorium vas, et ex hoc post refrigerationem in modulos argillaceos non vitreatos conicos apice perforato deorsum verso, primum linteo convoluto et Aqua humectato obturando, dein, ut *Syrupo Saccharino* exitus paretur, aperiendo. Jactura per Syrupi effluxum resarcitur Saccharo contuso, Quo vero omni colore alieno Saccharum privetur, oportet operire illud ad basin coni argilla macra pura Aqua humectata, quod iteratur ad albedinem Sacchari justam. Invertitur tandem conus, separantur sordes cultris et verriculo, et siccatur ope caloris omnino in hypocausto probe calefacto, quibus factis obvolvitur charta crassiori alba vel coerulea et funiculis obligatur. Depuratum hoc Saccharum uti jam supra dictum inter Commercia varia nomina sortitur pro varia forma et gradu puritatis. *Saccharum canariense* quod fere idem ac *finissimum* pro usu medico interno adhibetur. Prosat in panibus conicis charta crassiori albicante sive coerulea funiculisque obligatis, coloris albi, saporis dulcissimi, durum ast friabile, in fragmentis particulis micantibus sive crystallis tetraedris lateribus parallelis duobus oppositis latioribus, utroque extremo cuneatis dives,

M m Aqua,

Aqua, inprimis calida, plenarie solubile, difficilius in Spiritu Vini, flamma ardens coerulea, odore peculiari grato, intumescens, spumans, carbonemque relinquens, Olea aetherea si cum iis teritur, in Aqua reddens solubilia; ope Spiritus Nitri affusi Acidum purum Sacchari, vel, si mavis, Acetosellae, aut Tartari largiens. Eligatur Saccharum durum, compactum, sonorum, aliquo modo in frustis parvis subpellucidum, album, penitus et limpide in Aqua solubile. Rejiciatur cujus solutio aquosa a Sale alcalino turbatur, vel ex affusa Mercurii sublimati corrosivi solutione aquosa turbida et colorata evadit, et quod cum Sale ammoniaco tritum spargit odorem volatilem.

Saccharum constat Phlogisto, seu Principio inflammabili carbonum, magna copia partium mucilaginosarum et oleosarum, et Acido proprio Sacchari, quod est Acidum vegetabile modificatum, et quod ita obvolvitur, ut dignosci gustatu nequeat. Sacchari canariensis seu finissimi uncia semis continet unam drachmam cum dimidia Acidi Sacchari, quod juxta celeb. BERGMANN (vide *Opuscula physica et chemica Vol. I. p.* 201.) mediante Acido Nitri inde separatur. *Saccharum Candum seu Cantum* est Saccharum circa fila in crystallos coactum grandiores, communiter octaedras, basi obtusa, semipellucidas, nitidas, coloris albi, vel flavi. Rejiciatur coloris brunei et in Aere humescens vel farinescens. Obtinetur Saccharum Candum, dum Saccharum depuratum sed non nimis inspissatum vasis cupreis ad latera perforatis, ut fila tensa transigi possint, dein papyro extus ad claudenda foramina vestitis, inditur. Haecce dum hypocausto primum frigido dein valde calefacto retinentur, circa fila crystalli generantur, quarum color variat pro diversa puritate, ita, ut Saccharum Candum album et vario gradu brunum prostet. *Saccharum liquidum* seu *Syrupus saccharinus*, qui sub varia depuratione Sacchari ex modulis defluxit, gradu pariter puritatis differt, et nominibus diversis distinguitur. Ex hoc, et supra descripta *Kagassa* et Aqua pro ablutione modulorum et totius apparatus, praegressa fermentatione et subsequente destillatione, paratur *Spiritus Sacchari*, *Rum*, *Taffia*, *oder Zuckerbrandwein.*

Spiritus Sacchari seu *Rum* Anglis, seu *Taffia* Gallis dictus, est Spiritus inflammabilis Spiritui Vini similis ex rejectaneis variis Arundinis Sacchari partibus elicitus. Vulgo spuma sub coctione ascendens, Aqua, qua ahena abluta fuerunt, et fermentum clarum fermentationi committuntur, quae si initium ceperit *Sacchari liquidi* seu *Syrupi Sacchari Melassi* dicti quantitas per partes additur, et fermentatione intra quatuor vel quinque dies continuata destillatio instituitur. Alii praeferunt *Syrupum Sacchari* seu *Melassum* cum duplo Aquae dilutum et fermenti eadem quantitate, qua Syrupus, mixtum, unde lentior quidem fermentatio, sed destillatione egregius Spiritus emergit, cui iterata destillatione plus virium impertiunt. Plurima hujus Spiritus pars in Insulis Indiae occidentalis, magna etiam pars in Anglia et Gallia paratur. Multo tamen plus solertiae in eo rite conficiendo Angli adhibent, quam Galli. Prout Spiritus frumenti, item Uvarum, multis modis discrepare potest: ita et hicce ex Arundine saccharifera, colore, sapore, odore, virtute. Adhibetur a Medicis potissimum ad solutionem Gummi Guajaci nativi, sed praestat menstruum aquosum.

Sac-

Saccharina materie insigni liberalitate natura hominibus prospexit, ut quae per Regnum vegetabile ample distribuitur. Eam ex *Borasso flabelliformi* colligunt Javani, ex *Coco nucifera* Indostani. Magno cum lucro in hunc finem Succus *Aceris saccharini* elicitur terebrando in America septentrionali, nempe librae hujus viginti libram unam Sacchari bonae notae suggerunt; prout et aliae *Aceris* Species Saccharum etsi altero pejus suppeditant. Clarent vel hoc nomine quaedam *Juglandes* et *Betulae*. Novae Hispaniae incolae ex *Aloës* cujusdam Specie, sine dubio *Agave americana*, Saccharum parant. Eidem scopo inservit Succus florum *Asclepiadis syriacae* Canadensibus; item *Zeae Mays*. Imo nec boreales gentes destitui hocce oblectamento voluit benefica natura; docet id *Heracleum spondylium*, Kamschadalensibus gratum, et *Fucus saccharinus*, Islandorum delicium. Praeterea sunt Radices Saccharo foetae, ut *Betae rubrae*, *Ciclae*, *Sisari;* item fructus multi, ut *Caricae*, *Passulae*, *Pruna*, *Jujubae*, *Siliqua dulcis*, *Dactyli;* nec non *Manna*, ut taceam alia Exempla vegetabilium, ex quibus *Saccharum* obtineri potest. *Sacchari* praesentia in Regno animali in Melle et Lacte se se manifestat, nisi et hic vegetabilem originem arguas, ut morbosas opportunitates non attingam, prout in diabete. Addo Olea unguinosa, Butyrum, Axungiam porcinam adeo, Sacchari Speciem continere, sed variis notis a Saccharo Arundinis nostrae et Melle diversam (SCHEELE *in Vet. Acad. Handl.* 1783. *p.* 324. *sqq.*). Ast maximo lucro Saccharum ex Arundine saccharifera elicitur illudque praestantissimum. Eo quoque invento Mellis, qui antea increbuerat, usus, mirifice tam in Oeconomia quam in Medicina decrevit. Reliquis Stirpibus vel multo parcius inest Saccharum, vel aliis partibus nimis irretitum.

VIRES. *Interne* solventes, *externe* detergentes, purificantes, resolventes, antisepticae, irritantes.

USUS. *Interne* ad Medicamenta edulcoranda et varia Praeparata Pharmaceutica adhibetur. *Externe* ulcera sordida et sarcotica insperso Saccharo deterguntur. Dentes sordidi Saccharo detersi purificantur. Maculae corneae Saccharo frictae interdum minuuntur. Fissurae in papillis mammarum lactantibus adeo molestae *Saccharo Cando* vel ad flammam candelae fuso insperguntur. Aphthae oris et aurium foetidum profluvium Aqua saccharata eluuntur. Fistulae *Saccharo Thomaeo* soluto injiciuntur. Coryzae infantum Sacchari pulvis inflatus medetur. *Saccharum Thomaeum* ad unciam unam vel duas Aqua solutum pro Enemate alvum sollicitante adhibetur.

PRAEPARATA.

SACCHARUM AD CONSISTENTIAM TABULATI COCTUM.
SYRUPUS SIMPLEX, SEU SACCHARUM CLARIFICATUM.
} *vide praeparata P. II.*

B. G U M M A T A.

N. ph. l. **V.** ⊙ **GUMMI ARABICUM, seu GUMMI SERAPIONIS, et GUMMI SENEGALENSE.**

N. germ. *Arabisches Gummi, Senegalgummi.*

N. syst. L. (Mimosa nilotica; et)
(Mimosa Senegal.)

Icon. *Mimosae niloticae* vide BLACKWEL Tab. 377. ZORN Pl. med. Tab. 586.
Mimosae Senegal vide BLACKWEL Tab. 345. ZORN Pl. med. Tab. 585.

Partes usuales. *Gummi ex Cortice Arborum dictarum, forte et aliarum Specierum sponte exsudans.*

Mimosa nilotica; Spinis stipularibus patentibus, foliis bipinnatis partialibus extimis glandula interstinctis, spicis globosis pedunculatis LINN. *Sp. pl. p.* 1506.
Est Arbor sabuloso solo crescens in Arabia petraea et Aegypto tam superiori, quam inferiori, ubi vero non videtur esse spontanea. Crescit et abunde in Regno Senegalensi, praecipue in Insula Sor et vicina Insula St. Ludovici prope ostium fluvii Niger.

Mimosa Senegal; Spinis ternis, intermedia reflexa, foliis bipinnatis, floribus spicatis LINN. *Sp. pl. p.* 1056.
Est Arbor Senegalensis.

Gummi arabicum genuinum ex Mimosae niloticae Corticibus in Arabia petraea et Aegypto exsudans et ex Regno Turcico ad nos allatum, in officinis nostris rarissime obvium dicitur, sed pro illo prostans *Gummi Senegalense* eodem modo ex Mimosa Senegal promanans in Provincia Gallica prope fluvium Senegal Africae sita, per Gallos advectum. Forsan et ejusdemque Arboris eductum, certe aequalis virtutis. Gummi, vel Mucilago pura, concreta, in Pharmacopoliis praesto est in frustis globosis vel oblongis variae magnitudinis subinde istius Nucis Juglandis, solidis, siccis, fragilibus, semipellucidis, subrugosis, e cinereo albis, pallide flavis, vel rufescentibus, fracturae splendentis, odoris nullius, saporis fatui, mucilaginosi, in Aqua perfecte solubilibus et cum ea solutionem limpidam efficientibus. In Alcohole Vini ac in Oleis minime solvitur Gummi arabicum vel Senegalense, nec flammae admotum ardet sed intumescit et in carbonem vertitur. Dupla quantitas Aquae in fluiditatem mucilaginis crassioris illud redigit, et quadrupla in mucilaginem consistentiae Syrupi. Subigit talis mucilago et Aquae miscibilia reddit Olea expressa et Essentialia, Balsama, Resinas, Gummi- Resinas, et Mercurium, pro parte etiam Camphoram, Ceram et Moschum. Iuxta cel. BERGMANN continent centum partes

tes *Gummi arabici* aut *Senegalensis* Acidi Sacchari partes viginti et unam. Eligantur frusta albicantia vel flavescentia, in Aqua penitus solubilia, inodora, ac saporis dicti, rejiciantur impellucida, sordida, rubella, rufescentia vel nigrescentia.

VIRES. Obvolventes, incrassantes, lenientes.

USUS. In Dysenteria, Diarrhoea, raucedine, tussi, stranguria; in venenis ingestis, ad Enemata mucilaginosa; ad Olea, Resinas, Balsama et Mercurium vivum cum Aqua subigendum. Decoctum Gummi arabici salivationem et anginam mercurialem moderatur et lenit; Pulvis Gummi arabici urinae ardorem mitigat; pulverisatum Gummi arabicum cum Saccharo mixtum inspergitur papillis mammarum aut aliis partibus excoriatis. MUCILAGO oculis, urethrae, vaginae, ano ad inviscandam acrimoniam vel medicamenta acria obtundenda applicatur.

DOSIS. In pulvere grana viginti, aut drachma semis, bis vel ter de die ad unciam unam. Ad libram Decocti uncia una additur. Miscetur cum Lacte, Emulsione, pulvere Corticis Peruviani, et Decocto hujus, Cortice Simarubae, Sero Lactis, Mixturis Salinis, Saccharo, Mercurio dulci, Sublimato Corrosivo, Opio et Melle.

PRAEPARATA et COMPOSITA.

PULVIS GUMMOSUS COMPOSITUS.
TROCHISCI PECTORALES. } *vide praeparata P. II.*

GUMMI TRAGACANTHAE.

N. ph. l. GUMMI TRAGACANTHAE.

N. germ. *Gummitragant.*

N. syst. L. (Astragalus tragacantha.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 264. ZORN Pl. med. Tab. 487.

Partes usuales. *Gummi ex Cortice et Seminibus praecipue Fruticis hujus exsudans.*

Astragalus tragacantha; caudice arborescente, petiolis spinescentibus LINN. *Sp. pl. p.* 1073.

Est Frutex exiguus in Gallia meridionali, Italia, Graeciae Insulis et Oriente crescens. *Gummi Tragacanthae* est Succus gummosus sponte ex Cortice et praecipue Seminibus prorumpens, contactu aeris condensatus et in laminis rugosis lineam plus vel minus crassis; intestinulorum instar contortis, vel in granis saepissime cavis advectus. Gummi albicans tractu temporis flavescens vel cinereum, fracturae albae, nitidae, semipellucidum, fragile, odoris nullius, saporis mucilaginosi. Difficile in Aqua solvitur, intumescit quidem et cum majori Aquae quantitate, crebra agitatione, turbidam init miscelam, sed quiete sedimentum glutinosum fundum petit, Aqua supernatante iterum limpida. Hinc et mucilago ejus difficilius longe

et

et minus constanter agitando Oleum cum Aqua copulat, quam illa *Gummi arabici*, et ad combinanda Balsama cum eadem per trituram largiori quantitate opus est, nec tam diu connubium istud perdurat. Frustra et tentatum, triturando illam cum Mercurio vivo conjungere, quod tamen optime cum Gummi arabico perficitur. Drachma una *Gummi Tragacanthae* Aquae uncias tres in crassam mucilaginem redigit, et eadem quantitas Gummi Aquae librae uni Syrupi spissitudinem inducit, quod sextupla quantitas *Gummi arabici* vix efficit. Mucilago *Gummi Tragacanthae* optime adhibetur ad Camphoram in Mixturis aquosis solutam tenendam. Centum partes hujus Gummi puri 37 partes Acidi Sacchari continent, inde etiam valde nutriens est. Rejiciatur *Gummi Tragacanthae* sordide flavum vel fuscum, impuritatibus inquinatum, Tragacantha in sortis sive Gummi de Balsora nuncupatum. Ex Europa meridionali plerumque vero ex Regno turcico adfertur.

VIRES. Obvolventes, glutinantes.

USUS. In Dysenteria, Diarrhoea, Stranguria, Tussi, raucedine, in ingestis venenis, in Tenesmo. Etiam ad Collyria, praecipue ubi Camphora subigenda.

DOSIS. Grana viginti ad drachmam unam. Miscetur cum aliis mucilaginosis, cum Saccharo, in Aqua aut Lacte solutum, in quo ultimo ad venena ingesta. Ad Pilulas et Trochiscos quoque adhibetur.

C. GUMMI-RESINAE.

N. ph. l. ⊙ GUMMI AMMONIACUM, sive ARMONIACUM.

N. germ. *Ammoniakgummi*, *Gummi armoniak.*

N. syst. L. (Planta unde habetur, est adhuc incognita.)

Partes usuales. *Gummi - Resina.*

Gummi Ammoniacum est Gummi - Resina calore manus mollescens, prunis imposita ardens, in frigore in pulverem redigenda, in Oleis aethereis omnis, in Alcohole Vini ad dimidium, in Aqua, quam colore imbuit lacteo, minus solubilis, odoris balsamici fortis, ingrati, aliquantulum alliacei vel castorei, saporis initio subdulcis, nauseosi, postea amari, subacris et resinosi. Adportatur vel in massis magnis externe obsolete fuscis, interne ex albicante, rubente et profunde flavo variegatis, quibus copia inhaeret granorum lactei coloris, quae ungues sive amygdalas vocant, et arena, partibus lignosis, Seminibus Anethi Semini similibus mixtis, sic allatum, *Gummi Ammoniacum in Panibus* nuncupatur; vel in frustulis variae magnitudinis, albis vel flavescentibus, siccis, friabilibus, invicem conglutinatis, quod *Gummi Ammoniacum in Granis vel Lacrymis* appellatur. Pro usu interno

terno praecipue *Gummi Ammoniacum in Granis* eligendum; quod vero quum difficile comparatu, ungues sive amygdalas candidiores, variegatas, subsplendentes ex Panibus Gummi Armoniaci eximendae et sub titulo: *Gummi Armoniacum electum* servandae et adhibendae. Notetur et particularum albescentium superficies ex attactu aeris rufa reddi. Quo impurius et albidarum amygdalarum pauperius, eo vilius et ad usum medicum inutilius censendum. Iuxta cel. CARTHEUSER plus Gummosarum, quam Resinosarum Aqua solubilium partium continet, et Resinosae sunt maxime odoriferae. Oleum essentiale nondum obtentum, quod vero probabiliter principium hujus constitutivum efficit. Solutiones in Aqua et Aceto semper turbidae fiunt, et mora Resina inde separatur et fundum petit. Semper crudum adhibetur Gummi Ammoniacum, nulla enim depuratione ejus opus est; *Gummi Ammoniacum electum*, per se jam purum est, solutio in Aceto nihil valet, calore enim stimulantes et volatiles partes disperguntur. Ex Alexandria ad nos advehitur.

VIRES. *Interne* leniter stimulantes, solventes; *externe* resolventes, et emollientes.

USUS. *Interne* in Asthmate pituitoso, Catarrho suffocativo, Tussi pertinaci, obstructionibus glandularum mesenterii et inde orta hypochondriasi; in defectu mensium, in Hydrope ascite, anasarca et Hydrope pectoris. *Externe* forma Emplastri solvit tumores articulares, Ganglia, Lupias, Sarcocelen, et alios tumores induratos.

DOSIS. *Interne* a granis quinque ad decem, forma Pilulari aut in Mixtura. Miscetur in Pilulis saepe cum Extractis amaricantibus, Sulphure Antimonii aurato, Kermete minerali, Asa foetida, RESINA GUAJACI ARTE FACTA PURA, aut mercurialibus. In Mixtura cum Aceto, Aceto squillitico, Gummi arabico, Asa foetida. *Externe* cum Terebinthina solutum ad Emplastra, Aceto, Extracto Cicutae, Mercurialibus.

N. ph. l. ⊙ ASA FOETIDA, seu GUMMI ASAE FOETIDAE.

N. germ. *Stinkender Asant*, *Teufelsdreck.*

N. syst. L. (Ferula Asa foetida.)

Icon. Vide KAEMPF. amoenit. exot. p. 535. Tab. 536.

Partes usuales. *Gummi - Resina.*

Ferula Asa foetida; foliis alternatim sinuatis LINN. *Sp. pl. p.* 356.

Est Planta perennis Persiae indigena. *Asa foetida* est Succus gummiresinosus ex Radice dissecta lactis instar stillans, sole condensatus, in massis variae magnitudinis et figurae ad nos allatus; teterrimi lac istud initio odoris est, et hoc ipso Asam venalem longe superans. Ad nos advectus Succus hic condensatus est consistentiae cereae, fracturae languide splendentis, coloris flavescentis, rubescentis, fusci subinde et coerulescentis

tis passim, molleculis albis, subpellucidis interpersis, odoris alliacei fortis, saporis subacris amari. Dentibus subacta Asa foetida tenax, calore manus mollescens, in Aceto Vini tritu solerti plane solvitur lacteo colore, Aqua partes solvit gummosas pauciores, Alcohol Vini resinosas, ab Oleis vix afficitur. Divenditur subinde pro Asa foetida fraudulenter Resina alba cum Succo Radicis Allii contusa et siccata, quae fraus fractura perfectissime splendente, fragilitate facili et solubilitate perfecta in Spiritu Vini detegitur. Eligatur Asa foetida minime unguinosa, subsiccior et flexilis, pura, extus flava vel rubescens, interne nonnihil splendens ac multis granis albis pellucidis intermixta, odore et sapore gravissimo; rejiciatur unguinosa vel nimis emollita, nimis solida vel fragilis, penitus opaca, nigrescens, arena, corticibus et aliis heterogeneis mixta, odoris ac saporis debilioris vel depravati. Plus Gummosarum partium quam Resinae inesse docent Experimenta chemica. Oleum Tartari cum Spiritu Vini mixtum, praeter Spiritum Nitri dulcem, propria Asae foetidae menstrua sunt, ut et fere omnium reliquarum Gummi-Resinarum. Destillatione aquosa parumper Olei aetherei odorati obtinetur; foetore ejus et Spiritus et Aqua destillatione imbuitur.

VIRES. Calefacientes, antispasmodicae, anthelminticae, antiputredinosae.

USUS. *Interne* in affectionibus hystericis, Paralysi, Epilepsia, Tussi convulsiva, Colica flatulenta, Ardore ventriculi continuato, Hydrope, praecipue Tympanitide cum Hydrope juncta, vermibus. *Externe* in Tumoribus induratis, Scrophulis, Parotidibus, Tumoribus frigidis, ulceribus inveteratis, cariosis, in Spina ventosa, in Oecena, in Verrucis et Cancro verrucoso. Pediculos inguinales suo foetore abigit.

DOSIS. *Interne* a grano uno ad viginti; in vermibus grana duo ad decem forma Pilulari cum Extracto amaricante; vel etiam Aceto soluta; ad sanandam cariem drachma una bis de die in Pilulis datur. Miscetur in variis morbis *interne* cum Gummi ammoniaco, Myrrha, RESINA GUAJACI ARTE FACTA PURA, Valeriana, Moscho, Camphora, Sulphure Antimonii aurato, Mercurio dulci aut Mercurio praecipitato nigro solubili, cum Extracto Cicutae. *Externe* cum Extracto Cicutae et Terebinthina. Ventriculus Asam foetidam optime fert forma liquida; forma Pilulari non tam facile solvitur et solummodo hac forma delicatulis exhibetur. Ad solvendam in Aqua Asam foetidam prius Vitello ovi subigenda. Praesente plethora, febre aut saburra Asae foetidae usus vitandus. Solummodo in spasmis a debilitate nervorum ortis. In Enematibus praecipue in Tympanitide drachmae duae Asae foetidae propinantur Rheo simul quovis mane sumto. TINCTURA SIMPLEX et BALSAMICA a drachma semis ad duas, bis terve in die. TINCTURA SIMPLEX *externe* in Carie, Spina ventosa, Tumoribus frigidis, Scrophulis et Ulceribus putridis; in subjectis irritabilibus vero facile inflammationem causat.

PRAE-

PRAEPARATA.

ACETUM ASAE FOETIDAE.
TINCTURA SEU ESSENTIA ASAE FOETIDAE BALSAMICA.
TINCTURA SEU ESSENTIA ASAE FOETIDAE VINOSA.
} *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. ⊙ EUPHORBIUM, seu GUMMI EUPHORBII.
N. germ. *Euphorbium*, *Euphorbiengummi.*
N. syst. L. (Euphorbia officinalis.)
Icon. Vide BLACKWEL Tab. 340. ZORN Pl. med. Tab. 328.
Partes usuales. *Gummi - Resina.*

Euphorbia officinalis; aculeata nuda multangularis, aculeis geminatis LINN. *Sp. pl. p.* 647.

Est Frutex in Africa calidiori et Capite bonae spei habitans. *Gummi Euphorbii* est Succus gummi - resinosus albus lacteus praegressa caudicis Fruticis dicti vulneratione liquidi forma exsudans, forsan etiam ex pluribus Speciebus collectus et caloris solaris ope concretus. Guttae vel lacrymae variae sunt magnitudinis et multiplicis figurae, globosae, oblongae, angulatae, ramosae, et excavatae vel perforatae, friabiles, arena, terra aliisque heterogeneis subinde mixtae, extus sordide flavescentes vel rufescentes, intus albicantes, saporis post longiorem masticationem mordacis et urentis. Flammae admotum Euphorbium ardet odore grato et flamma lucida. Continet juxta celeb. LEWIS et NEUMANN ⅜ Extracti aquosi, et eandem quantitatem Resinae. In Resina praecipue causticum latere videtur. Tinctura enim spirituosa, minima licet quantitate degustata, tam acris est, ut mucilaginosa et oleosa vix intra horae spatium ardoris sensum exstinguere possint. Memorabile quoque, quod vapores, qui sub exhalatione infusorum se se dispergunt, naribus excepti pruritum et sternutationem cieant. Hinc solummodo externe adhibetur. Eligendae Guttae pallidiores, sicciores, majores, acriores, et ab inquinamentis purificatae.

VIRES. *Externe* sunt validissime errhinae, vesicas et inflammationem in cute excitantes. *Interne* venenatae.

USUS. *Interne* usus Euphorbii penitus vitandus. *Externe* forma pulveris ad quaedam grana in carie inspergitur; efficacior vero TINCTURA, si cum hac lintea carpta humectentur; cavendum tamen, ne partes carnosas tangat.

PRAEPARATUM.

TINCTURA SEU ESSENTIA EUPHORBII.) *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ⊙ GALBANUM, seu GUMMI GALBANI.
N. germ. *Galbanum*, *Mutterharz.*
N. syst. L. (Bubon Galbanum.)
Icon. Vide ZORN Pl. med. Tab. 210.
Partes usuales. *Gummi - Resina.*

Bubon Galbanum; foliolis rhombeis dentatis striatis glabris, umbellis paucis LINN. *Sp. pl. p.* 364.

Est Frutex in Aethiopia, Mauritania, Arabia, Persia habitans. *Galbanum* est Succus gummi - resinosus vel sponte ex nodis Fruticis vel sauciato trunco hujus vel expressione guttatim destillans concretus. Praesto est communiter in massis majoribus, ex frustulis siccis flavescentibus vel rufescentibus et albis nitidis aggregatis, quae facile diffringi possunt, Seminibus ac glumis admixtis, consistentiae tenacis cereae, calore mollescentis, frigore indurescentis, odoris gravis ingrati, saporis calidi, amaricantis acris. Neque in Alcohole Vini, quem aureo tingit colore et valde odoratum reddit, neque in Aqua, cui lactescentem impertitur colorem, neque in Aceto, neque in fluidis alcalinis solvitur penitus. Viribus proxime ad Gummi Ammoniacum accedit, sed Galbanum calidius est magisque stimulat, prout odore illud etiam superat. Differt quoque eo, quod Aqua destillatum Oleum essentiale ad $\frac{1}{11}$ partem circiter ponderis dimittat, (NEUMANN, CARTHEUSER), unde calida natura, quod vero Gummi Ammoniaco deest (LEWIS *M. m. p.* 288.). Eligatur siccum, flavescens, maculis albis subnitentibus dives; odoris fortis; rejiciatur arena, terra aliisque quisquiliis conspurcatum, coloris brunei vel nigrescentis, odoris debilis et consistentiae semper mollis, nullisque maculis albis stipatum. Galbanum olim in granis adportatum semipellucidis, extus albicantibus vel ex flavo rubellis, intus pallidis, tenacibus optimum quidem, sed difficillimum comparatu. Ex Turcia adfertur.

VIRES. *Interne* solventes, antispasmodicae, calefacientes; *externe* stimulantes, resolventes, maturantes.

USUS. Raro *interne* adhibetur et si ob varietatem praescriptionis fit, absente plethora, haemorrhagia, et febre; in hysteria, obstructionibus, spasmis, morbis pectoris pituitosis, mensium suppressione per se aut cum Camphora, Sulphure Antimonii aurato, Valeriana.

DOSIS. Forma pilulari ad grana decem aut quindecim per se; cum aliis ad drachmam unam. *Externe* EMPLASTRUM DE GALBANO CROCATUM ad resolvendum et dolores sopiendos adhibetur, etiam ad furunculos, bubones aliosque tumores maturandos.

PRAEPARATA et COMPOSITA.

GALBANUM DEPURATUM.)
EMPLASTRUM DE GALBANO CROCATUM.) *vide praeparata P. II.*

⊙ GUM-

⊙ GUMMI-RESINA GUAJACI NATIVA, seu GUMMI GUAJACI NATIVUM. vide *Lignum Guajaci.*

GUMMI LACCA, vide *Animalium Producta.*

N. ph. l.	GUMMI GUTTAE VERUM.
N. germ.	*Gummigutt, wahrhaftes Gummigutt.*
N. syst. Königii.	(Guttefera vera.)
Partes usuales.	*Gummi-Resina.*

Guttefera vera; foliis **ovatis vel obovatis**, oppositis, integerrimis, laevibus, coriaceis, rigidis, obscure viridibus, petiolatis, *floribus masculis*, racemo proprio insidentibus, vel inter flores *hermaphroditos* axillis foliorum adnatis, calyce tetraphyllo, (rarius 6-phyllo) foliolis ovato orbiculatis marginatis, quorum duo exteriora minora, duo interiora majora; corolla tetrapetala, patentissima calyce duplo majori, petalis obovatis coriaceis margine ciliatis, luteo albis basi rosea, oppositis duobus majoribus; staminum filamentis numerosis ad 30 ex receptaculo carnoso quadrangulari; clavatis, subquadrangularibus, antheris fertilibus; rudimento styli in nonnullis, stigmate echinato, inaequali, sterili. *Floribus hermaphroditis* verticillatim vel axillis foliorum vel articulis ramorum juniorum mixtim cum floribus masculis insertis, interdum geminatis oppositis. Calyce corollaque, quales in masculis, nisi parum majoribus; staminibus ut in maribus, interdum polyadelphis in phalanges quinque distributis, antheris fertilibus, pistilli germine globoso, stylo solitario brevi, stigmate tri-vel quadrilobato lobis patentibus obcordatis persistentibus. Vide (celeb. KÖNIG in illu. MURRAY *Apparatu medicaminum Tom. IV. p.* 654.).

Est Arbor staturae mediocris, ad Polygamiam monoeciam transferenda, in Regno Siamensi et Zeylona crescens. *Gummi Guttae* est Succus gummi-resinosus ex Arbore spissitudine Cremoris lactis guttatim stillans, calore solari siccatus; adfertur ad nos placentarum largarum vel magdaleonum vel frustorum insignium forma, colore ex flavo rufo, extus multo obscuriori, quo melius autem, pallide flavo. Gummi Guttae est siccum, friabile, fracturae nitentis, nonnihil transparentis, humectatum pallidum induit colorem, candelae admotum ardet flamma alba scintillante et cineres relinquente, in alcali liquido plane solubile colore sanguineo et limpido; saporis est primo nullius, postea vero acris cum siccitatis sensu, odoris nullius. Rejiciatur grumosum, sabulo et aliis quisquiliis contaminatum et decoloratum.

VIRES. Purgantes drasticae cum vomitu.

USUS. In verme Taenia, in hydrope absque febre et obstructionibus.

DOSIS. Grana duo ad viginti per se, aut miscetur cum Saccharo, cum Radice Filicis maris forma pulveris. Forma pilulari cum Extractis amaricantibus aut Extracto Valerianae. In hydrope grana duo, tria, ad

qua-

quatuor cum Saccharo exhibentur; etiam Aqua solutum addita solutione Salis Tartari, sic vires purgantes drasticae minuuntur et potius diureticae fiunt.

N. ph. l. GUMMI KINO, seu GUMMI GAMBIENSE, seu GUMMI RUBRUM ADSTRINGENS.

N. germ. *Kinogummi.*

N. syst. L. (Arbor hucusque ignota.)

Partes usuales. *Gummi - Resina.*

Gummi Kino; est Gummi - Resina in Regione Africae ad fluviam Gambia ex cortice Arboris adhuc ignotae post praeviam incisionem copiose instar Succi rubri guttatim promanans, adjuvante calore solari in massam solidam concreta, quae aliquot abhinc annis pervehi cepit. Ad nos adfertur in massis difformibus quibus saepe folia arundinacei generis adglutinata sunt, variae magnitudinis, solidis, fragilibus, ex rubro nigris, opacis, fracturae splendentis et saepe cellulosae, facile in frustula minora rubra et pellucida diffringendis, in pulverem redigendis profunde rubrum, odoris nullius, saporis valde mucilaginosi non ingrati et admodum adstringentis, cum quadam dulcedine. In Aqua et Alcohole Vini colore solvitur rubro, optime autem in Spiritu Nitri dulci. Sub masticatione stridet, dentibus adhaeret et salivam colore saturatius rubro tingit; flamma vix accenditur, nec liquescit sed tantummodo ignitur et cinerem relinquit griseum.

VIRES. Adstringentes.

USUS. *Interne* in diarrhoeis a debilitate, in haemorrhagiis variis a laxitate. *Externe* in vulneribus recentibus ad sistendum sanguinem, e. g. in vulneribus recentibus aut haemorrhagia post evulsionem dentium; in ulceribus scorbuticis et putridis.

DOSIS. In pulvere a granis decem ad triginta per se, aut cum Alumine, Gummi arabico, aut Saccharo. TINCTURA *interne* a guttis quinquaginta ad octuaginta in diarrhoea a laxitate. ALUMEN KINOSATUM quoque *interne* et PULVIS STYPTICUS *externe* egregie utuntur.

PRAEPARATA et COMPOSITA.

ALUMEN KINOSATUM.
EMPLASTRUM CONSOLIDANS VEGETABILE.
TINCTURA SEU ESSENTIA GUMMI KINO.
} *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. ⊙ MYRRHA RUBRA ELECTA, seu MYRRHA VERA PINGUIS.

N. germ. *Myrrhen, rothe auserlesene Myrrhen.*

N. syst. (Stirps adhuc obscura, secundum BRUCE'S Travels, Vol. V. p. 27. est Mimosae species.)

Partes usuales. *Gummi-Resina.*

Myrrha rubra; est Succus gummi-resinosus, quì illico, postquam profluxerit, aeris attactu indurescit et in granis sive lacrymis adfertur diversae magnitudinis et figurae, inaequalibus, fragilibus, subpellucidis, fracturae splendescentis, coloris ex rubro brunei, vel e fulvo ferruginei, saporis aromatici valde amari, nonnihil pungentis, odoris fragrantis specifici. Specimina majora interne interdum variegata sunt maculis vel striis incurvatis albis. Masticatione mollescit, dentibus adhaeret et salivam lacteo imbuit colore, difficulter inflammatur et cum flamma fuliginosa strepente, in Aqua plus solvitur quam in Alcohole Vini. Plus longe Gummi, quam Resinae Myrrhae inest. Insidet insuper illi Oleum aethereum; Aqua enim, in qua destillatur, non solum ascendit lactescens, sed Oleum secum vehit partim Aquae innatans partim fundum petens; etenim ex optimae Myrrhae libra una cl. THIELBEIN (vide CRELLS *neueste Entdeck. in der Chemie P. II. p.* 118.) drachmam semis Olei aetherei, odoris Foeniculi, post aliquot hebdomades instar Terebinthinae spissi, et rancidi, obtinuit. Oleo hocce separato, odor omnis Myrrhae perit. Myrrha in sortis aliis Gummatibus adulterata, divesque granorum nigrescentium rejicienda. Eligantur grana fulva et rufa, intus uti dictum variegata, fragilia, pellucida, levia, ad tactum non pinguia, sed manui calidae nonnihil adhaerentia, odoris et saporis fortis; rejicienda duriora, fusca, nigrescentia, albicantia, odoris nauseosi vel alieni, saporis nullius sive peregrini. Frustula Gummi Cerasorum immixta colore profundiore, splendore clariori, et saporis ac odoris destitutione dignoscenda, et ante usum strenue rejicienda. Pelluciditas Myrrhae suspectae arte per affusionem Spiritus Vini efficitur, quod facili granorum cohaerentia et minori fragilitate dignoscitur. Ex Africa, Arabia, Abyssinia, et Aegypto advehitur.

VIRES. *Interne* stimulantes, calefacientes. *Externe* resolventes, antiputredinosae, vulnerariae.

USUS. *Interne* in affectionibus hystericis, defectu mensium. *Externe* in carie, ulceribus scorbuticis, cariosis, verminosis, in gangraena et angina gangraenosa, ulceribus oris et faucium et ad dentifricia.

DOSIS. Per se a granis quinque ad decem. Miscetur etiam cum Gummi Ammoniaco, Gummi Guajaco nativo, Asa foetida, Sulphure Antimonii aurato, Extractis amaricantibus, Saccharo, Vitello ovi, Melle. In angina gangraenosa in gargarismate pro injectione in Vitello ovi solvitur et miscetur cum Decocto Corticis Peruviani. In carie per se in pulvere inspergitur. Plethoricis subjectis non convenit. EXTRACTUM MYRRHAE

HAE AQUOSUM ut *Myrrha* ipsa *cruda* adhiberi potest, est minus calefaciens. SACCHARUM MYRRHAE a granis viginti ad triginta in ulceribus pulmonum et vermibus adhiberi potest, verum in utroque casu vix efficax. LIQUAMEN MYRRHAE etiam optime ad injectiones ulcerum adhibetur, verum diuturnus usus ulcera callosa reddit.

PRAEPARATA.

EXTRACTUM MYRRHAE AQUOSUM.
MASSA PILULARUM BALSAMICARUM.
TINCTURA SEU ESSENTIA MYRRHAE.
} *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. OLIBANUM, seu GUMMI OLIBANI, seu THUS.

N. germ. *Weihrauch*, *Weihrauchharz.*

N. syst. L. (An Juniperus lycia, an Juniperus thurifera? nondum determinatum.)

Partes usuales. *Gummi-Resina.*

Juniperus lycia et Juniperus thurifera LINN. est Frutex Arabiae et Aethiopiae indigena, etiam in Hispania et in Gallia habitans. *Olibanum* est Succus gummi - resinosus e cortice exsudans. Prostat in granis variae magnitudinis et figurae, saepe invicem cohaerentibus, semipellucidis, siccis fragilibus, extus ex albo subluteis vel rubellis, saporis balsamici amari, subacris, odoris dulcis resinosi, suavis. Olibanum masticatum dentibus adhaerens, friabile nec in massam coagibile, facile inflammatur flamma lucida et odore gratissimo, cum Aqua lactescit, in Alcohole Vini maximam partem solvitur. Eligantur grana sicca, dilute lutea, fragilia, rejiciantur opaca, rufa, ramentis corticosis et quisquiliis variis intermixta. Contaminatio Resina Pini, quae Thus vulgare vocatur et Laricis, colore e flavo et rufo variegato, sapore amariore ingrato et super igne odore dignoscitur terebinthinaceo. Ex Arabia et Aethiopia per Meccam Cairam porroque maxima pars Massiliam allata ad nos advehitur.

VIRES: Vulnerariae.

USUS. *Externe* ad Tincturas vulnerarias et suffimigia discutientia adhibetur.

PRAEPARATUM.

SPECIES FUMALES COMMUNES.) *vide praeparata P. II.*

N.

N. ph. l. V. ⊙ PIX SOLIDA, NIGRA, COMMUNIS, seu NAVALIS; et PIX BURGUNDICA.

N. germ. *Pech, gemeines Pech, gelbes, Schiffpech, und burgundisches Pech.*

N. syst. L. (Pinus Abies.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 198. ZORN Pl. med. Tab. 527.

Partes usuales. *Gummi-Resina, seu Pix solida, et Pix burgundica.*

Pinus Abies; foliis solitariis subulatis mucronatis laevibus bifariam versis LINN. *Sp. pl. p.* 1421.

Est Arbor in sylvis humidis Europae frequens. *Pix solida communis* est Succus gummi-resinosus ex corticibus sauciatis elicitus, in fornacibus picariis eliquatus et destillatione quadam per descensum in labra lignea plus minusve magna, communiter centenarii capacia, receptus. Pix est solida, calore leni liquescens, flammae admota ardet fumo nigro et odore ingrato resinoso, suffocante; coloris est, vel nigrescentis vel flavi vel bruni, fracturae splendescentis. Eligatur coloris flavi, vel brunei. Paratur in Thuringiae, Hercyniae Regionibus sylvaticis. *Pix burgundica* est idem Succus gummi-resinosus sponte ex corticibus ejusdem Arboris stillans, in lebete cum Aqua cocta, ut primum bullire incipit exemta et per sacculos laneos premendo permissa; mollis, coloris flavo-brunei, saporis ac odoris terebinthinacei.

VIRES. Cuti applicata tenaciter adhaeret, eandemque rubefacit.

USUS. Emplastris variis tenacitatis causa praecipue additur.

N. ph. l. V. ⊙ STORAX, seu STYRAX VULGARIS, seu SCOBS STORACINA.

N. germ. *Gemeiner Storax.*

N. syst. (Videtur esse Residuum ab excoctione et expressione Balsami Peruviani juxta WIEGLEB.)

Partes usuales. *Gummi-Resina.*

Styrax vulgaris est Massa badio rufa, Turfae speciem habens, levis, quae inter digitos facile conteritur, compressione autem in pastam compingi se patitur, constans ex gummi-resinosis partibus, scrobe lignea, sabulo aliisque quisquiliis, odoris fragrantis grati, instar Balsami Peruviani Styraci commixti, saporis aliquantisper amari. Glebis multarum librarum pondere ad nos ex Turcia per Massiliam transfertur, quae ipsae pressionis praegressae notas in se ferunt. Igne ardet, combusta gratum eundem odorem spargit, qui Styraci integro inest. Fatendum et hujus Historiam adhuc esse mancam, nec nisi nova peregrinatorum indagine perficien-

ciendam. Aliena ista, an lucri unice causa addita, an necessitate massam inde solidam formandi? non dixerim. Haec Species unica in officinis obvia; *Styrax* enim in *granis* et *Styrax* in *massis vesicis inclusa*, ex *Styrace officinali* LINN. Arbore in Italia, Gallo-provincia, Luisiana Americes, Aethiopia, Palaestina, Arabia, et quibusdam Insulis Archipelagi crescente, et inde post incisionem forma liquida instar Succi gummi-resinosi promanantis dein concreti, proveniens, in officinis ob pretium vix unquam obvia. *Styrax vulgaris* Aquae infusione impertit odoris sui tantillum, saporem leniter balsamicum et colorem aureo-luteum. Destillatione haec odore valde fragrante imbuitur. Vini Spiritus Resinam inde facile solvit, sordibus et gummosa parte relictis. Resina pura maxime fragrans est. Haec, si sola destillatur, una cum Oleo empyreumatico, Sal, Benzoes floribus non absimile, dimittit (LEWIS *M. m. p. 566.*). Extractum spirituosum triplo majus pondus aquoso constituit. Spiritus Vini ex *Styrace vulgari depurato* extrahit partes resinosas et format Tincturam, quae odoris fragrantia et amoenitate raras dictas duas Species Styracis multum superat.

VIRES. Vulnerariae, balsamicae.

USUS. Ad balsama vulneraria et suffimigia discutientia. UNGUENTUM DE STYRACE in vulneribus ligamentorum, membranarum et in gangraena, at cum Camphora mixtum, laudatur.

PRAEPARATA et COMPOSITA.

SPECIES FUMALES ODORATAE.
STYRAX VULGARIS DEPURATUS.
TINCTURA SEU ESSENTIA STYRACIS DEPURATI.
UNGUENTUM DE STYRACE.

} *vide praeparata P. II.*

D. RESINAE.

N. ph. l. V. BENZOE AMYGDALODES, seu GUMMI BENZOES, seu ASA DULCIS.

N. germ. *Benzoe, wohlriechender Asant.*

N. syst. cl. Dryanderi. (Styrax Benzoin.)

Icon. Vide cl. DRYANDER in Botanical description of the Benjamin tree of Sumatra inserta Volumini 77. actorum Philosophical Transactions. Tab. 12.

Partes usuales. *Resina.*

Styrax Benzoin; foliis oblongis acuminatis subtus tomentosis, racemis compositis longitudine foliorum cl. DRYANDER l. c.

Est

Est Arbor, copiose in Insulae Sumatrae septentrionalibus et media parte, item in Java et Regno Siamensi crescens.

Benzoe est Succus resinosus concretus, qui in magnis massis impressionibus cannae notatis, vel adhuc canna tectis, siccis, duris, fragilibus, opacis, rubicundo-bruneis, quibus multae inspersae sunt moleculae albae vel flavescentes, ad nos adportatur; odoris, praecipue si prunis inspergitur vel teritur vel incalescit, suavis penetrantis, saporis subdulcis ac aromatici. Benzoe flammae admota inflammatur flamma lucida, fuliginosa, superstite carbone nigro; in Alcohole Vini tota solubilis Tinctura profunde ex flavo rubicunda, ex affusa Aqua lactescente, tumque LAC VIRGINIS dicitur; nullis Oleis solvitur, nec Aqua, cui vero per digestionem communicat fragrantem suum odorem. Destillatione sicca in vase terreo intra carbones vel balneo arenae superimposito cucullo papiraceo alto sublimatur SAL ACIDUM BENZOES, seu FLORES BENZOES, seu SAL ESSENTIALE BENZOES, odoris fragrantis, saporis aciduli linguam faucesque pungentis, crystallos argenteas leves subulatas lineares formans; dum hi flores flavescere incipiunt finitur operatio et separatis floribus ex residuo *Benzoes* in retorta vitrea instituitur destillatio, prodit initio Oleum tenue cum liquore acido, his ablatis et alio excipulo apposito prodit Oleum butyraceum fragrantis et suavis odoris instar Balsami Peruviani dicitur OLEUM BENZOES. Praestat Benzoe pura rubescens et multarum molecularum albarum dives, *Benzoe amygdalodes* dicta; vilior est *Benzoe in sortis* et rejicienda, si brunea, nigrescens, impura, et granis albis vel flavis destituta.

VIRES. *Interne* stimulantes, solventes, incidentes; *externe* resolventes, discutientes, vulnerariae, albo-cosmeticae.

USUS. *Interne* raro; quandoque tamen in asthmate pituitoso, in chlorosi, mensium suppressione, hysteria.

DOSIS. In pulvere a granis quatuor ad decem cum Saccharo; in pilulis cum aliis gummi-resinosis a granis decem ad viginti. OLEUM BENZOES a guttis tribus ad quatuor in hysteria et debilitate nervorum egregie convenit; *externe* Oleum cum unguentis ad paralysin. TINCTURA BENZOES ad vulnera et ulcera pura, ad dentes cariosos et laxitatem gingivarum adhibetur. Tinctura haec Aquae instillata hanc lactescere facit; haec Aqua LAC VIRGINIS audit, quia albo pigmento cutem obducit.

PRAEPARATA.

FLORES BENZOES.
TINCTURA SEU ESSENTIA BENZOES. } *vide praeparata P. II.*
OLEUM BENZOES.

N. ph. I. V. ⊙ CAMPHORA JAPONICA CRUDA VULGARIS DEPURATA, seu RAFINATA.

N. germ. *Kampher, gereinigter, rafinirter Kampher aus Japan.*

N. syst. L. (Laurus Camphora.)

Icon. Vide CHOMMEL Hort. Amstelod. Tom. I. p. 185. Tab. 95. ZORN Pl. med. Tab. 524.

Partes usuales. *Camphora, seu Succus vegetabilis inflammabilis concretus.*

Laurus Camphora; foliis triplinerviis lanceolato-ovatis LINN. *Sp. pl. p.* 528.

Est Arbor copiosissime in Japoniae sylvis spontanea, etiam in Java, in Borneo, Sumatra et in Capite bonae spei habitans. Haec Stirps praecipua est, ex qua concrementum istud, *Camphora* elicitur, et unica, quae Europaeis illud suppeditat. Praeterea plures sunt, quae similem materiem continent sed ex dictis Arboribus Camphora unice cum lucro colligitur. Multae insuper aliae Stirpes reputantur camphoriferae, licet mallem, hocce judicium chemicae indagini, quam similitudini unice saporis vel odoris superstructum fuisse. Ita sentio de *Roremarino*, *Salvia*, *Sclarea*, *Hyssopo* et plerisque aliis verticillatis odoris, de *Chenopodio ambrosioide*, *Camphorata*, *Millefolio*, *Agerato*, *Unxia camphorata* (LINN *Suppl. p.* 368.) rel. De aliis quibusdam autem certiora novimus, utpote quum vera Camphora ex hisce eruta declaretur. Hujus census sunt *Schoenanthus Persicus*, *Radix Zedoariae*, *Herba Thymi vulgaris*, *Herba Menthae piperitae*, *Herba Lavandulae*, *Cubebae*, *Terebinthina*. Remotiori paullum jure recentiores quidam ex *Herba Anemones pratensis*, *Seminibus Foeniculi*, *Radice Asari* Camphoram se se elicuisse arbitrantur, quum haec concrementa multis momentis a Camphora vulgari differant. *Camphora* est Succus vegetabilis inflammabilis seu principium vegetabilium peculiare, inprimis ex dicta Arbore per sublimationis modum elicitum; ex Japonia transmissa, *cruda* vocatur; constat ex glebis parvis plerumque griseis et variis sordibus ex stramine, ligno, pilis, lana etc. contaminatis ex natali loco allata, sublimatione repetita, adjecta tertia aut quarta parte Calcis dilapsae aut Cretae, *depurata* et in massas seu panes orbiculares, in medio communiter perforatas, ultra pollicem crassas coacta.

Camphora depurata est alba, levis, transparens, nitida, fragilis, solida, ad attactum subpinguis, inter dentes subtenax, fracturae splendescentis et crassis granis crystallinae, odoris peculiaris gravissimi balsamici, Rorimarino similis, saporis acris, aromatici, amaricantis, cum sensu primo ustionis, postea refrigerationis insignis. Aquae innatat, Aeri libero exposita sensim avolat, per se non in pulverem redigenda, optime autem cum aliquot guttulis Spiritus Vini, flammae admota ardet igne lucido albo, fumoque copioso nullam cinerem relinquens; ardet quoque frustulum paullo majus sub natatione in Aqua. Lente vitrea autem vel speculo caustico non

ac-

accenditur, licet charta et tabula lignea lenti subjecta ignem conceperit. Nec in flammam erumpit, carboni candenti imposita, sed in fumum resoluta aufugit. Forma crystallorum sub qua *Camphora* comparet, dum Spiritus Vini, quo soluta fuit, in vitro subter microscopio difflatur, stellulas niveas refert radiis vel uno vel quatuor vel sex. Per modum praecipitationis, si Camphorae Spiritu Vini solutae instillatur Aqua, vegetatio elegans formatur. In Alcohole Vini enim, in Acido vitriolico et nitroso et Oleis penitus, minime vero in Aqua, in Aceto concentrato ac in Spiritu Salis solubilis, mediante vero mucilagine *Gummi tragacanthae* vel *Gummi arabici*, vel *Vitello ovorum* Aquae miscibilis. Solvitur et Aere fixo Aqua frigida excepto. Respuit vero unionem cum alcali, sive fixum sit, sive volatile nec cum alterutro Saponem efformat, absque peregrino adjumento, in quem finem alcali causticum elegit cl. BINDHEIM (CRELL'S *chem. Entdeck. P. II. p.* 113.), solvitur et in Aqua Calcis pura. Multa igitur, ut ex dixtis elucet, *Camphora* cum Oleis essentialibus, Aethere, et Resina, communia habet; in multis tamen ab hisce, quam aliis corporibus, Gummi, Gummi-resina, Sale volatili oleoso, ita differt, ut necesse sit, pro singularis planae naturae substantia agnoscatur. Scrutinio chemico subjecta Camphora aeque pertinax decompositioni resistit, ac Hydrargyrus. Legi merentur ingeniosa et operosa experimenta, quae cl. KOSEGARTEN in hunc finem instituit. (vide *ejus Dissert. de Camphora p.* 44. *sqq.*). A Pharmacopola servetur in vesica inclusa et vasi clauso immissa. Ex Java et Japonia Camphora cruda seu nativa adfertur et in Belgia et Germania dicto modo depuratur seu rafinatur.

VIRES. Stimulantes, calefacientes, resolventes, diaphoreticae.

USUS. *Interne* in exanthematibus retropulsis, ut miliaribus, morbillis, et variolis, etiam si hae ultimae ob vires dejectas non elevantur. In febribus malignis ubi symptomata periculosa adsunt ut singultus, pulsus debilis fit, et vires vitales multum minuuntur. Ad salivationem a Mercurio orundam, avertendam, non vero praesentem tollendam, optimum remedium. Etiam in usu Cantharidum addita Camphora stranguriam avertit. In gangraena et sphacelo, in epilepsia, mania et hydrophobia. *Externe* in contusionibus et sugillationibus, in febre morbillosa et scarlatina ad emendandam difficilem respirationem fomentum cum Camphora pectori applicatur. In gangraena, carie, ulceribus putridis et verminosis crurum, iu carne fungosa, pulvis ex aequali parte Camphorae et Sacchari inspersus prodest vi antiseptica. In doloribus ulcerum inveteratorum Camphora cum mucilagine Gummi arabici soluta anodyna vi agit. In tinea et scabie capitis aut aliis morbis cutaneis lacte soluta Camphora egregium detergens est. Camphora Oleo soluta tumores cysticos, maculas corneae, ophthalmiam chronicam et palpebrarum tumores solvit aut emollit.

DOSIS. *Interne* a grano uno ad quinque. Miscetur saepe cum Saccharo, Cortice Peruviano, Mercurio dulci, Nitro, Cantharidibus, Tartaro emetico ubi variolosa eruptio non rite procedit; cum Gummi arabico, Tra-

gacanthae, Amygdalis decorticatis, Vitello ovi, Oleis, Aceto, Aqua, Spiritu Vini, Herbis resolventibus.

Ad Camphoram in pulverem redigendam adduntur aliquot guttae Spiritus Vini; hoc etiam fieri debet, etiamsi Saccharum aut Nitrum admisceatur, Saccharo enim solo nunquam in tam subtilem pulverem redigitur Camphora, nisi Spiritu Vini humectata fuerit. In solutionibus aquosis mucilago Gummi Tragacanthae et Vitellus ovi aliis praeferenda ut Camphora aequabiliter subacta retineatur.

Ad usum Camphorae determinandum, tempus quando exhibenda et symptomata, quibus praesentibus conducat, indicanda, ad sequentia attendendum.

Primo. Adhibenda Camphora viribus vitalibus dejectis, verum non diutius in ejus usu continuandum, quam, donec vires iterum erectae fuerint. Sic in multis morbis adhiberi poterit.

Secundo. In exanthematibus acutis et chronicis retropulsis et si pars nobilis a materia retropulsa afficiatur. Ita et subita sufflamminatione transpirationis. In similibus casibus Camphora vires antispasmodicas exserit, cum inde multi morbi nervosi et spastici oriri possint.

Tertio. Externe est remedium valde resolvens, quod stimulo suo, defectum irritabilitatis et inde ortas obstructiones, tollit, quae parti cuidam valde obesse possunt.

ACETUM CAMPHORATUM antisepticum est egregium, atque tam *externe* quam *interne* praescribi solet.

SPIRITUS VINI CAMPHORATI usus est *externus*; roborat, inflammationes, congestiones dolorificas dissipat, et in affectibus spasticis bonum edit effectum.

Forma cataplasmatis Camphora cum pulpa pomorum, mica panis albi, et Croco in ophthalmia sperato effectu applicatur. OLEUM CAMPHORAE CAUSTICUM carnem fungosam aufert.

V. ⊙ COLOPHONIUM. vide *inter Herbas Turiones Pini.*

N. ph. l. ⊙ ELEMI, RESINA ELEMI.

N. germ. *Elemi, westindisches oder amerikanisches Oehlbaumharz.*

N. syst. L. (Amyris elemifera.)

Partes usuales. *Resina.*

Amyris elemifera; foliis ternatis quinato - pinnatisque subtus tomentosis LINN. *Syst. veg. p.* 298.

Est Arbor in Carolina, Brasilia et nova Hispania habitans. Juxta celeb. PRESTA etiam ex *Olea europaea* Neapoli colligitur. *Resina Elemi* est Succus resinosus ex cortice inciso promanans, solidus, fragilis, calore mollescens, semitransparens, flavescens vel griseus cum immixta viredine, odoris peculiaris fragrantis, ad foeniculum accedentis, saporis amaricantis. In Alcohole Vini penitus solubilis, in Oleis pro parte; Terebinthina

illam

illam calore adjuvante penitus quoque solvit. Libra una civilis Resinae Elemi unciam unam Olei essentialis destillatione cum Aqua largitur odoris fragrantis foeniculi linguam pungentis. (LEWIS.). *Spurium* interdum occurrit Elemi ex Resina flava cum Oleo Spicae et Terebinthinae compositum, odore terebinthinaceo detegendum. Rejiciatur Elemi friabile, fuscum vel nigrescens. Olim Resina Elemi advecta fuit in foliis canneis involuta semipellucida, digitis adhaerens, odoris penetrantis, nunc in massis magnis in cista inclusis coloris cinereo-viridis, foliis, Resina et aliis impuritatibus mixtis.

VIRES. *Externe* depurantes, vulnerariae, consolidantes.

USUS. *Externe* ad vulnera quaecunque praecipue vulnera tendinum et nervorum sananda adeo frequenter adhiberi solet forma UNGUENTI ELEMI, seu BALSAMI ARCAEI.

PRAEPARATUM.

UNGUENTUM ELEMI, seu BALSAMUS ARCAEI.) *vide praeparata P. II.*

⊙ RESINA JALAPPAE. vide *Radicem Jalappae*, *et praeparata P. II.*

N. ph. l.	V. ⊙ MASTIX.
N. germ.	*Mastix.*
N. syst. L.	(Pistacia lentiscus.)
Icon.	Vide BLACKWEL Tab. 195. ZORN Pl. med. Tab 580.
Partes usuales.	*Resina.*

Pistacia lentiscus; foliis abrupte pinnatis foliolis lanceolatis LINN. *Sp. pl. p.* 1455.

Est Arbor in Insulis Archipelagi, in Sicilia, Italia, Hispania, Gallia inferiori crescens. *Mastix* est Resina ex sauciato Arboris cortice in Insula Chio hunc in finem inprimis cultae stillans. Advehitur in granis sive lacrymis variae magnitudinis, fragilibus, siccis, leviter subpellucidis, fracturae aequalis nitidae, citrini coloris, odoris dulcis subbalsamici, saporis aromatici quodammodo adstringentis; masticata mollescit et tenax evadit, super prunis grato odore inflammatur, in Alcohole Vini et Oleis expressis, praecipue vero in essentialibus solvitur: eligantur e Mastiche in sortis grana majora, coloris flavescentis, semipellucida, nitida, et rejiciatur Resina Masticheѕ coloris profundioris, coerulescentis, sordidi, impura, et Mastix in panibus adulterationis valdopere suspecta.

VIRES. *Externe* vulnerariae, roborantes.

USUS. Pulvis vel suffimigium in prolapsu intestini recti applicatur, eodem emphysema dissipatur. TINCTURA MASTICHES ad vulnera et ulcera sanan-

nanda est egregium medicamentum, nec non ossa nudata aut laesa; haec pellicula balsamica aerem arcendo incrustat et sic a carie praeservat. TINCTURA MASTICHES, cum Mercurii sublimati corrosivi granis quibusdam mixta, est efficacissimum remedium in ulceribus venereis. Pulveribus dentifriciis *Mastix* quoque additur. Foeminae turcicae Resinam Masticbes crebro mandunt, ut albedinem et splendorem dentium servent gratumque oris halitum spirent.

PRAEPARATUM.

TINCTURA SEU ESSENTIA MASTICHES.) *vide praeparata P. II.*

V. ⊙ PIX ALBA, seu RESINA ALBA COMMUNIS. vide inter *Herbas Turiones Pini.*

SANDARACA. vide *Lignum Juniperi.*

§. II. LIQUIDA.

A. BALSAMA.

N. ph. l. V. ⊙ BALSAMUS PERUVIANUS NIGER, seu INDICUS NIGER, seu DE PERU.

N. germ. *Schwarzer Perubalsam, schwarzer indianischer Balsam.*

N. syst. L. (Myroxilon peruiferum.)

Icon. Vide HERNAND. Thes. rer. med. nov. Hispa. p. 51. c. fig.

Partes usuales. *Balsamus.*

Myroxilon peruiferum; LINN. *Suppl. pl. p.* 233.

Est Arbor in calidissimis Regionibus Americae hispanicae v. c. in Terra firma habitans. *Balsamus Peruvianus* est Resina oleosa fluida, ex ligno, cortice et foliis coctione obtenta, consistentiae Syrupi, coloris e spadiceo nigricantis, opaca, ponderosa, odoris fragrantis Vanillae quodammodo similis; si vitrum, in quo uncia una hujus Balsami genuini et optimae notae, in cubiculo aperitur, et sic apertum manet per aliquot minuta secunda, totum cubiculum simili odore repletur; saporis est aromatici, acris, subamaricantis. Prunis inspersum *Balsamum Peruvianum* odorem spargit gratum, inter digitos diductum fila subtilia pellucidula exhibet, Aquae frigidae guttatim instillatum fundum petit, bullienti vero in pelliculam oleosam supernatantem et in partem graviorem subsidentem dehiscit, cum Aqua non miscibile, nisi mucilagine quadam vel Vitello ovi addito unionem cum illa subeat: attamen Aqua cum Balsamo hoc conquassata impraegnatur partibus odo-

odoris; Oleis expressis miscelam respuit, in Alcohole Vini minus solubile quam in Spiritu Vini rectificato, Oleis aethereis genuinis se conjungens et cum illis conjunctum in Alcohole Vini penitus solubile, cum Oleo Vitrioli in Mixturam coeuns rubicundissimam et plane sine calore aut effervescentia. Non satis constans connubium praestat Saccharum, si eo excipitur. Destillatione cum Aqua dat ponderis sui $\frac{1}{8}$ Olei destillati, coloris rubicundi, odoris fragrantis et saporis pungentis. Diuturna statione in fundo vasis generantur crystalli salinae, quae solutae Aqua *Flores Benzoes* mentiuntur (CRELLS *chem. Jour. P. I. p.* 58.).

Rejiciatur Balsamum cum Oleis expressis conjunctionem permittens, in Alcohole Vini penitus solubile, nigrum, odoris empyreumatici, sive debilis minusque suavis, cujus guttula chartae instillata rubicunda apparet et promte defluit. Adulteratio cum *Balsamo Copaivae* ex instillatione Olei Vitrioli effervescentiam et male olentem fumum excitante, dignoscenda; cum Oleo quodam ope Cerae contaminatum Balsamum, ab heterogeneis separatur et fundum petit, si super igne collocatur; cum Saccharo tosto vitiatum Oleis aethereis nec conjungitur, nec in Spiritu Vini solvitur et in cochleari candenti super prunis initio quidem odorem genuini gratum, postea vero Sacchari usti largitur, carbone remanente difficili incineratu. Spurium sive artefactum Balsamum vel ex gemmis Populi et Oleo Benzoes, vel ex Benzoe, Styrace, Oleo et Asphalto, odore et aliis dictis notis characteristicis a probo dignoscitur.

VIRES. Stimulantes, calefacientes, vulnerariae, consolidantes.

USUS. *Externe* ad ulcera pura consolidanda cum octo partibus Mellis; per se etiam Emplastris stomachicis additur.

PRAEPARATUM.

TINCTURA SEU ESSENTIA BALSAMI PERUVIANI.) *vide praeparata P. II.*

V. ⊙ TERREBINTHINA COMMUNIS. vide inter *Herbas Turiones Pini.*

N. ph. l. V. ⊙ TEREBINTHINA LARIGNA, seu VENETA.

N. germ. *Lerchenterpentin*, *Venedischer Terpentin.*

N. syst. L. (Pinus Larix.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 477. ZORN Pl. med. Tab. 89.

Partes usuales. *Balsamus*, *seu Resina liquida.*

Pinus Larix; foliis fasciculatis obtusis LINN. *Sp. pl. p.* 1420.

Est

Est Arbor in montibus vel alpibus mediocris altitudinis Helvetiae, Galliae, Bohemiae, Germaniae, Hungariae, Tyrolis, Styriae, Sibiriae crescens. *Terebinthina Larigna* male *veneta* dicta, quum non per Venetos sola tranferatur; est Succus resinoso-oleosus seu Resina liquida vel sponte vel ex foraminibus cortici terebratis promanans, consistentiae Mellis vel Syrupi, tenax, pellucidus, coloris albi flavescentis, odoris gravis, resinosi, ingrati, saporis amaricantis pungentis, nauseosi, minus acris *Terebinthina communi* et purior. Eligatur Terebinthina recens, liquida, albidior et pellucidior, cujus guttula ungui instillata, adhaeret; rejicienda vero crassa, flava, vel subfusca. Adfertur ex America septentrionali, ex Germania australi, ex Sabaudia, Helvetia, Delphinatu.

B. OLEA AETHEREA.

N. ph. l.	⊙ OLEUM CAJEPUT.
N. germ.	*Kajeputöhl.*
N. syst. L.	(Melaleuca Leucadendron.)
Icon.	Vide ZORN Pl. med. Tab. 307.
Partes usuales.	*Oleum aethereum.*

Melaleuca Leucadendron; LINN. *Mant. I. p.* 105. Melaleuca Leucadendron, foliis alternis lanceolatis subfalcatis quinquenerviis, spica elongata. LINN. *Filii suppl. p.* 342.

Est Arbor in Insulis Moluccanis habitans. *Oleum Cajeput* est Oleum aethereum ex foliis destillatum limpidum, pellucidissimum, coloris graminei vel coerulei viridescentis, odoris camphoracei fortis, saporis aromatici Cardamomum aemulantis, fortis, initio calidi postea refrigerantis, accensum vel evaporationi commissum ne minimum relinquens residui. Rejiciatur *Oleum Cajeput* profunde viride, minusque pellucidum, mangonisationis suspectum, et Oleum factitium ex Oleo Rorismarini et Camphora, quod Saccharo instillatum et in Aqua solutum, Camphoram Aquae ostendit innatantem. Destillatur in India orientali nominatim in Insula Banda, vasis cupreis, exinde in ejusmodi ampullis, unde verosimile color viridis coerulescens exoritur, Bataviam et deinde in Belgium mittitur, ex quo ad nos adfertur.

VIRES. Stimulantes, calefacientes, carminativae.

USUS. *Interne* in spasmis, colica flatulenta, affectionibus spasmodicis uteri, in paralysi linguae, Tetano, Chorea St. Viti. *Externe* in contusionibus et sugillationibus cum Spiritu Vini, in odontalgia, etiam unguentis nervinis additur. Hominibus plethoricis non convenit.

DOSIS. OLEUM CAJEPUT RECTIFICATUM solummodo adhibetur, *interne* a gutta una ad quatuor cum Saccharo, Magnesia, Rheo; aut Spiritu Vini *externe.*

PRAE-

PRAEPARATUM.

OLEUM CAJEPUT RECTIFICATUM. } *vide praeparata P. II.*

V. ⊙ OLEUM CORTICUM AURANTIORUM, seu OLEUM BERGAMOTTAE. vide *Fructus Aurantiorum.*

V. ⊙ OLEUM CORTICUM CITRI, seu OLEUM DI CEDRO, seu ESSENZA DI CEDRO. vide *Fructus, seu Mala Citrea.*

V. ⊙ OLEUM TEREBINTHINAE, seu SPIRITUS TEREBINTHINAE. vide inter *Herbas Turiones Pini.*

C. OLEA UNGUINOSA, seu EXPRESSA.

V. ⊙ OLEUM LINI EXPRESSUM. vide *Semina Lini.*

N. ph. l. V. ⊙ OLEUM OLIVARUM VIRGINEUM; et COMMUNE NON ADULTERATUM.

N. germ. *Provenzeröhl, weisses Baumöhl; und gemeines unverfälschtes Baumöhl.*

N. syst. L. (Olea europaea.)

Icon. Vide BLACKWEL Tab. 199. ZORN Pl. med. Tab. 319.

Partes usuales. *Oleum expressum recens.*

Olea europaea; foliis lanceolatis LINN. *Sp. pl. p.* 11.

Est Arbor Europae meridionalis indigena. *Oleum Olivarum* est Oleum ex fructibus expressum, pellucidum, albidum vel subflavum, odoris levissimi, saporis subdulcis, blandi, frigoris impatiens, et grad. 40 Fahr. in massam sebaceam albam cogitur, remanente, in meditullio, quopiam Olei clari minime coagulabilis; Aeri expositum non exsiccescens, flamma ardens lucida parum fumante, vix olente. Rejiciatur profunde flavum, viridescens, opacum, turbidum, odoris mali sive piscini ac saporis rancidi sive acris. Oleum Olivarum rancidum vel alio modo vilius, emendationis scopo, vitiatur subinde Plumbo, interdum etiam contaminatur Oleo Lini, vel Raparum, quibus albedo et dulcedo ope Plumbi procurata est, quod Oleum particulis saturninis venenatum et ideo rejiciendum, per colorem bruneum seu nigrescentem ex instillato Liquore Vini probatorio facile detegitur. Adulteratio aliis cum Oleis v. c. Lini, Raparum, Papaveris, congelatione seriori, bullulis aeris in agitatione et flamma impura proditur. Ad praecavendum rancorem plerumque in loco natali Sal marinum Oleo admiscetur transmit-

tendo, quod agitatione crebra et forti in itinere subinde ex fundo commotum, ob spissationem Olei in temperatura frigidiori cum eo mixtum manet et saporis auctor evadit salini. In Gallia, Italia et Hispania paratur.

USUS. *Interne*, tanquam remedium emolliens et involvens in ingestis venenis, in colica spasmodica, stranguria, vermibus, volvulo, in arthritide vaga; etiam specificum in morsu viperarum. *Externe* in hydrope et pertinaci alvi constipatione; ad enemata, unguenta et Emplastra.

DOSIS. Pro usu *interno* praefertur Oleum Amygdalarum dulcium recens; ad enemata *Oleum olivarum* ab uncia semis ad duas, aut sex, si mere ex Oleo constat, vel etiam plus prout circumstantiae indicant. SAPO ACIDUS vires diureticas et solventes possidet, hinc praecipue in hydrope, obstructionibus viscerum et cachexia a granis decem ad drachmam unam Aqua solutus pro dosi exhibetur.

PRAEPARATUM.

SAPO ACIDUS.) *vide praeparata P. II.*

D. SUCCI RECENTES.

V. ⊙ SUCCUS BERBERUM. vide *Fructus Berberum.*

N. ph. l. V. ⊙ SUCCUS BETULAE.
N. germ. *Birkensaft*, *Birkenwasser.*
N. syst. L. (Betula alba.)
Icon. Vide BLACKWEL Tab. 240. ZORN Pl. med. Tab. 546.
Partes usuales. *Succus recens.*

Betula alba; foliis ovatis acuminatis serratis LINN. *Sp. pl. p.* 1393.
Est Arbor in sylvis nostris crescens. *Succus Betulae* est Succus perforatione ramorum superiorum circiter tres pollices crassorum, diebus calidis, meridie et austro vel favonio flante, praecipue primo vere ante frondium eruptionem facta, elicitus, coloris flavescentis, saporis aciduli dulcis. Magna copia prodit, adeo ut ex ramo vulnerato unica die librae octo aut decem collectae (SWIETEN *Comment. T. V.* §. 1428.). Quo inferius terebratur eo crudior et aquosior est, quo altius eo meracior et acidior. Servetur Oleo Olivarum virgineo tectus, vel in vase fumo sulphuris antea impraegnato, ne fermentescat.

VIRES. Diureticae, antiscorbuticae.

USUS. In scorbuto, scabie et aliis morbis cutaneis.

DOSIS. SUCCUS ad libram hauritur tempore vernali.

V.

V. ⊙ SUCCUS CITRI RECENS. vide *Fructus Citri.*

V. ⊙ SUCCUS CYDONIORUM. vid *Fructus Cydoniorum.*

V. ⊙ SUCCUS UVARUM RECENTIUM seu MUSTUM. vide inter *Fructus Uvas.*

E. SUCCI FERMENTATI SPIRITUOSI, SINCERI, NON ADULTERATI, QUI IN OFFICINIS SEMPER PRAESTO ESSE DEBENT.

V. ⊙ VINUM AUSTRIACUM MONTÀNUM. vide inter *Fructus Uvas.*

V. ⊙ FECES VINI AUSTRIACI. vide inter *Fructus Uvas.*

V. VINUM HISPANICUM ALICANTINUM, sive ILLICITANUM seu ALONENSE.

Alikantwein.

Est Vinum Hispanicum ex nigro rubescens, opacum, spissiusculum, tartarum ad lagenarum latera deponens, saporis initio dulcis subnauseosi, postea amaricantis subausteri. Vide inter *Fructus Uvas.*

V. VINUM TOKAJENSE.

Tokayerwein.

Est Vinum Hungaricum in Comitatu Zempliniensi ad oppidum Tokay proveniens, spirituosum, spissiusculum, oleosum, saporis dulcissimi fragrantis, profunde aurei coloris. Vide inter *Fructus Uvas.*

V. VINUM AGRIENSE.

Erlauerwein.

Est Vinum Hungaricum rubrum, fragrans, acidulum, adstringens gratissimum. Vide inter *Fructus Uvas.*

F. SUCCI FERMENTATI ACIDI.

V. ⊙ ACETUM VINI AUSTRIACI.
Weinessig.

Est Liquor acidus ex Vini fermentatione acida natus. Vide inter *Fructus Uvas.*

G. SPIRITUS INFLAMMABILES.

V. ⊙ SPIRITUS FRUMENTI, seu VINUM ADUSTUM.
Kornbrantwein, Brantwein, Fruchtbrantwein.

Est Spiritus inflammabilis destillatione simplici ex cerealibus, praesertim ex Seminibus secalinis, fermentatione praegressa elicitus, limpidus, albus, odoris volatilis, saporis acris, minus grati. Vide inter *Fructus Uvas.*

SPIRITUS SACCHARI, seu RUM, seu TAFFIA. vide *Saccharum inter Succos inspissatos.*

V. ⊙ SPIRITUS VINI EX FECIBUS VINI VULGARIS.
Weinbrantwein, Lager oder Weinlagerbrantwein.

Est Spiritus inflammabilis, Aquae miscibilis, volatilis, fragrans, ex Vino, praecipue ex Fecibus ejusdem vel Vinaceis fermentantibus destillatione elicitus. Vide inter *Fructus Uvas.*

CLASSIS III. REGNUM MINERALE.

SECTIO I.

TERRAE ET LAPIDES.

Quo solidis firmitatem, fixitatem fluidis, utriusque justam quo tribuit consistentiam natura; sine quo ex mixtis corporibus suis nullum combinat; cujus ope omnibus largitur incrementum, quove demto minuit omnia, omnia in id extremum collabi videt: istud Mineralogi *Terram* vocant. Corpus videlicet: quod organon gustus saporis sensu non adficit; nec igni admotum flammam concipit, nec tum vel ullum spargit odorem, persistitve fixum et nullam indolem metallicam induit et addito Borace fusum hunc nullo colore tingit; quod nullo etiam resplendet nitore peculiari; quod mallei ictus eludit et frabile est; nullo modo Oleis et parum Aquis solvitur; ita tamen, ut juxta celeb. BERGMANN (*Sciagraphia regni mineral. p.* 18.) *Terra* plus, quam mille partes sui ponderis Aquae ebullientis ad solutionem requirat. *Lapides* a Terris sola duritie differunt; Terrae enim, quae forma occurrunt concreta seu jam solidae, induratae, sibique copulatae firmius, jam dicuntur *Lapides*. Praeclare sane in hanc rem fatur SCOPOLI (*Princip. mineral.* §. 22.) „Natura vim patitur quoties Terrae a Lapidibus totis Clas„sibus removentur. Terrae dividuntur in *simplices* seu *primitivas*, et *compositas* seu *derivativas; puras* et *impuras*. *Primitivae* sunt, quae nulla cognita methodo in simpliciora resolvi possunt. *Derivativae* sunt, quae ex duabus aut pluribus primitivis intime commixtis constant. *Purae*, quae ignis actione alterationis omnis prorsus expertes, nec ullam ponderis sui diminutionem patientes, *impurae* secus nomine insigniuntur. *Primitivae* sunt *Terra Argillacea*, *Terra Calcarea*, *Terra Magnesia*, *Terra vitrescibilis*, et *Terra ponderosa*. *Derivativae* sunt innumerae ex pluribus primitivis concretae varie et intime mixtae.

§. I.

§. I. *TERRAE ARGILLACEAE, seu ALUMINOSAE.*

Hae si purae sunt specifica gravitas illarum se non ultra 2,000 extendit; ab Acidis minori effervescentia solvuntur; Acido vitriolico junctae Alumen, Acido Nitri, Salis et Aceti salia deliquescentia formant. Ex nullo Acido per Acidum Sacchari praecipitantur, unde ab omnibus aliis terris distinctae, excepta Terra ponderosa Acido vitrioli juncta. Siccatae Aquam avide imbibunt, emolliuntur, et certa proportione talem tenacitatem acquirunt, ut inde varia formari possint. Summo calore indurescunt, non autem proprietatem calcis recipiunt, sed rimas formant, et talem duritiem habent ut certo gradu calybe scintillas excitent. Alcalia fixa fusionem harum in igne non promovent, verum Borax et Sal microcosmicum. Terra autem ex Alumine alcali volatili aerato praecipitata et edulcorata facile per se igne liquescit. Hae Terrae a calcibus plumbi minus adgrediuntur, quam calcareae. Nec sulphur ab his terris solvitur, nec Sal Ammoniacum decomponitur.

I. Pura.

N. ph. l. V. TERRA ALUMINARIS.
N. germ. *Alaunerde, reiner Thon.*
N. syst. L. (Terra aluminaris.)

Terra aluminaris; LINN. *Syst. natur. III. p.* 133. *sq.;* ex Alumine in Aqua destillata dissoluto, et filtrata solutione, Sale alcalino volatili aerato, aut Cinnerum clavellatorum depuratorum ope praecipitata, nondum quidem in officinas recepta, sed Medicorum attentione quam maxime digna, (vide clar. HAHNENANN in traductione libri MONROANI (*chemisch - pharmaceutische Arzneymittellehre Leipzig* 8. *Vol. I.* 1791. *p.* 358.); quum perinde ac Magnesia, acidum absorbeat, eo dissolvatur, et cum eo Sal constituat, non modo solubile in copioso humore aqueo, sed etiam adstringente et roborante virtute praeditum. Purissima talis Terra obtinetur juxta celeb. RICHTER. (vide ejus P. II. *über die neuern Gegenst. der Chemie. p.* 130. *sqq.*).

II. Impura.

N ph. l. V. ⊙ BOLUS RUBRA.
N. germ. *Rother Bolus.*
N. syst. L. (Argilla Bolus rubra.)
Partes usuales. *Bolus idem.*

Argilla Bolus rubra; LINN. *Syst. natu. III. p.* 138.
Bolus est attactu pinguis, in ore butyri instar diffluit, ungue attrita, si quidem sicca sit, nitorem quemdam nanciscitur, humectata odorem levem spargit, et pastae formam induit, igne induratur: singularum terrarum spe-

Species singulae quondam sigillis sibi propriis insignitae, hinc *Terrarum sigillatarum* nomine celebres. *Bolus rubra* est coloris rubri dilutioris, hinc inde lineis vel maculis albis vel luteis interspersi. Tactui pinguis et laevis, linguae adhaerens, saporis constringentis. Cum Acidis mineralibus raro effervescens: recenter fracta splendens; multum Aquae imbibens. Eligatur quae in Aqua soluta sedimentum format varietatis expers. Comparatur ex Episcopatu Salisburgensi, ex Bohemia et ex Gallia, communiter praesto est in segmentis tres digitos longis et duos latis.

PRAEPARATUM.

BOLUS RUBRA PRAEPARATA.) *vide praeparata P. II.*

§. II. *TERRAE CALCAREAE.*

Si perfecte purae sunt sine omni commixtione, constant ex Calce viva: gravitas specifica se habet ut 2, 720. Saporem habent causticum, agunt vehementer in corpora animalia, incalescunt in mediocri quantitate Aquae. Calore 60 graduum thermometri Fahrenh. solvuntur in 700 partibus Aquae et tunc habent saporem pungentem, urinosum, sed dulcescentem. Solvuntur omnibus Acidis, facillime in Acido Nitri et Salis, difficulter autem crystallisantur, quum Salia deliquescentia gignant; cum Aceto vero Salem crystallisabilem siccum formant. Inde magna copia ab Acido Vitriolico praecipitantur, unde gypsum seu selenites oritur, qui ex his Acidis affuso Alcohole aut moderata evaporatione penitus praecipitatur; vasis, quae non adgrediuntur, inclusae purae per se, calore, quo ferrum liquescit, refractariae manent. Argilla, Terra Magnesia aut Terra Vitrescibili mixtae leviori calore liquescunt, praecipue si duae aut plures harum admixtae fuerint. Hinc liquescunt in vasis terreis, imo porcellaneis. Ab alcali fixo vix adgrediuntur. Borace, Sale microcosmico aut calcibus plumbi vero facile et sine omni effervescentia liquescunt.

Puriores.

N. ph. l. V. ⊙ CALX VIVA.

N. germ. *Ungelöschter Kalk, lebendiger oder gebrannter Kalk, Lederkalk.*

N. syst. L. (Terra calcarea caustica.)

Partes usuales. *Lapis calcareus igne ustus seu Calx viva et Calx aere extincta.*

Terra calcarea caustica; LINN. *Syst. natu. III. p. 85. sqq.*

Calx viva est Terra alba, rara et friabilis, e lapidibus et terris calcareis ustione parata, saporis acris, pungentis et constringentis, cum acidis qui-

quidem excandescens, sed minime, saltem vix, effervescens, Aquam affusam ebullitione calida et fumante ardenter imbibens; in Aere in pulverem solvitur minus acrem cum Aqua non amplius effervescentem, eaque non solubilem. Eligatur penitus usta cum Acidis minus effervescens, statim et vehementer in Aqua excandescens et exinde in totum dilabens. Custodienda in vasis clausis contra Aeris accessum. Calx viva in Aere tractu temporis dilapsa vel Aqua macerata *Calx extincta*, *gelöschter Kalk*, appellatur.

VIRES. AQUAE CALCIS sunt *interne* et *externe* absorbentes, *externe* depurantes et resolventes.

USUS. *Interne* in calculo renum et vesicae, in vermibus, in cancro, in carie et ossium mollitie, in ulceribus viscerum, in ulcere vesicae potu et injectione; *externe* in ulceribus scorbuticis crurum, tumoribus oedematosis, scrophulis, ulceribus cancrosis, ad injectionem in fistulis, lepra, tinea capitis, gonorrhoea in balneo et injectione, in gangraena et sphacelo. At pota Aqua tam multifarias jam in primis viis offendit materias, Aere fixo gravidas, quibus mutatur suamque dissolvendi vim amittit, ut mirum non sit, intrinsecus modo adhibitam Medici spem saltem in calculo fefelisse, et alii aut cum usu interno injiciendae in vesicam Aquae Calcis usum praeciperent, aut in posteriori hoc utendi modo, quo purior Aqua atque intemerata fere calculum contingit, acquiescerent. Accedit, quod calculorum in urina prognatorum non semper una eademque sit indoles et solubilitas, hinc plures iique illustres Medici fatentur Aquam Calcis solummodo egregium spasmorum ac dolorum his aegrotis tantopere infestorum, lenimentum subministrare, calculum tamen comminui aut semper excerni negant. Nocet Aqua Calcis vivae subjectis temperamenti siccioris et calidioris, plethoricis, emaciatis, morbis putridis, acutis, hectia febre laborantibus, phthysicis, infarctu fixo quasi lapideo viscerum laborantibus.

DOSIS. *Interne* ab unciis duabus, ad quatuor, per mensem et amplius; in vermibus ad uncias duas Aquae Calcis Guttae sex Olei Tartari per deliquium admiscentur egregio effectu; in Ascaridibus 4 aut 6 unciae Aquae Calcis forma Enematis utiliter injiciuntur. Miscetur saepissime cum Lacte aut Sero Lactis dulci. *Externe* per se aut cum Opio aut SPIRITU VINI CAMPHORATO.

PRAEPARATUM.

AQUA CALCIS VIVAE. } *vide praeparata P. II.*

N.

N. ph. l. V. ⊙ CRETA ALBA, seu COLONIENSIS, seu VULGARIS.

N. germ. *Kreide, weisse Kreide, Kölnische Kreide.*

N. syst. L. (Creta scriptoria.)

Partes usuales. *Creta ipsa.*

Creta scriptoria; Iota atque in pulverem contusa, alba, labiis humidis adhaerens, humectata argillam spirans, fere tota in Aqua forti dissolvenda, scriptura inquinans LINN. *Syst. natu. III. p.* 86.

Creta alba est Terra alba alcalina, siccissima, admodum fragilis et fribilis, facile tingens, sapore et odore carens, ad attactum quasi frigida, non ponderosa, Aquam imbibens, Acidis omnibus praeter vitriolico solubilis et calcinatione Calx viva evadens. Sit peralba, levissima et non arenosa. Inprimis ex Episcopatu Coloniensi advehitur in massis plus minusve magnis.

PRAEPARATUM.

CRETA ALBA PRAEPARATA.) *vide praeparata P. II.*

§. III. *TERRAE PONDEROSAE.*

Si purae, easdem proprietates possident, ut Terrae calcareae purae, quibus sapore perfecte conveniunt; sed 900 partes Aquae calore 60 graduum Thermom. Fahrenh. ad solutionem requirunt. Uniuntur omnibus Acidis. Acido Nitri et Salis vero Salia formant sicca non deliquescentia, excep to Aceto, cum quo Sal Aere deliquescens formant, et Acido vitriolico Sal multo difficilius solubile, quam Gypsum, nempe *Spatum ponderosum.* Decomponunt Tartarum vitriolatum, quam mutationem nulla alia Terra producit, nisi quod Calx viva saltem unam partem Salis mirabilis decomponat. Ex Acido Nitri et Salis per Lixivium cum sanguine bovino praecipitantur; proprietas, qua ab omnibus reliquis Terris distinguuntur. Via sicca eadem ferme phoenomena exhibent, ut Terrae calcareae, nisi quod addito alcali minerali facilius liquescant; imo celeb. GEYER (CRELL'S *chem. Annal. ann.* 1785. *B. I. St. I.*) per se mediante Aere dephlogisticato liquescebat, ubi tunc liquescens avide a carbonibus absorpta fuit. Harum gravitas specifica est aequalis 4500.

N. ph. l. V. SPATUM PONDEROSUM, seu TERRA PONDEROSA.

N. germ. *Schwerspath, Selenitspath, Schwererde.*

N. syst. L. (Barytes vitriolatus.)

Partes usuales. *Spatum ponderosum, seu Barytes.*

Barytes vitriolatus; LINN. *Syst. natu. III. p.* 79. *sq.*

Spa-

Spatum ponderosum, seu *Barytes* est Lapis solidus, admodum ponderosus, pondere enim insigni specifico proxime ad pondus corporum metallicorum accedit nempe (= 4500), constans ex Terra ponderosa Acido vitrioli juncta, communiter figurae irregularis, vel globosae, vel crystallinae, compagis foliatae, saepe fibrosae, coloris albi, lactei vel cinerei, vel ex albo flavescentis, vel rubescentis; pellucidus, vel transparens, vel semipellucidus vel opacus. Diffractus in marginibus splendet. Ex calybi ignem non elicit. In igne crepitat et dissilit, tandem in pulverem fatiscit, qui neque arena addita neque omissa cum Aqua in pastam ad Aerem indurescentem subigi potest; omne connubium cum Aqua et Acidis, nisi calore bulliente foveantur, renuit, et vix Acidis effervescit. Igne fortissimo sine bullitu funditur et in momento fusionis lucem edit phosphorescentem, ante Tubum ferruminatorium carbonem corrodit vapore sulphureo. Eligatur cum Metallis inprimis Cupro vel Plumbo non inquinatum, ergo pellucidum vel semipellucidum, vel transparens, coloris albi vel lactei et crystallisatum, intus ab omnibus punctis metalliferis purissimum et extus florum metallicorum expers, nec valde coloratum; saepe etiam Arsenico, Ferro, aut Magnesia nigra inquinatum, quae omnia nocentissimum reddere medicamen aut saltem ejus vires immutare possent. Constat ergo *Spatum ponderosum* ex Terra ponderosa et Acido vitriolico, quibus potissimum varia mox memorata corpora mineralia admixta sunt, hinc semper impurum invenitur et ideo ad usum medicum semper depuratione indiget. Comparatur ex Hercyniae et Saxoniae fodinis; semper tamen ex Ferri, minime vero ex Cobalthi fodinis colligendum. *Usum pharmaceuticum* vide in Praenoscendis inter *Reagentia*.

PRAEPARATA.

TERRA PONDEROSA PURA, seu BARYTES PURUS.
TERRA PONDEROSA SALITA, SEU BARYTES SALITUS.
} *vide praeparata P. II.*

SECTIO II.

CORPORA INFLAMMABILIA MINERALIA.

Inflammabilia a flamma, quam igni admota concipiunt, conceptamque alunt, eo fortius, quo magis fluida, sic dicta sunt. Quae consueto Atmosphaerae calore solida sunt, ignis vi facile funduntur et odorem spirant minus gratum aut fumum nocentissimum eructant, carbones aut cineres alia, alia liquorem acidum deflagrando relinquunt. Ardentia haec Dominii subterranei corpora omne per se cum Aqua respuunt commercium, nec Acida trahunt in sui connubium, plurima Oleis praesertim unguinosis facile solvuntur. Pondus specificum, si cum aliis mineralibus, potissimum metallicis

cis corporibus compares, exiguum prae se ferunt; Aquis, nisi haeterogeneis specifice gravioribus mixta fuerint, innatant. Non dissimiliter cuncta electri vim hanc produnt.

ORDO I.

BITUMINA.

Bitumina dicuntur ea corpora inflammabilia, quae in Aqua plane non et Acidis, in Spiritu Vini non sine molimine, in oleosis vero, saltem mediantibus aliis, solvuntur; cum flamma et penetranti odore conflagrant, quae a materia quapiam pingui aut oleosa mutuantur sibi necessario et semper praesente, cuncta minus composita et minus phlogisti continent, solida vero electro gaudent.

§. I. *BITUMINA LIQUIDA.*

N. ph. l. V. PETROLEUM, seu OLEUM MONTANUM, seu OLEUM PETRAE.

N. germ. *Bergöhl, Steinöhl.*

N. syst. L. (Petroleum.)

Partes usuales. *Oleum idem.*

Petroleum; LINN. *Syst. natu. III. p.* 278.

Est Bitumen fluidum consistentiae Olei expressi, odoris fortis et saporis acris, plus minus purum, inde etiam plus minus coloratum. *Album* et limpidum modo terris mistum, inter rimas rupium modo adhaerescens, aut Aquis supernatans ex Insula *Sumatra*, ex *Baku* in Persia et ex Ducatu *Modenensi*, praesertim monte *Chiaro* etiam ex Gallia narbonensi (prope *Gabiam*) ex Helvetia, Germania, Scotia allatum *Naphtha* dicitur. Haec Aquae et Spiritibus supernatans, flammam facile etiam in distantia ab igne arripiens et penitus deflagrans, purissima, odoris grati, rarissima. Petroleum in nostris Pharmacopoliis prostans est coloris *flavi* vel e *fusco rubri* odorisque succinei, calefactum inflammari potest et ardet flamma admodum fuliginosa, odoris ingrati instar Lithantracum. Spiritu Vini, quem quidem colore imbuit, non solvitur et cum Aqua minime miscetur. Temporis tractu Aerisque expositione colorem sensim induit obscuriorem, saporem et odorem ingratiorem, consistentiam crassiorem.

D. PRIESTLEY (in tertio volumine *Observationum et Experimentorum de Aere*) demonstravit, quod Olea essentialia, si diu Aeri exponuntur, non solum puram sed etiam phlogisticam partem hujus attrahant. Hoc in iis tempore magnas mutationes producit. Simili methodo Naphtha in Petroleum mutabatur. Idem Petroleum obtinetur ex Lithantracibus et Succino. Si cum Sale alcalino volatili destillatur, acquirit proprietates Salis Ammoniaci succinati et continet tunc Acidum Succini. Omnes Species Petrolei denique destillatione repetita seu rectificatione cum Aqua *albae* evadunt et re-

remanet materies resinosa. Adulteratio cum Oleo Terebinthinae per odorem proditur terebinthinaceum in cochleari fervido, et per solubilitatem in Spiritu Vini; cum Oleis expressis vero depravatum cum Oleo Vitrioli nigrescit et condensatur odore sulphureo, cui mixtioni exploratoriae si affunditur Aqua, Oleum Petrae supernatat facile separandum. Flavum ex Sicilia et Italia, rubrum ex Alsatia et Languedocia adportatur.

USUS. *Interne* vermes, ipsamque Taeniam necat, etsi negari non possit, summam ejus vim calefacientem crebro obstare, et hominibus plethoricis, aut in sanguinis profluvia proclivibus nocere posse; ita et in epilepsia a vermibus orta, in lepra aliisque morbis cutaneis pertinacibus aeque ac in cancro occulto interno usu eximie profecisse nuper fertur (apud DUNCAN *med. comment. for.* 1791. *Dec. II. Vol. VI.* PEIRCE.). *Externe* partes frigori maxime expositas, e. g. nasi apicem, manuum, pedumque digitos illo oblitos, contra frigus, quamvis rigidissimum, tuetur, in vulgatissimo quoque frigoris effectu, pernionibus dispellendis, si duabus Spiritus Salis Ammoniaci caustici partibus una Petrolei permista, partes affectae fricando inungantur. Dentium dolores sedat genis fricando applicatum, etiam partibus rheumaticis et paralyticis utile. In unguenti speciem redactum sive cum Allio recenti contuso subactum, dolenti praesertim abdominis regioni illinatur, ad vermes necandos doloresque, quos excitant, sopiendos.

DOSIS. Exhibetur guttarum decem, viginti vel triginta pondere, interdum bis vel ter de die repetito, vel cum Aqua, vel Syrupo quodam edulcatum, vel cum Camphora ($\frac{3}{8}$) et aequali Olei Terebinthinae copia commistum. Petroleum barbadense a duobus ad sex cochlearia, sive solum sive cum Spiritu Sacchari sive cum Vitrioli Acido exhibitum in lepra aliisque morbis cutaneis pertinacibus aeque ac in cancro occulto interno eximie profuit (PEIRCE apud DUNCAN l. c.). Verum pro usu interno sit rectificatum.

§. II. *BITUMINA SOLIDA.*

N. ph. l. V. ASPHALTUM, seu BITUMEN JUDAICUM, seu PETROLEUM INDURATUM, seu PIX MONTANA.

N. germ. *Asphalt, Judenpech, Erdpech.*

N. syst. L. (Asphaltum.)

Partes usuales. *Asphaltum purum, non adulteratum vetustum.*

Asphaltum; LINN. *Syst. natu. III. p.* 279.

Est Bitumen solidum, opacum, nigrum, vel e fusco nigrum, leve, fragile, splendens, nitidum, glabrum, saepe adeo induratum ut etiam polituram admittat elegantissimam, diffractum nitens, saporis pauci et odoris nullius, dum fricatur vero fortis empyreumatici. In igne facile fluit, flamma-

maque alba, et ingratum odorem empyreumaticum spargit; si purum nullos cineres relinquit, secus vero scoria aut cineres remanent. In Aquam nec digestione nec ipsa coctione quid dimittit; idem cum Alcohole Vini et Aethere facit; et in Oleis, sint pressa, sint etiam destillata, vix solvitur. Juxta celeb. MONNET continet Sulphur aut saltem Acidum Vitrioli, quod per Experimenta celeb. GERHARD et THORY confirmatur. Cum Spiritu Nitri fumante affuso effervescit. Quod fumo nigro deflagrat, adulteratum vel impurum est. In Aegypto mari mortuo magna copia innatat et in montibus secundariis venularum, nidulorum, guttarum specie, ad Wolgae littora magnis interdum frustis, etiam in Suecia, Germania et Gallia obvium.

USUS. *Interne* ad sananda interna viscerum, praeprimis pulmonum ulcera a cel. MELLIN, LEUTHNER, LENTIN et THEDEN commendatur et nisi inflammatio obstaret, cum fructu propinatur.

DOSIS. *Asphaltum* in pulvere ad grana quindecim solum vel cum Saccharo Lactis permistum, sed frequentius adhibetur OLEUM ASPHALTI destillatum Saccharo instillatum ad guttas decem vel quindecim. Optime tamen Asphaltum in Phthysi sequenti modo adhibetur; recipe *Asphalti* grana octodecim super ignem liquescant in vase terreo vitreato, liquatis addantur sensim pulveris Sacchari Lactis grana quadraginta quinque, perfecte mixtis addantur adhuc Kermetis mineralis grana tria, exactissime mixta adhuc calida in mortario vitreo calefacto in pulverem subtilem redigantur. Hic pulvis dividitur in tres pulveres aequales et sic ter de die talis pulvis exhibetur. 190 doses phthysicum curasse fertur.

PRAEPARATUM.

OLEUM ASPHALTI.) *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. SUCCINUM, seu CARABE, seu ELECTRUM, seu AMBRA FLAVA.

N. germ.	*Bernstein, Agstein.*
N. syst. L.	(Succinum flavum, Succinum electricum.)
Partes usuales.	*Succinum in Fragmentis lucidis, seu Rasura Succini.*

Succinum flavum, Succinum electricum; LINN. *Syst. natu. III. p.* 282.

Est Bitumen solidum, fragile, coloris flavi, fusci, vel albi, pellucidum vel transparens saepe insecta includit, gravitas specifica est a 1,065 usque ad 1,00. Fractum aequale, laeve et nitens, polituram elegantissimam admittens, et dum pulverisatur odorem spargens gratum; frictum corpora attrahit tenuiora et leviora v. c. plumas, chartae vel ligni segmenta. Igni impositum fumat et gradu 550 Therm. Fahr. liquescit et grato odore deflagrat,

grat, massam nigram relinquens vel e nigro rubram. Vasis clausis igne tortum praeter magnam copiam OLEI SUCCINI, Salem exhibet siccum albidum crystallorum forma indutum SAL SUCCINI, acidum sui generis. Nec Aqua, nec Spiritu Vini perfecte solvitur. In Oleo Vitrioli mox solvitur, affusa vero Aqua vel Spiritu Vini iterum praecipitatur; Balsama quoque Succinum facile solvunt. Eligatur Succinum flavum, vel dilutius coloratum, pellucidum, super carbonibus odore fumans et ardens succineo, et vi attractiva eminens. Pharmacopolae ad suas pharmaceuticas praeparationes uti possunt *Fragmentis* vel *Rasura Succini.*

Hisce notis Succinum verum facile ab illo spurio vel factitio Americano *Gummi de Look* appellato dignoscendum. Licet prima Succini ex Succo vegetabili origo hodienum negari vix amplius possit, diuturna tamen in sinu Telluris mora et continuo cum variis Succis mineralibus contactu adeo immutatum est, ut haud parum ab indole Resinae abludat; difficillime enim, aut plane nihil solvitur Spiritu Vini. Difficilius liquatur igne atque in flammam exardescit, quam Resina, cum qua ceterum facili cum Oleis praesertim unguinosis connubio, tenacitatis gradu, indole Aquae vim dissolventem eludente, oleosi acidique principii igne extricandi abundantia concordat. E Terra effoditur, et tunc majori gaudet duritie et *Succinum fossile* dicitur. Quamvis in multis Asiae et nostrae potissimum Europae oris occurrat, copiosius tamen ad littora maris reperitur in Sicilia, atque ad maris Balthici, copiosissime a multis retro saeculis ad Borussiae littora, quod *Succinum haustile* vocatur. Ex Borussia, Polonia, Pomerana adfertur.

USUS. *Succinum* per se *interne* non amplius adhibetur, solummodo ejus *praeparata*. *Externe* vero fumus, ex Succino prunis insperso assurgens, princeps est materia suffimigiorum, quibus et nares nostras titillamus et gravem corruptae conclavium atmosphaerae odorem (nequaquam malignam indolem) corrigimus: idem fumus, pannis laneis exceptus, quibus partes aegrotantes leniter fricantur, discutiendo, in doloribus rheumaticis egregie prodest. A TINCTURA SUCCINI non multum expectandum quomodocunque paretur, quamvis inficias ire nolim, Succini aliquid, et vires humoris dissolventis illi inesse. Potentius agunt destillatione sicca ex Succino impetrata SAL SUCCINI VOLATILE et OLEUM SUCCINI RECTIFICATUM, haec enim inter efficacia remedia locum merentur. SAL SUCCINI VOLATILE est irritans, interno usu maximopere excalefaciens, sudorem atque urinam pellens. Hinc ad inde praeparandum LIQUOREM CORNU CERVI SUCCINATUM adhibetur; LIQUOR hic vires possidet antispasmodicas, solventes, diureticas; adhibetur in spasmis, in affectionibus hystericarum, variolis, morbillis, arthritide aut podagra retropulsis a guttis viginti ad centum per se, aut miscetur cum Opio, Tinctura Valerianae, Liquore anodyno aut Camphora. OLEUM SUCCINI RECTIFICATUM *externo* potissimum usu venit, tum hystericarum ac parturientium animi deliquium patientium naribus admotum, quarum nervos potenter resuscitat, tum membris paralyticis et discutiendi scopo tumoribus frigidis illitum: sunt qui iternum guttarum quinque ad quindecim usum in tetano commendant. MOSCHUS ARTIFICIALIS vires possidet MOSCHO NATURALI analogas, sed multo

multo minori gradu, hinc in iisdem morbis ut hic a granis duobus, quatuor ad sex et ultra cum Saccharo exhibetur. TINCTURA MOSCHI ARTIFICIALIS simili modo utitur.

PRAEPARATA.

MOSCHUS ARTIFICIALIS. OLEUM SUCCINI EMPYREUMATICUM SEU FOETIDUM. OLEUM SUCCINI RECTIFICATUM. SAL SUCCINI VOLATILE. TINCTURA SEU ESSENTIA SUCCINI. TINCTURA MOSCHI ARTIFICIALIS.	*vide praeparata P. II.*

ORDO II.

PHLOGISTOPHORA.

Phlogistophora, vox ipsa haec non simplicia, quorum in inflammabilium classe nulla existere et CRONSTEDT proposuit et ERXLEBEN repetiit, ea vocantur corpora inflammabilia composita, quae ex combinatione cum alio resultantia corpora ostendunt, eo nimirum, quod natum esset verum principium inflammabile *Phlogiston* dictum, sibi uniendi idemque secum ferendi. *Phlogistophora* enim dicta hoc nomine produnt statim corpora illa, quae in se *Phlogiston* verum gerunt. Nec quid in contrarium valet, inesse *Phlogiston* in plerisque aut verius in omnibus corporibus. Verum illa hac classe, hoc ordine comprehendi nequeunt, quum iis par copia et non agens insit; quum ea solum huc pertinent, quae abundanti hoc principio gaudent, aut gaudent ita disposito, aut dicta ratione agat. Tale vero quum princeps sit Acidum Vitrioli, cum eodem hic junctum *Phlogiston* primum etiam constituit genus. Haec subdivisio corporum inflammabilium aliquibus forte inepta videtur; verum Mineralogi celebriores inter quos cel. KIRWAN eminet, in horum subdivisione nondum conveniunt.

N. ph. I. V. ⊙ SULPHUR CITRINUM, seu VULGARE, FACTITIUM.

N. germ.	*Gelber Schwefel, reiner Schwefel.*
N. syst. L.	(Sulphur.)
Partes usuales.	*Sulphur idem.*

Sulphur ; LINN. *Syst. natu. III. p.* 286.

Est substantia solida vel eliquatione vel destillatione e Pyritibus sulphureis vel tanquam res subseciva in tostione mineralium sulphuratorum educta, purificata et in formam cylindriacam redacta, coloris citrini vel ex flavo viridescentis, saporis et odoris nullius, cujus gravitas specifica est a 1, 9 usque

que ad 2, 35; in Aere invariabilis, leni igne colore rubro pellucido liquescens, post refrigerationem vero colorem ac duritiem recuperans priorem. Gradu 170 Therm. Fahren. evaporans sensim, gradu 180 liquescens, et gradu 302 ardens. Accedente simul Aere igni exposita in flammam coeruleam exardescit, vaporem eructat acidum, colores vegetabilium et animalium plurimos delentem, suffocantem, sibi proprii et fortis odoris, penetrantissimum, ut primum corpus quoddam frigidum contingit in guttas confluentem Liquoris acidi, Vitrioli Acidum referentis. Cylindri Sulphurei manu clausi calida crepitant et saepius rumpuntur. Sulphur hoc vasis clausis igne tortum et sublimatum integrum atque intemeratum vaporis speciem induit, qui refrigeratus in verum denuo Sulphur (vocant FLORES SULPHURIS), ceterum pulverulentum subgilvi coloris, tenerrimum, ad tactum laeve et lubricum, redit. Cum plurimis Metallis, igne adjuvante, coit, ut tamen ductilitatem et nitoris partem amittant, et, quae alia corpora ejus consortio facilius liquentur; Aquae et Spiritus Vini, plurimorumque acidorum, nisi singularia adhibeantur artificia, connubium respuit, decomponitur, si in Acido Nitri concentrato coquatur, partim decomponitur, partim solvitur ab Acido Vitrioli et Salis dephlogisticato; facilius in Oleis, praesertim unguinosis et Salibus lixiviosis, inprimis fixis, dissolvitur, cum his *Saponis* speciem, sive *Sulphuris*, quod audit *Hepar* efficit, quod tum Aquam tum Vini Spiritum subit, et acido adfuso Aerem sive gas hepaticum dictum, foetidissimum, ovi putridi adinstar, inflammabile, in Aqua tamen solvendum, emittit.

Eligatur optime flavescens, facillimum inflammatu, flamma ardens lucida ac optime coerulea. Huic quoque vulgatissimo corpori non raro vitium inest ab immixtis materiis peregrinis metallicis, Ferri praesertim et Arsenici particulis, illae sublimando leni igne Sulphuris ejusmodi portionem vasis clausis superstites, colorem magis minusve griseum, hae summopere noxiae intensius flavum, vel, si majori paulo copia inhaereant, flammeum Sulphuri affricant, fumo quoque, dum Sulphur comburitur, flammam circumsepiente et Arsenici nidorem spirante cognoscendae. Licet haud exiguam Sulphuris copiam (vocatur *nativum*, *nudum*, *virgineum*) paratum jam sistat natura, in montibus praesertim ignivomis atque ex gypso conflatis, perinde ac in Thermis, illud tamen neque semper satis purum est, ut interne adhiberi sine periculo possit, neque, si esset, omnibus illis, quibus opus est, sufficeret laboribus; plurima igitur Sulphuris pars, quemadmodum in Italiae variis partibus, ex terris eo foetis, in reliqua Europa ex Pyritis et variorum Metallorum Mineris Sulphure gravidis sublimatione, ustulatione, destillatione aliis aliisve modis elicitur, et altera utplurimum fusione a particulis terreis et metallicis subsidentibus liberata, in balculorum (*magdalcones* audiunt) vel panis placentaeve formam compingitur. Germania, Helvetia, Italia, Islandia plures possident officinas sulphurarias.

VIRES. Calefacientes, sudoriferae, majori dosi alvum laxantes.

USUS. In scabie, ad eruptionem tam promovendam, quam suppressam revocandam. In exanthematibus chronicis cutaneis, in rheumatismo et arthri-

arthritide, praecipue vaga. In tussi et asthmate, in tussi convulsiva quoque potens remedium, haemorrhoidum coecarum dolores et alvum duram lenit, ad salivationem intempestivam a Mercurio ortam minuendam adhibetur. *Externe* in scabie, doloribus arthriticis et rheumaticis, forma balnei aut unguenti.

DOSIS. In pulvere a granis quinque ad decem, viginti aut triginta. Miscetur saepe cum Terris absorbentibus, Mercurio dulci, Aethiope minerali, Antimonio, Tartaro Tartarisato, Cremore Tartari, Sale Ammoniaco, Baccis Lauri, Eleosaccharo, et Saccharo. Adhibetur Sulphur depuratis antea primis viis; nocet in omnibus febribus putridis, biliosis et inflammatoriis. *Interne* potissimum Sulphur depuratum seu FLORES SULPHURIS et quidem ab adhaerente acido liberati, LOTI, adhibentur. HEPAR SULPHURIS CALCAREUM adhibetur ad detegendum Plumbum, Arsenicum, Regulum Antimonii etc. in quodam liquido contenta. Egregie quoque conducit hoc Hepar in iis malis, quae nimium Argenti Vivi et remediorum ex eo paratorum usum excipiunt, nisi inveterata nimis fuerint. *Interne* exhibetur a granis quinque ad decem omni tertia aut duodecima hora et superbibendo potum acidulum. AQUA HEPATICA ACIDULATA seu LIQUOR VINI PROBATORIUS HAHNEMANNI exinde paratus inservit ad detegendum Arsenicum et Plumbum; illud enim, sive Aqua meraca, sive Acidis solutum, ab ea instillata sedimentum flavum, hoc sive Vino, sive alio Liquore solutum atrum dimittit, instillato Vitrioli Oleo nunquam iterum solvendum, quod posterius utique contigit Ferro per hanc Aquam praecipitato.

PRAEPARATA.

FLORES SULPHURIS LOTI.
HEPAR SULPHURIS CALCAREUM. } *vide praeparata P. II.*

SECTIO III.

METALLA ET SEMIMETALLA.

Metalla sunt ea Aulae subterraneae praecipua ornamenta, quae pondere specifico, quum omnia reliqua corpora superent, perfectiore potissimum facie induta, facile ea jam nota a ceteris mineralibus dignoscuntur quamvis sive in calcem, sive in vitrum conversa, sive aliis aliisve liquoribus soluta, partem hujus praerogativae amittant: Aquae merae connubium, si Arsenici calcem exceperis, omnia, Oleorum plurima pertinaciter renuunt, Acidis tanto facilius, alia aliis facilius solvenda, ex his tum per Terras simplices, tum per Salia lixiviosa, tum per Gallas aliaque vegetabilia principio adstringenti foeta, tum per Lixivium coerulei Berolinensis, tum, colore utplurimum obscuriori, per Sulphuris, quod vocant, Hepar, ejusque varias species, tum per gas, quod hae ab acido infuso exhalant, sive solum, sive Aqua solutum, Terrae specie denuo praecipitanda: perfectiori in conditio-

ditione sua nitore gaudent sibi proprio, ad Aerem nunc magis nunc minus stabili, plura etiam tenacitate ac ductilitate: Ignis vi pauciora in fumum abeunt et *volatilia* sunt, aut in flammam lucidam (si quidem periculum in Aere communi capiatur) exardescunt, omnia, nisi jam consueto Atmosphaerae calore, prouti Argentum Vivum, fluida, liquefiunt, ita tamen, ut alia leniorem, alia fortiorem, alia vehementissimum poscant ignem et haec *fixa* dicuntur: refrigerio vero rursus in massam solidam convexam splendentem, *Reguli Metallorum* titulo insignitam, indurant. Regulina ponderosiora haec naturae miracula radiis lucis transitum praecludunt, et opaca sunt. Continuatae vero Ignis Aerisque externam superficiem lambentis efficacitati opportuna plurima, alia facilius alia difficilius in Calcem abeunt, omni splendore ac tenacitate orbam, absoluto quidem pondere auctam, specifico imminutam, aucto ad summum gradum usque aestu in vitrum, saepius coloratum, utrumque, modo una cum corpore quodam combustibili igni candenti exponatur, in Metalli perfectam indolem rediens.

Seorsim autem consideratae substantiae hae metallicae, aliquae sub mallei ictibus dissiliunt, atque *Semimettalla* vocantur, dum aliae, quod malleo obediant, seque ejusdem ictibus extendi patiantur, *Metalla* simpliciter audiunt. Ex his Aurum, Platina, Argentum Vivum, et Argentum, *Metalla perfecta* seu *nobilia* dicuntur, quia haec post calcinationem, phlogisto orbata, sine additamento substantiae phlogisticae seu combustibilis, per se illud iterum recuperant et formam suam priorem metallicam induunt. Ubi Cuprum, Ferrum, Plumbum et Stannum nunquam sine addito phlogisto in metallicam formam reduci possunt, hinc Metalla *imperfecta* seu *ignobilia* nominantur. Haec autem omnia, imo Argentum Vivum, si frigore condensatur, magno gradu ductilia sunt. Zincum vero, Regulus Antimonii et Arsenici etc. vix ductilia, ideo *Semimetalla* vocantur. Interea Zincum, et Nicolum depuratum magis ductilia sunt reliquis Semimetallis. Hinc habentur 4 Metalla perfecta seu *nobilia*, 13 imperfecta; 8 Metalla et 9 Semimetalla. Praeter haec discrimina, diversitati adhuc cuipiam viam sternit Metallorum status, seu modus ille, quo natura nobis haec objicit in *Mineris*, in massis quibusdam majoribus congregatis, in quibus quacunque ratione contenta jacent, ut in matris suae visceribus pro *Matrice* inde etiam cultis. *Vel* enim corpora haec metallica in suis Matricibus ita continentur, ut integram suam phlogisti partem possideant et omnibus iis proprietatibus, quae Metallorum esse dictae sunt, gaudeant, tuncque *Metalla nativa* seu *regulina* nuncupantur. *Vel* haec plus vel minus principio inflammabili Metallorum constituente et forma metallica privata, potissimum aliis substantiis immixta Acidis, Sulphure aut Arsenico ipsa soluta sinu suo fovet natura, quae *Metalla mineralisata* nominantur. *Vel* alia ad gradum Metallorum nondum evecta sunt et quae solummodo principio inflammabili orbata, aut Aere fixo mineralisata *Metalla calciformia* seu Calces metallicae et *Minerae calciformes* dicuntur.

§. I.

§. I. *METALLA.*

N. ph. l. V. AURUM FOLIATUM.
N. germ. *Blatt - Gold.*

Aurum purum inter coria ex intestinis confecta in laminas tenuissimas tusum et postea inter chartas fusco rubras positum. Solutio perfecta in Aqua regia declarat an purum an adulteratum sit. Ad obducendas pilulas adhibetur pro iis, qui has pulvere conspersas ingerere nolunt, aut sine alio involucro illas sumere assueti sunt.

N. ph. l. V. ☉ ARGENTUM VIVUM, MERCURIUS VIVUS, seu HYDRARGYRUM.
N. germ. *Quecksilber, lebendiges Quecksilber, Merkur.*
N. syst. L. (Hydrargyrum.)
Partes usuales. *Metallum integrum.*

Hydrargyrum; LINN. *Syst. natu. III.*

Est Metallum, quod injuste semper inter Semimetalla positum fuit, nam gravitas ejus specifica est ut 14000, usque ad 135681. hoc est quarta parte minus ponderat Auro, et post Aurum et Platinam gravitate omnia Metalla reliqua superat. Caloris majoris vi aequabiliter expanditur, calore decrescente contrahitur Mercurius, aequabilius longe, quam Vini Spiritus, hinc Barometris et Thermometris multo aptior; calore vehementiori in vapores abit, ad 600mum usque gradum Therm. Fahr. aucto, ebullit, et totus, si quidem purus sit, in auras avolat, halitibus, si inspirentur, nocentissimis, paralyses atque apoplexiam frequenter progignentibus, si vasis clausis ebulliente Mercurio in frigidiore apparatus parte colligantur, in veras iterum Argenti vivi guttas confluentibus. Materiam caloris tam tenaciter retinet, ut in hybernis etiam rigoribus formam liquidam intemeratam servet. Frigore 40 graduum Therm. Fahr. infra 0 condensatur et in hoc statu fere instar Plumbi malleabile est et sonorum sed magis scissile; quia vero talis deffectus caloris in nostra Atmosphaera, nisi arte perficiatur, admodum raro occurrat, non erit mirum, quod Argentum vivum fere semper fusum seu liquescens inveniatur. Auro ergo et Platinae densitate et gravitate specifica proxime accedit, et maximam cum his affinitatem possidet, magis, quam cum Argento. Adeo difficulter decomponitur Argentum vivum ut Aurum, nam in omnibus compositionibus et operationibus igne avolat avis immutatus, et solutio Argenti vivi in Spiritu Nitri facta in cute eodem modo maculam purpuream producit ut solutio Auri. Praeterea cum omnibus Metallis conjungitur excepto Arsenico, Cobaltho et Niccolo, prae omnibus autem aliis Metallis maxima promptitudine Auro etiam frigido unitur et massam mollem constituit Cerae instar tractabilem *Amalgama* dic-

 tam,

tam, quia cum hoc maximam affinitatem possidet. Hinc meretur, ut inter Metalla perfecta seu nobilia saltem tertio loco post Platinam ponatur. Argentum vivum est coloris splendidi argentei, levissime pressum in globulos multos ac parvos dissilit, digitos non madefacit, impellucidum, valde ponderosum et tamen in igne mediocri totum volatile. Acido Nitri facile solvitur, Acido vitriolico difficilius, adhibita simul coctione, et Acido Salis plane non adgreditur, nisi phlogiston pro parte antea separetur.

Vel nativum, quod vocatur *virgineum*, in Terris, Lapidibus vel Mineris Hydrargyrum reperitur, vel arte ex suis Mineris educitur. Purus et adulterationis non suspectus Mercurius, facillime globulis exacte rotundis levissime iterum coeuntibus currens in charta vel disco porcellaneo, et in cursu nil relinquens impuri, lucide splendens, Aquam destillatam, quacum teritur, non inquinans, Acetum minime dulcificans vel plumbeis particulis per Reagentia detegendis minime imbuens, per corium expressum fere nihil impuri sive pulverulenti relinquens, et in cochleari ferreo super carbones ignitos non decrepitans et totus avolans, pro usu medico eligendus; et quum in hac qualitate perfecta a magnariis minime divenditur, in Pharmacopoliis depurandus, aut quod magis securum juxta nostram praescriptionem MERCURIUS VIVUS VIA SICCA DEPURATUS seu REVIVIFICATUS in officinis ad usum medicum adhibendus. Cujus superficies non nitet, sed lanlanguida et quasi membranula obducta apparet, tardius et globulis quasi caudatis currens, nigra vel cinerea vestigia relinquens et manus inquinans, adulteratus est et sine exacta praevia depuratione minime adhibendus. Mercurius suspectus si in cochleari ferreo deflagratur, massa residua denotat et declarat depravationem. Sapor dulcis Aceti cum Mercurio digesti et color obscurus si LIQUOR VINI PROBATORIUS HAHN. admiscetur, denotat depravationem cum Plumbo; Acidum Nitri Mercurio affusum Stannum commistum in Calcem albam corrodit; Bismutho inquinatus in Aqua forti pura solutus Mercurius, adfusa Aqua destillata albo praecipitatur colore, quod praecipitatum Calx est Bismuthi. Sed uti jam dictum ad evitandas omnes adulterationes et purissimum Mercurium pro usu medico obtinendum, Mercurius per revivificationem ex Cinnabari in officinis adhibendus. Ex Hungaria, Hispania, India orientali, et Palatinatu adfertur.

VIRES. *Mercurius vivus* et vario modo *praeparatus*, parumper differentes vires in corpore humano exserunt; praecipua tamen semper, quod continuato usu, si formam metallicam amiserit, vario modo praeparatus salivationem excitet et in systema glandulosum agat. Commemoranda hic potissimum venit mirabilis illa facultas, quam Mercurius diversimoda ratione praeparatus, alio atque alio modo applicatus in corpus animale vivum exserit. Excitat certe paulo largius et diutius continuatus Mercurii varia methodo praeparati usus pulsum solito citatiorem, debiliorem et durum, odorem molestum in naribus, saporem in ore ingratum metallicum, tinctum faciei pallidum, murmura in canali cibario, cetera nullis doloribus stipata, nares acutas quasi catarrho obseratas, crassos orbitarum margines, pallida et liventia labia, horripilationes intima corporis penetralia concutientes aut continuas, aut crebro recurrentes, fastidium cibi, praesertim animalis, imo interdum nisus vomendi vehementes, capitis

capitis dolores lancinantes aut comprimentes, radicem nasi aut occiput potissimum occupantes, nasi, aurium, manuum pedumque frigus, alvum segnem, somnum inquietum, languorem insignem, oculorum nitorem quasi aqueum, musculorum colli rigorem quasi rheumaticum, linguae in dorso candorem, et, nisi progredienti ejus efficaciae obex ponatur, difficilem paulisper deglutitionem, dolorem quasi pungentem, per radicem linguae et utrumque oris interius latus vagantem, dentium quasi vacillantium aut hebetium sensum, tonsillarum et glandularum submaxillarium tumorem, et, si Mercurii ulterius efficacis viribus nihil obstat, tandem salivae profluvium largissimum, quae omnia per quatuor ut plurimum dies aegrum exagitantia symptomata *febris mercurialis* nomine complecti gestiunt alii; e. g. cl. HAHNEMANN (*Unterricht für Wundärzte über venerische Krankheiten. Leipz.* 1789. 8. §. 290. *Febris salivatoriae* alii, v. gr. cl. ALTHOF *pract. Bemerkungen.*) In omne fabricae animalis systema efficacitatem suam exserere Mercurium facile sibi persuadebit, qui, quas intulit noxas, quas perfecit medicationes, attentiore paulo animo secum perpendit.

USUS. Sunt tamen morbi, in quibus Mercurius singularem quandam exserit salutarem efficaciam, nequaquam semper ex generalioribus principiis explicandam. Et inter hos quidem morbos eminent *Morbi venerei*, in quibus, ad Mercurium tanquam ad sacram anchoram confugiunt, et, modo circumspecte satis procedant, fundata multiplici successu fiducia confugiunt Medici.

Adhibetur Mercurius *duplici* forma vel forma *Calcis* vel forma *Salis*.

Primo forma Calcis.

AETHIOPS MINERALIS.

USUS. In morbis cutaneis, obstructionibus glandularum mesenterii, in incipiente cataracta, in vermibus.

DOSIS. A grano uno ad decem cum Saccharo.

AETHIOPS ANTIMONIALIS.

USUS et DOSIS. Ut prioris, praecipue in scabie venerea; miscetur cum Saccharo, Camphora, Magnesia alba.

PILULAE MERCURIALES; ex *Mercurio vivo*, *Melle*, et pulvere *Radicis Saponariae rubrae* constant. Haec compositio praeferenda iis compositionibus, quae cum mica panis confectae erant; non enim indurescunt, ut hae, sed facile in primis viis solvuntur, nec induratae iterum per alvum excernuntur. Exhibentur bis de die No. quinque ad decem.

UNGUENTUM MERCURIALE.

VIRES. Salivationem moventes majori dosi, resolventes, antisiphiliticae.

USUS. In morbo venereo topico, praecipue bubonibus, tophis, ulceribus venereis, paralysi a causa venerea, in lue universali; in morsu canis rabidi, contra pediculos, praecipue inguinales *morpiones* dictos.

DO-

DOSIS. A drachma semis ad scrupulos duos inungitur.

In hominibus debilibus, hystericis et phthysicis usus ejus vitandus; in morsu canis rabidi, si fieri potest pars vulnerata cultro aufertur et vulnus antea solutione Salis communis eluitur, dein unguento hoc perfricatur.

EMPLASTRUM MERCURIALE.

USUS. In tumoribus venereis, scrophulosis, et ulceribus, in callo ulcerum vel plantae pedis; in luxationibus cum lympha extravasata, tumoribus frigidis, glandulis induratis, rheumatismo, praecipue a latente causa venerea. Miscetur in quatuor ultimis nominatis morbis cum Asa foetida, Extracto Cicutae aut Aconiti. Usus diuturnus Emplastri quoque salivationem excitat.

MERCURIUS PRAECIPITATUS SOLUBILIS NIGER.

VIRES. Inter praeparata calciformia tardissime salivationem excitat; ceterum ratione virium cum Mercurio dulci convenit.

USUS. In morbis venereis omnibus; in variolis, in hydrope, scabie, tinea capitis, fluore albo, rheumatismo chronico. *Externe* in carcinomate venereo, et obscuratione corneae.

DOSIS. *Interne* a grano semis ad unum, quotidie semel aut bis de die prima die; secunda granum unum et semis ad grana duo; tertia die grana duo ad tria, et si nulla symptomata salivationis appareant ita adhuc per binos dies continuatur. Miscetur cum pulvere Radicis Liquiritiae, Opio, si diarrhoea in subjectis irritabilibus oriatur. *Externe* quoque UNGUENTUM E MERCURIO PRAECIPITATO SOLUBILI NIGRO valde laudatur, etiam SOLUTIO MERCURII PRAECIPITATI SOLUBILIS NIGRI IN ACETO FACTA pro injectione cum fructu adhibetur, si cum Aqua destillata diluta fuerit. In primis viis MERCURIUS PRAECIPITATUS SOLUBILIS NIGER juxta HAHNEMANN, GIRTANNER et FRIZE nulla mala symptomata aut incommoda excitat, nisi ibidem principia Salis communis offendat, ubi tum pars in Praecipitatum album mutatur, et leve animi deliquium aut aliquot dejectiones alvinas aquosas excitat.

Ceterum celerrime agit et debilta cautela adhibitus nulla incommoda ut alia praeparata mercurialia excitat. Hinc in morbis venereis omnibus aliis praeparatis mercurialibus antecellit et raro salivam movet juxta observationes supra memoratorum Authorum. *Forma pulveris* ita adhibetur, ut e. g. MERCURII PRAECIPITATI SOLUBILIS NIGRI grana decem cum scrupulis decem pulveris Radicis Liquiritiae exacte invicem misceantur, et fiat pulvis, qui dividatur in decem partes aequales, et sumat aeger mane et vesperi pulverem unum, ascendendo ad quatuor grana pro dosi. Multi tamen formam pilularem pulveri praeferunt. Sic recipiuntur PULVERIS MERCURII PRAECIPITATI SOLUBILIS NIGRI grana viginti quatuor, terantur cum Conserva Fumariae quantum satis, ut inde fiant pilulae Numero viginti quatuor, pulvere Cinnamomi conspergantur. Exhibetur quotidie pilula una aut duae.

MER-

MERCURIUS PRAECIPITATUS ALBUS.

USUS. Solummodo *externe* in scabie venerea et morbis cutaneis, in tumoribus glandularum induratis, etiam in maculis corneae. Miscetur cum Axungia, aut Unguento pomato; tale unguentum vide inter *praeparata extemporanea.*

MERCURIUS PRAECIPITATUS RUBER.

VIRES. Causticae.

USUS. *Externe* in ulceribus venereis impuris sarcoticis non vero scorbuticis saepe cum Alumine usto inspergitur, in scabie, in ophthalmia chronica et inflammatione glandularum meybomianarum. In ulceribus forma pulveris inspergitur; ad pterygia et maculas corneae curandas, in ophthalmia chronica UNGUENTUM seu BALSAMUS OPHTHALMICUS RUBER (*vide praeparata extemporanea*) cum fructu adhibetur, si quantitas ac majoris acus capitulum est bis de die corneae applicatur.

Secundo forma Salis.

MERCURII NITRATI seu NITRI MERCURIALIS FRIGIDE PARATI usum vide inter *Reagentia in Praenoscendis.* *Interne* non adhibetur, cum securiora adsint.

MERCURIUS SUBLIMATUS CORROSIVUS.

VIRES. Majori dosi venenum atrocissimum; minima dosi, ut aliorum mercurialium, sed potentius solventes et non tam cito salivationem excitantes, medicina efficacissima.

USUS. Olim MERCURIUS CORROSIVUS tanquam causticum horrendum scelestis tantum manibus destinatum ab omnibus fere habebatur; cum (haerentibus prae stupore animis) in immortalis BOERHAAVII Chemia legeretur, metallicum illud Sal, in morbis non solum venereis sed et chronicis insanabilibus plurimis, mira esse patraturum. Eruditissimi illius Medici prudentia, cognita in omnibus artis suae doctrina, ipsum temeritate, aut ignorantia incusare non sinebant. Sublimati igitur vires Experimentis confirmare allaboraverunt celebres in arte viri, et in syphilis curatione victricia praecipue suppeditaverunt auxilia. Et revera, tetram illam luem eradicare debet illa praeparatio, si ita edulcari possit, ut ingesta, deleterii ex ipsa nulli sobolescant effectus, et specifica Mercurii vis in ea magis adhuc exaltetur. Verum, qui potentioribus seu heroicis remediis morbos depellere vult, eorum naturam calleat, necessum est.

Quodcunque enim corpus, aliqua virtute potens, majori, aut minori activitate pollet. In excessu semper nocet, debilitatum, inefficax est, solum praestat, inter extrema, medium. Ignis ipse rapido si volvatur turbine, vorat omnia, omnia sine igne marcescunt, moriuntur, moderatus omnia vivificat Entia. Medicamenta similiter, excessiva si adhibeantur dosi, venena sunt; si debiliori, inefficacia; sola debita quantitas cum utilitate operatur. Nemo namque *Sennae* librae Decoctum impune hauriret, guttulae quaedam inutiles deprehenderentur, tres aut quatuor drachmae commode alvum ducunt. Cur igitur ex tam generali regula

SUBLI-

SUBLIMATUM exciperetur? quod vero spectat ad varias ventriculi et intestinorum erosiones, quae SUBLIMATI usus interni comites individuae ab aliis dicuntur, ipsis sancte asserimus, nos eas unquam observavisse. Sed caveat ab errore Medicus. Prudenter a prudente Medico tantum administretur illud remedium; abstineat, si methodum nescit; sane abstineant indocti. Sed non desunt sapientes et eruditi in arte viri qui potentiora remedia tractare possunt, ipsorum natura, praeparationes, et proprietates ab ipsis non ignorantur. Male ergo MERCURIUM SUBLIMATUM ex cura antisyphilitica QUIDAM penitus proscribere voluerunt, tanquam aut inutilem, aut perniciosum. Sed male quoque tanquam remedium, quod semper et ubique optimum esse, commendaretur. Illi igitur, qui luem eo remedio saepe et cum constantia sanatam referebant, non fuerant atro calculo notandi, tanquam sublestae fidei, aut deceptores; utpote quos vel maxime iterata, castaque et sine metu et sine spe, et variis in Regionibus, capta observatio mirum quantum justificat.

At enim vero, quamvis justo magis decantatas fuisse MERCURII SUBLIMATI laudes, facile concedi, quamvis infelices illae sequelae negari omnes nequaquam possint, multas tamen incauto, intempestivo, immodico potius usui, vel pravae ejus praeparationi tribuas, quam Medicinae ipsi; salivam aegrotis ea utentibus largius aliquando profluere, ne ipse quidem illu. v. SWIETEN et GARDANE inficias iverunt; contingere id posse aegrotis, in illud profluvium proclivibus, aut, quemadmodum et ab usu aliorum ex Argento vivo praeparatorum medicaminum illud perpessis, facile des, rarius tamen a MERCURIO SUBLIMATO hoc contingere, unanimis fere loquitur experientia, neque repugnes, homines sensibiliores, irritabiliores, pulmone debili praeditos, siccos, in tussim, aut haemoptysin, aut alia sanguinis profluvia, aut alvi profluvia pronos, scirrhis, tumoribus inflammatoriis, febre lenta laborantes ab usu hujus Pharmaci ardorem, nauseam, vomitum experientes, facile laedi, et hinc plane ab hujus usu arcendos esse. (vide ill. STÖRCK *ann. med.* 2. *p.* 215.).

Plethoricos, praemissa venaesectione, deplendos, alios a saburra primas vias opplente, prius liberandos, ipsius epidemici characteris rationem habendam antequam Pharmacum hoc propinetur. Multa sane opus est in hujus, quemadmodum in usu omnium potentiarum, sive ex Argento vivo, sive ex aliis confectarum medicinarum, usu circumspectione, qua neglecta neutiquam mirandum more aliorum praestantissimorum efficacitatis gradu ad venena accedentium medicaminum multifarias inferre noxas, qua autem adhibita ipsis infantibus, adeo lactantibus, gravidis praeberi potest, et neque ventriculum neque intestina infestabit, neque pulmonibus quamvis debilibus, nocebit, ut potius bis in phthyseos pulmonalis initiis propinatus omnibus ejus symptomatibus profligatis aegros salvasse testatur cl. ALTHOF (*vide practische Bemerkungen über einige Arzneymittel. Vol. I. p.* 92 - 94. 102.

Hinc debita cautela optimo successu non solum adhibetur MERCURIUS SUBLIMATUS CORROSIVUS in genere in omnibus morbis venereis, praecipue pertinacibus aut inveteratis et ubi praeparata mitiora antea adhibita inefficacia deprehenduntur; in morbis venereis praesertim ossium et vasorum minimorum, in morbis cutaneis, in ulceribus scrophulosis, cancrosis.

Prae-

Praeter Antimonium crudum, Mercurialia, praecipue vero MERCURIUM SUBLIMATUM in rachitide, in cacochymia scrophulosa et scrophulis ipsis prae omnibus aliis medicamentis efficacissimum deprehendi, ut vix efficacius remedium detur, quod multoties expertus fui. Ita sentit quoque cel. HUFELAND, vide EJUSDEM egregium opus (*über die Natur, Erkenntnissmittel und Heilart der Scrophelkrankheit etc. Jena* 1797.), qui *pag.* 185 *et sqq.* Antimonium crudum admodum in scrophulis commendat, etsi modus agendi forte ex principio mercuriali Antimonii Chemicis jam dudum noto facilius comprehendi possit. IDEM pag. 193. Mercurialia tanquam remedia vetustissima et meritissima prae omnibus reliquis medicamentis in scrophulis declarat et haec merita quoque retinebunt, sit Theoria scrophularum qualiscunque.

Certum enim est, quod plurimi celeberrimorum Practicorum, qui per multos annos Praxin clinicam exercuerunt, praecipue in Nosocomiis, ubi tales morbi frequentiores et exactius observari possunt, et in his accuratissimas observationes instituebant, conveniant, et causam morbi scrophulosi seu materiam scrophulosam seu acrimoniam scrophulosam non in Acido Phosphorico libero et cum massa humorum in circulum diducto una cum atonia solidorum quaerebant, ut putat celeb. HUFELAND (l. c. p. 110 et 113.), sed hanc nihil aliud esse, quam miasma venereum delitescens forte degeneratum, quod instar miasmatis morbillosi, variolosi et hydrophobici per plures annos latere potest, et Cacochymiam specificam scrophulosam producit; donec quomodocunque excitatum, sub cognita facie nempe scrophulis, aut sub larva omnes morbos simulet ac proteriformi modo variam faciem morbosam induat, omnibus aliis remediis, omnique curationis methodo resistat et nullis aliis remediis facilius cedat, quam Antimonio crudo et Mercurialibus junctis roborantibus.

Hinc patet, morbum scrophulosum nihil aliud esse, quam morbum venereum larvatum, ubi miasma venereum latet, nec suetis signis praesentiam manifestat; nec opus esse morbum hunc scrophulosum ab alieno principio derivare, cum juxta effatum celeb. HUFELAND p. 102. ex Analysi Chemica materiei morbosae extra corpus facta nihil certi determinari possit ad corpus vivum animale; imo nec materies morbosa adeo simpliciter et pura extra corpus vivum haberi potest, ut Analysi chemica examinari et conclusiones inde deduci possint (l. c. pag. 104 et 105.). Ideo verisimile videtur, nec Pathologiam novam *chemicam* nec *nerveam* aliquam lucem super diagnosin morborum diffundere posse, nisi, quod Botallianae methodi Sectatores, aut ii, qui ubique morbos saburrales vident, nec ad complicationes attendunt, cautiores reddantur; verum saepissime fallere et ad curationem morborum nihil conferre; curatio quoque erit potius *indirecta*, *palliativa* et non *directa curativa* juxta causas morborum instituenda. Conf. ea, quae de novo systemate Pathologico P. I. pag. 26 et 27 sub Capite de *Moscho* dicta erant. Hinc non video, quommodo et qua utilitate haec systemata pathologica nova et contraria, quae confusam ideam et notionem morborum sistunt, conjungi possint, ut potius utile cum nocivo, verum cum falso destruatur; an non talia nociva systemata e Medicina potius extirpanda sint? Conferantur ea, quae de novo

 syste-

systemate Pathologico expertissimi viri scripserunt, vide (*Allgemeine Literaturzeitung October* 1795. No. 274 et No. 275.) item (*Medicinisch chirurgische Zeitung, Hornung* 1796. No. 16, 17.); (*Almanach für Aerzte und Nichtärzte auf das Jahr* 1796. No. 5. a pag. 63 usque ád 70.); (*Journal der Erfindungen, Theorien und Wiedersprüchen.*). Praecipue vero (*Christian Kramps Kritik der praktischen Arzneikunde* p. 990.). Hinc mirum est, viros alias doctos et expertos a recto tramite tam longe aberrare potuisse; sed *oportet esse Haereses.* PAULUS AP. Huc Effatum amantissimi quondam Condiscipuli B. illus. STOLII perfectissime quadrat, dum dicit (Tom. II. Rat. med. p. 170.) „ Botalliana methodus haud multo minus „ discriminis habet, ac illa altera medendi ratio, quae febrile incendium „ affuso Oleo et Liguis alit; ut illa Pathologia nova *nervea* docet.

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

„ Utinam utraque haec medicatio et *sanguinaria* et *calefaciens* aptiores „ in usus reservaretur!

„ Equidem methodi quaedam therapeuticae stantque, caduntque, prout „ fama celebrati cujusdam viri, sub cujus vexillo militant, aut viget, aut „ cadit. Verum plerumque id infortunii accidit, ut delusa Medicorum „ cohors haud prius resipiscat a methodo illa perversa curandi epidemi- „ ca, et ad Pathologiam *humoralem* tot saeculis confirmatam tandem ite- „ rum tanquam ad sacram Anchoram confugiat, nisi postquam haec

Πολλας ιφθιμυς ψυχας αϊδι προΐαψεν; *)

*) Multas praestantes animas Acherontis ad oras praecipites dedit ante diem. *Homer. Iliad. v.* 3.

Cum his expertissimis Practicis, qui accuratissimas observationes de scrophulis in Nosocomiis instituebant, mea observatio annosa quoque in similibus morbis exacte convenit. Et si locus hic esset ad hanc sententiam ulterius confirmandam, afferre possem observationes plurimorum practicorum, quae hanc sententiam de scrophulis magis illustrarent. Hanc enim *origo, decursus* ac *sedes morbi* et *curatio* luculenter confirmat. Interim videri possunt ea, quae circa hanc rem habentur in egregia *Dissertatione* celeb. HAUSMANN *de morbis venereis larvatis. Göttingae* 1778.

Externe MERCURIUS SUBLIMATUS CORROSIVUS per se causticas vires exserit, multa AQUA DESTILLATA solutus est abstergens, resolvens et antivenereum egregium. Sic solutio MERCURII SUBLIMATI aquosa eo modo parata, ut granum unum et semis hujus, cum pulveris Gummi Arabici drachmis duabus in AQUAE DESTILLATAE COMMUNIS libra una solvantur, inservit pro injectione in gonorrhoea et fluore albo. In ipsa ophthalmia gonorrhoica hac solutione oculi eluuntur; plus autem Sublimati quam granum unum et semis in libra Aquae nec oculus, nec urethra tulit. Cum Mellis uncia una mixta ulceribus loco Aquae vulnerariae ac faucibus ulcerosis forma gargarismatis applicatur. Bubones, tophi, phymosis, ac alii tumores venerei forma fomenti hac solutione tegantur. Solutio SUBLIMATI fortis seu AQUA PHAGEDAENICA ex unciis duabus Aquae vel

TINC-

TINCTURAE MASTICHES et granis sex MERCURII SUBLIMATI CORROSIVI parata, ulcera cancrescentia inguinum, et ulcera cariosa venerea sanat. Nec non pessima ulcera faucium, si hac solutione bis vel ter de die penicillentur, curari possunt.

MERCURIUS SUBLIMATUS CORROSIVUS per se ulceribus inspersus convulsiones et pessima symptomata producere dicitur, verum saepe et sine omni mala sequela hoc vidi, hinc quoque ulceribus fungosis inspergitur et vidi ipse et etiam celeb. PLENCK tuberculum fungosum in sterno cartilagineae duritiei et cancrosae indolis insperso SUBLIMATO fuisse intra aliquot dies consumtum ac dein sanatum, quod nec PRAECIPITATO RUBRO, nec LAPIDE INFERNALI, nec aliis causticis consumi potuit. Verum talia Experimenta non a Balneatoribus aut Barbitonsoribus et indoctis Chirurgis promiscue sunt tendanda, sed a prudente solum Chirurgo administretur hoc remedium, et abstineant, si methodum nesciunt.

DOSIS. Multum denique pendet felix hujus remedii successus a dosi, quam singulis vicibus recipit aegrotus; infantibus, si quando iis exhibetur, duodecima aut decima grani pars per diem propinata sufficit; et in ipsa adultorum medela praestat ab octava grani parte inchoare, et si vires aegri permittant, et gravitas morbi postulet, paulatim ad medium, imo ad integrum granum diurno temporis spatio, partite tamen praebendum, ascendere, et sollicite cavere, ne aegrotus morae pertaesus (cujus rei exempla narrant celeb. MÖNCH, ALTHOF et RICHTER), et morbum uno quasi ictu jugulaturus, duplex, vel magis adhuc multiplicatum praebium uno haustu sorbeat.

Praeterea MERCURIUS SUBLIMATUS CORROSIVUS miscetur cum potu mucilaginoso, Gummi Tragacanthae, Syrupo Amygdalino, Opio. Multi formam liquidam pilulari praeferunt et securiorem pronunciant; verum in ampla morborum venereorum praxi in variis Nosocomiis contrarium observavi, et semper summa cautela Sublimatus forma liquida exhibitus mala symptomata et incommoda in primis viis excitavit. Forma autem pilulari nec in adultis nec in infantibus ullum incommodum vidi, (vide PILULAS E MERCURIO SUBLIMATO CORROSIVO inter *Praeparata extemporanea.*).

MERCURIUS DULCIS.

VIRES. Ut aliorum mercurialium; communissimum et securissimum, rarius salivationem movens.

USUS. In omnibus morbis venereis; fluore albo, tinea capitis, hydrophobia. In febribus intermittentibus pertinacibus, praecipue quartanis, in spina ventosa, in angina gangraenosa usque ad ptyalismum et in angina membranacea. In tumoribus scrophulosis et ulceribus, in glandulis induratis, in hydrope ad reseranda vasa lymphatica, rheumatismo chronico; ad excitandam salivationem. Ut autem salivatio non sit frustranea et ne illico oriatur salivatio remanentibus symptomatibus venereis, MERCURIUS DULCIS cum EXTRACTO CICUTAE tamdiu per *extinctionem interne* exhibendus, donec symptomata venerea omnia penitus dispareant; ne vero malum recrudescat, praecipue si fuerit lues non inveterata, tum

externe quoque UNGUENTUM MERCURIALE ad drachmam semis bis de die inguinibus inungitur, donec symptomata salivationis immineant, tunc *interne* ab usu MERCURII DULCIS cessandum et solummodo *externe* inungendum et si salivatio incipit, etiam ab usu *externo* abstinendum, et solummodo potus involvens propinandus cum diaeta lactea. Si *vera salivatio* per quatuordecim dies continuavit et *lenis ptyalismus* adhuc per quatuordecim dies continuat, nihil superest, quam ut diaeta nutriente et lenibus roborantibus vires restituantur; sic morbi venerei, ubi salivatio indicatur, sine omni relapsu spontaneo radicaliter curantur. Symptomata imminentis salivationis sub nomine *febris mercurialis* aut *febris salivatoriae* vide (supra *de Mercurio vivo.*).

Natura enim, quae est omnium morborum vera medicatrix et quam post accuratissimas et annosas observationes praecipue in morbis gastricis, in quibus saepe per superiora aut inferiora materiam morbosam *sponte* evacuat, tam felici eventu exhibito emetico aut emeto - cathartico imitamur; ita etiam variis in morbis acutis et chronicis, ut in febribus acutis, in variolis et aphthis, in febribus intermittentibus, in hypochondriacis, scorbuticis, podagricis, in angina etc. *salivatio spontanea* contingit et natura eligit salivationem ad humorum depurationem seu despumationem et effoeti humoris evacuationem, quare non etiam in hac liceret illam imitari. Antiquitas jam utilitatem hujus evacuationis *artis excitatae* perspexit et varios morbos difficillimae curationis hoc modo felicissime sanavit. Sic *lenis* salivatio *arte excitata* non solum in morbis venereis, sed et in aliis morbis ut mania, epilepsia, chorea St. Viti, variis aliis morbis convulsivis, scrophulis, morbis cutaneis pertinacibus etc. summo cum fructu adhiberi poterit. Verum prudenter a prudente Medico tantum administretur, abstineat, si methodum nescit; sane abstineant indocti. Non enim in omnibus subjectis, nec in omni complicatione morborum, nec omni anni tempore instituenda salivatio, ad constitutionem nempe regnantem quoque respiciendum. Ea temporum annua ratio neminem fugere Medicorum impune potest cum *ex anni temporibus morbos conjectare* asserente HIPPOCRATE detur. *Sed et humores, quibus anni temporibus efflorescant, nosse oportet, et quosnam in singulis morbis efficiant, et quasnam unoquoque in morbo affectiones pariant.* HIPPOCR. *de humoribus c.* 3.

DOSIS. *Interne* MERCURIUS DULCIS a grano semis ad tria aut sex. In hydrophobia ad grana decem. Miscetur optime per se cum EXTRACTO CICUTAE; ita forma boli usque ad grana sex sensim ascendendo bis de die per quindecim dies et ultra saepissime sine omni motu salivationis exhiberi potest. Etiam cum Saccharo, Camphora, Cortice Peruviano, Sulphure, SULPHURE ANTIMONII AURATO, Gummi Ammoniaco, Asa foetida, RESINA GUAJACI ARTE FACTA PURA, EXTRACTO ACONITI, Gummi arabico aut Opio miscetur. Cum SULPHURE AURATO sub nomine PULVIS ALTERANS; hic inprimis in morbis venereis cutaneis, scabie, scabie retropulsa, arthritide, podagra et rheumatismis; praecipue si indicia venerea adsint, aut ab exanthemate scabioso retropulso sustinentur. In hydrope, in defectu mensium praecipue harum, quae lue laborarunt aut adhuc laborant, etiam a lymphae spissitudine; in glandulis induratis et

scro-

scrophulis. Exhibetur hic Pulvis ALTERENS a granis duobus ad quatuor pro dosi, optime cum Saccharo, aut ut MERCURIUS DULCIS per se optime forma pilulari aut Trochiscorum cum RESINA GUAJACI ARTE FACTA PURA, Asa foetida, Gummi Ammoniaco, Extracto Cicutae, Aconiti aut Hyosciami.

AQUA PHAGEDAENICA.

USUS. Aqua haec diluta ad ulcera venerea sananda egregium est vulnerarium, exceptis ulceribus scorbuticis; si vero per se applicatur causticas vires exserit in ulceribus venereis sarcoticis inveteratis.

PRAEPARATA.

AETHIOPS ANTIMONIALIS.
AETHIOPS MINERALIS.
AQUA PHAGEDAENICA.
CINNABARIS FACTITIA.
CINNABARIS FACTITIA PRAEPARATA.
EMPLASTRUM MERCURIALE.
MERCURIUS DULCIS, SEU PANACEA MERCURIALIS.
MERCURIUS NITRATUS, SEU NITRUM MERCURIALE FRIGIDE PARATUM.
MERCURIUS PRAECIPITATUS ALBUS.
MERCURIUS PRAECIPITATUS RUBER, SEU POTIUS CALCINATUS RUBER.
MERCURIUS PRAECIPITATUS SOLUBILIS NIGER.
MERCURIUS SUBLIMATUS CORROSIVUS.
MERCURIUS VIVUS DEPURATUS, SEU REVIVIFICATUS.
PULIS ALTERANS.
UNGUENTUM MERCURIALE.

} *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ARGENTUM CUPELLATUM, seu LUNA DEPURATA, et ARGENTUM FOLIATUM.

N. germ. *Kupellirtes Silber, reines Silber, und Blatt-Silber, Blättchen-Silber.*

N. syst. L. (Argentum nativum.)

Partes usuales. *Metallum integrum purum.*

Argentum nativum; LINN. *Syst. natu. III.*

Est Metallum perfectum seu nobile, candidissimum omnium Metallorum nitoris eximii, cujus gravitas specifica se habet ut 11,095 usque ad 105107. Hinc undecies gravitate specifica superat Aquam, est elasticum et optime sonorum et praeter Aurum maximam malleabilitatem possidet, ex grano uno

uno Argenti filum longitudine 30 ulnarum et 2 pollices latum duci potest. Igne violento liquescit, gradu nempe 1000 Therm. Fahr. eoque quamvis vehementissimo et diuturno per se neque in Calcem nec in Vitrum vertitur; neque, si focum optimae lentis ustoriae exceperis, in vaporem abiens, Nitro ignis violentia liquato, nequaquam detonat et Plumbi Calcibus neutiquam in Vitrum abit, Calcesque Argenti sine addito phlogisto in Metallum iterum reduci possunt. Optime solvitur in Spiritu Nitri puro, seu Aqua forti diluta, Acido Vitrioli mediante calore etiam solvitur, ab Acido Salis vix aliter, nisi forma vaporis; solutiones hae nullum exhibent colorem at majorem longe acrimoniam impertiuntur, Solutio in Acido Nitri in cute maculam nigram producit, et haec solutio longe magis caustica est, quam Aqua fortis per se, quod forte inde dependet, quia Argentum ab Aqua forforti phlogisto orbatum, avide phlogiston iterum attrahit. Facile cum nonnullis Acidorum in crystallos abit, quae facile Aqua pura, et partim ipso Vini Spiritu solvuntur, prouti alia quoque Argenti cum Salibus connubia et Calces, lucis radiis exposita, obscurum in superficie colorem induunt. Ex solutione in Aqua forti ab Acido Vitrioli aut Salibus vitriolicis praecipitatur forma VITRIOLI LUNAE, seu ARGENTI VITRIOLATI, in 87 partibus Aquae ebullientis solubilis; ex omnibus autem solutionibus per Acidum Salis marini et omnia Salia, quae illud continent, specie sedimenti albi LUNA CORNUA aut ARGENTUM SALITUM dictum, quod leni igne facile in materiam cornuam semipellucidam liquescit, si ulteriori igne urgeatur fumi albi specie avolat; per Cupri, Ferri, Zinci laminam forma pulveris nitentis metallici, per Argentum vivum facie elegentissima Arboris argenteae (ARBOR DIANAE) praecipitatur.

Crystalli, quas cum Nitri Acido format, igne facile liquescunt, et Aquae plurima parte expulsa coeunt in *massam* paulo *duriorem*, Aqua adhuc facillime solvendam, ad Aerem humescentem, in prunis detonantem, et purum nitens Argentum relinquentem, nigredinem cuti et cuicunque corporis animalis parti inurentem, causticam, quae ob infernalem acrimoniam LAPIS INFERNALIS seu LUNA CAUSTICA nuncupatur. Mercurio facile amalgamatur. Aere, Igne et Aqua fixum et immutabile manet; simulac ignitur et funditur a vaporibus sulphureis nigrescit: via sicca a Sulphure et Hepate Sulphuris per ignem liquefacto, etiam si cum facta ejus per Aquam puram solutione coquitur, dissolvitur; Nitro et Lithargyro resistit, facilius igne liquescit Cupro. Argentum communiter Cupro quandoque etiam Auro, Ferro, aut Regulo Antimonii aut Arsenico inquinatum deprehenditur, hinc ut Argentum in officinis purum habeatur, adhibetur ARGENTUM CUPELLATUM. Hac autem operatione nempe *Cupellatione* Argentum addito Plumbo seu Saturno, qui devorator omnium Metallorum dicitur, a reliquis ignobilibus Metallis admixtis depuratur; Plumbum enim in Lithargyrium versum solvit haec admixta Metalla et his solutis absorbentur a Cupella et Argentum purum micans remanet. Ad puritatem Argenti examinandam, id ad Lapidem Lydium teritur, quanto albidior evadit ductus, tanto purius Argentum, et quanto rubicundior, tanto cuprosius; solutio Argenti in Spiritu Nitri, si minus alba et limpida, si tritus ejus super Ferro polito candefacto maculam inducit albam vel rubram, si fusio ejus cum Nitro et Borace his Salibus colorem communicat, ac si affusum Spiritum Salis Ammo-

mo-

moniaci causticum colore imbuit coeruleo, Argentum ut impurum et adulteratum rejiciatur. In America et passim per Europam Argentum varia forma in fodinis occurrit.

Argentum foliatum est Argentum purum in laminas tenuissimas redactum et inter folia papyracea positum. Pharmacopolam oportet hoc Argentum per digestionem in Spiritu Salis Ammoniaci caustico examinare, color solutionis coeruleus denotat inquinationem cum Cupro. Adhibetur ut *Aurum foliatum*.

LAPIS INFERNALIS.

VIRES. Causticae, sed multa Aqua soluti roborantes, exsiccantes.

USUS. Ad carnem fungosam consumendam et naevos maternos exstirpandos. *Solutio* ex LAPIDIS INFERNALIS granis tribus in unciis tribus AQUAE DESTILLATAE optime in ulceribus non amplius suppurandis, sed consolidandis forma injectionis maxima efficacia adhibetur; si consolidatio incipit dosis LAPIDIS soluti minuitur; ita etiam in fistula lacrymali, si per puncta lacrymalia injiciatur, et in aliis ulceribus fistulosis est egregium roborans et consolidans remedium. Etiam in gargarismate in angina putrida et ulceribus oris ex abusu Mercurii ortis optime convenit.

CRYSTALLORUM ARGENTI, seu ARGENTI NITRATI usum vide *in Praenoscendis inter Reagentia.*

PRAEPARATA.

CRYSTALLI ARGENTI SIVE LUNAE, SEU ARGENTUM NITRATUM. } *vide praeparata P. II.*
LAPIS INFERNALIS, SEU LUNA CAUSTICA. }

N. ph. l.	V. ☉	FERRUM, seu MARS.
N. germ.		*Eisen.*
N. syst. L.		(Ferrum selectum.)
Partes usuales.		*Metallum integrum purum.*

Ferrum selectum; LINN. in omni mundo corporeo occurrit, omnium Metallorum utilissimum ac saluberrimum, ideo a primis jam Artis salutaris incunabulis Medicis usitatum, tenacitate ac duritie insigni, qua, Calybis, praecipue forma indutum reliqua in officinis obvia Metalla superat, extus colore obscuriori in caesium vergente, nitore minus constanti, ut Aeri potissimum humido atque impuro expositum, facillime rubiginem contrahat, intus vel diffractum a griseo album nitens. Pondere specifico, si cum aliis sui generis compares, satis exiguo ut 7,800 ad 77880 hinc septies aut octies tantum gravitate Aquam superat. Distinguitur ab omnibus Metallis, quod facile cum Magnete coeat, qui metallico splendore conspicuum for-

fortissime attrahit; difficillime in igne, si quidem solum illius vim experiatur, fluit, imo post Platinam et Magnesiam nigram est Metallum igne maxime refractarium. Ex omnibus aliis Metallis praeter Platinam solum, proprietatem valde utilem ad varia utensilia inde conficienda possidet, ut igne mollescat antequam liquescat; dum reliqua Metalla ante liquescentiam non mollescant. Ingentem colorum nitidorum varietatem variis ignis lenioris gradibus tortum in superficie exhibet; facile per solam adeo frictionem ad excandescentiam excitatur lucidis scintillis, quas vehementior ignis aut frictio ex eo, praesertim Calybis specie obvio, extorquet; facile metallicum splendorem per solam quoque ignis vehementiam perdit; repetita candescentia et mallei ictibus magis malleabile fit, candescentia vero et subsequente subita extinctione in Aqua durum magis et solidum et fragile fit. Si Ferrum per fusionem aut cementationem majori copia phlogisti unitur et extinctione magis durum ac fragile redditur vocatur *Calybs*, qui magis malleabilis, ex subtilioribus granulis constat, flexilior est, facilius liquescit et Aeri expositus non tam cito rubigine inficitur ut Ferrum non ita elaboratum; cum Sulphure Ferrum prae omnibus reliquis Metallis maximam habet affinitatem, ideo etiam aliis additur, ut a Sulphure liberentur.

Facile in omnibus Acidis, aliis quoque Salibus, ipsis adeo Oleis solvitur; in Aceto Vini rubescente, et in Acido Vitrioli diluto viridescente colore, omnes solutiones vero sapore adstringente imbuit. Ex solutionibus Acidis per Alcali phlogisticatum sive Lixivium sanguinis coeruleo et per Tincturam Gallarum aquosam aut spirituosam atro colore iterum praecipitatur. Pharmacopolae utuntur FERRO LIMATO sive LIMATURA FERRI, quae vero a Pharmaceuticis ipsis limanda, ab artificibus enim vel operariis comparata Limatura utplurimum Aurichalco vel Cupro vitiata est, et electio per Magnetem insecura, Magnes enim ramenta etiam attrahit Cupreis vel aliis metallicis unita particulis; LIMATURAE MARTIS adulteratio cum Cupro vel Aurichalco detegitur per digestionem in vase aperto cum Spiritu Salis Ammoniaci caustico per viginti horas, Spiritus color coeruleus depravationem indicat dictam, sic et LIMATURA MARTIS Cupro inquinata in Spiritu Salis soluta Ferrum politum solutioni immissum Cupreo imbuit colore. Ne rubiginem ducat LIMATURA MARTIS vitris servetur obturatis.

VIRES. Roborantes, adstringentes, solventes.

USUS. In deffectu mensium a laxitate, in chlorosi, cachexia, in debili digestione et proclivitate in Acidum, in rachitide, scrophulis cum magna debilitate. Post morbos superatos tanquam roborans, in magna virium prostratione.

DOSIS. LIMATURAE MARTIS PURAE a granis decem ad scrupulum unum aut drachmam semis. Forma pulveris, Electuarii aut Vini. Cum Aromatibus, Calamo aromatico, Cortice Aurantiorum, Floribus Cassiae, Eleosaccharo, Saccharo, Cortice Peruviano aut amaricantibus miscetur. *Nocet* in saburra, inflammatione, febre, et subjectis plethoricis, in vitio organico viscerum ut phthysicis.

MARS

MARS SOLUBILIS seu TARTARUS CALYBEATUS vide (*praeparata extemporanea*) in chlorosi efficacissimum remedium, non adeo calefacit, quam Ferrum purum et non tam facile constipationes gignit. In rachitide et defectu mensium quoque adhibetur. Forma pulveris vel Boli exhibetur, superbibendo infusum ex Herbis amaricantibus aut amaricantia pulveri adduntur. Forte et cum FLORIBUS SULPHURIS et Saccharo Ferrum purum mixtum in iisdem morbis celerius vires exserere posset. EXTRACTUM MARTIS, est egregium tonicum, hypochondriacis, cachecticis, ac ubi vermium suspicio est, convenit; exhibetur a granis decem ad scrupulum unum in Mixtura, Bolo, aut Electuario. TINCTURA MARTIS CYDONIATA longe magis gratum saporem habet, quam Tinctura Martis cum Succo pomorum. Exhibetur tanquam egregium roborans a drachma una ad unciam semis per se aut cum Vino aut Extractis amaricantibus. TINCTURA MARTIS AUREA plus Ferri soluti continet et praeter roborantes simul incidentes vires possidet; exhibetur a drachma semis ad unam. VINUM MARTIS seu CALYBEATUM, est remedium tonicum egregium et a drachmis duabus ad unciam semis aut unam exhibetur per se, aut aliis remediis additur.

VITRIOLUM MARTIS ARTIFICIALE, est magis efficax et adstringens, quam Ferrum purum, hinc etiam in iisdem morbis convenit, ea tamen cautela, ne in ventriculo aut Terram aut Sal lixiviosae indolis offendat, quo quippe Ferrum ex Acido Calcis forma praecipitaretur, nec igitur exhibendum cum terreis medicamentis, praesertim calcareis, neque ventriculo saburra putrida obruto, quae, si adsit, eliminari prius alio medicamento debet. Propinatur autem optime pulveris forma, granorum duorum ad granorum decem usque pondus infantibus, adultis scrupuli, drachmae dimidiae, imo interdum integrae pondere, Saccharo praecipue intertritum; sunt qui etiam in Electuario exhibent. Mira primo praestat, paucorum quamvis granorum pondere deglutitum in sanguinis fluxibus, praesertim iis, qui a relaxatione vasorum proficiscuntur; hinc adversus haemorrhagias spontaneas largiores, in mictu cruento, et sanguinis ex utero secessu, praesertim periculosissimo illo, qui partus violentos, abortus, molae excretiones sequitur. At in aliis etiam morbis a nimia partium relaxatione oriundis v. gr. pollutionibus cum nocturnis tum diurnis, in diabete, chlorosi, et rachitide egregiam opem tulit.

Principem denique hoc Vitriolum interno usu obtinet locum inter vermifuga; si Aqua plurima solutum (drachma in libra una Aquae), et, si velis, edulcatum, jejuno ventriculo sorbetur, non lumbricos (*Ascarides lumbricoides*) modo necat et vomitu utplurimum expellit, sed ipsam Taeniam expugnat. *Externe* solutionis Vitrioli aquosae in ulceribus putridis et gangraenosis, frequentius tamen in profluviis sanguinis sistendis usus praecipuus est. Hinc non solum ad sanguinem ex vulneribus profluentem sistendum, sed et in profluviis quoque ex interna causa natis, vitae propinquum periculum intentantibus, magnam exserit potentiam. AQUA STYPTICA VULNERARIA egregie in similibus casibus convenit.

GLOBULI MARTIALES, vix a Marte solubili discrepantes, rarius toti Aqua vel Vini Spiritu solvuntur, et, quamvis Vino virtutem, qua in-

terno quoque usu pollent, impertiantur, externo potissimum usui destinati sunt, quo utique Aqua vel Aceto vel Vino macerati, donec haec fluida colore et sapore Ferrum solutum iis inhaerere testentur, vel cum Aqua vegeto - minerali conjuncta, et fomentorum forma adhibita, in vulneribus multum suppurantibus a laxitate, in tumoribus oedematosis post fracturas aut luxationes, in sanguinis profluviis, vulneribus sclopeto inflictis, contusionibus, luxationibus, anchylosi egregiam opem praestant.

PRAEPARATA.

AQUA STYPTICA VULNERARIA LOCO AQUAE THEDIANAE.	vide praeparata P. II.
EXTRACTUM MARTIS.	
GLOBULI MARTIALES, SEU VULNERARII.	
LIMATURA MARTIS PURA.	
TINCTURA SEU ESSENTIA MARTIS AUREA.	
TINCTURA SEU ESSENTIA MARTIS CYDONIATA.	
VINUM MARTIS, SEU CALYBEATUM.	
VITRIOLUM MARTIS ARTIFICIALE.	

N. ph. l. V. ☉ STANNUM PURUM, JUPITER.

N. germ. *Reines Zinn.*

N. syst. L. (Stannum.)

Partes usuales. *Metallum integrum purum.*

Stannum; LINN. *Syst. natu. III. p.* 310.

Est Metallum molle, leve, pondere enim specifico est ut 72914 : 10000. Hoc est si purum, septies gravitate specifica superat Aquam; est nitoris stabilioris et coloris ad argenteum accedentis, et ex variis Mineris elicitur. Est flexile, ductile, secabile, dum fricatur vel incalescit odorem spargit peculiarem quodammodo alliaceum et stridet dum flectitur vel inter dentes premitur. In Aere et Aqua splendorem amittit et quasi canescit. Ante ignitionem fusibile, quo durante nulla Iridis colorum varietas apparet, Calx alba, *Cinis Jovis* dicta ulteriore ignis efficacia colorem haud mutat et difficulter liquatur, et si liquefiat igne non in vitrum, sed in massam vitro aemulam opacam lacteam abit. Aliis Metallis additum, haec plurima, excepto Plumbo, Wismutho et Zinco fragilia reddit. Cum Mercurio facile amalgamatur; nunquam forma nativa, sed semper forma Calcis Arsenico, Ferro, Magnesiae nigrae seu vitrariorum aut Sulphuri unitum invenitur. Paulo difficiliori atque inconstanti in Acidis, quorum acrimoniam auget, solutione a reliquis affinibus Metallis et a Plumbo potissimum discrepat. Facile tamen Spiritu Salis aut Aqua regis solvitur et ex hac solutione per solutionem Auri coeruleo aut purpureo colore *Purpura minerali* dicta praecipitatur. Verum quidem est Stannum purum arrodi a Succis vegetabilibus

bus acidis, a liquoribus fermentatis, a pinguedinibus, a jusculis salsis posse, difficilius tamen omnia haec adoriuntur Stannum, quam quodvis aliud minus perfectum Metallum, ejusque tam parcam solvunt copiam, ut vix ullus inde in sanitatem redundare queat effectus; accedit, quod Stannum variis aliis Metallis, e. g. Plumbo, Cupro, Arsenico, Antimonio minus nocivum sit, ut verisimile sit, damnorum, quae improvidus vasorum stanneorum usus in culinis praesertim intulisse legitur plurimam partem non Stanno ipsi, sed peregrino potius huic vel illi Metallo Stannum vitianti deberi.

Et crebro sane aliis iisque noxiis Metallis corrumpitur Stannum, ut ea de causa in Terris Austriacis (vide MEIDINGER *Versuche einer Eintheilung des Mineralreichs p. 68.*) lex artifices ad incrustandum Ferrum et Cuprum Stanno meraco et purissimo uti jubeat; dummodo legislatores de tempore in tempus varia ex Stanno et Stanno incrustata in Oeconomia et variis artibus consueta utensilia examinarent, an lege sancitum mandatum juxta praescriptionem ab artificibus expleatur. Quid enim juvant leges, si his nemo obedire vellet. Et primo quidem maculam Arsenici etiam optimo Stanno Anglico et Malaccensi inhaerentis Stanno inussit suspicionem utique jam movente fumo, qui, dum uruntur Stanni Minerae, ab interspersо copiose Pyrite arsenicali assurgit; at hariolante jam B. SCHINZIO tale quid (*Diss. de Stanni et ejus miscelae cum Plumbo in re oeconomica usu. Tigu. 1770. §. VI.*); pessimo etiam Stanno, quod quidem ipsis examinandum occurrit, vix $\frac{1}{58}$, meliori vix $\frac{1}{131}$ Arsenici inesse, et quis per 48 annos continuos omnes cibos ex vasis Stanneis sumserit, cum tribus circiter Stanni eo temporis spatio abrasi unciis, unicum Arsenici granulum deglutire, Arsenico, etiam; si una ejus libra 48 Stanni admisceatur, omnem hujus nitorem et ductilitatem destrui, numerosis suis Experimentis demonsrarunt ROUELLE, BAYEN et CHARLARD in (*Recherches chymiques sur l'etain, faites et publiées par ordre du gouvernement a Paris.* 1781.). Etiamsi igitur a gravi Arsenici culpa absolutum videatur Stannum, aliis tamen haud insontibus Metallis crebro corrumpitur, v. g. Wismutho, illud, quod Angli *fine Tin* nuncupant ($\frac{1}{160}$), facile dignoscendo, si Stanni, quod adulteratum Wismutho esse suspicio est, in grana divulsi uncia in vase vitreo cum unciis duabus et media Aquae fortis purae calori sensim aucto exponitur, tum Liquor, ut primum plane limpidus est, defunditur, per chartam bibulam trajicitur, et cum Aqua destillata purissima per guttas confunditur, quo facto si non turbetur, nihil Wismuthi continere, sin autem lactis tenuioris instar turbetur, eo contaminatum esse conjicies.

Antimonium, et ea quidem specie, qua Regulus audit, ab anglis artificibus Stanno, cui majorem duritiem, et si politio accedat, vivaciorem impertitur nitorem, adjicitur. In Germania quoque et aliis Europae Terris illi Stanno, ex quo noduli vestimentorum, cochlearia, furcae et pocula conficiuntur, admiscetur; qua quidem corruptela id efficitur, ut potulenta praesertim acida in istiusmodi vasis Stanneis asservata praeter omnem expectationem vomitum excitent; dignoscitur autem hoc vitium, si portio Metalli in catillo terreo, qui altero inverso superimposito et probe agglutinato tegitur, vehementiori paulo igni exponitur, quo tortum Antimonium, spiculorum argenteorum specie in superiorem catillum ascendens ponderis

 jac-

jacturam haud exiguam in superstite Stanno progignit. Cuprum saepius immistum sibi habet Stannum; sive illud vitium ab interspersis Stanni formis nativis minutim Cupri Mineris proveniat, sive Cuprum, illi potissimum Stanno, quod obducendis aliis Metallis impenditur, quemadmodum v. g. in officinis bohemicis ex consilio addatur: facile autem patet hoc Cupri consortium, quando Stannum eadem ratione, quae supra dicta est, cum Aqua forti tractatur; si enim Aquae forti immergas politam Ferri laminam, Cupri cortice obducta exinde redibit; detegitur quoque, si Stannum in Aqua regis solvitur, et huic solutioni Spiritus Salis Ammoniaci instillatur, tunc haec solutio colore coeruleo tingitur, si Cuprum Stanno immistum fuerit.

At periculosissimum et vulgatissimum Stanni vitium est Plumbi connubium, quod videlicet Metallum ne hoc quidem vinculo ligatum aut suam in liquoribus omnis fere generis solubilitatem amittit, aut subdolam exitiosamque indolem exuit. Plumbi consortium minuit utique argenteo satis affinem Stanni nitorem, ut cui comparare cum inquinato purum et meracum Stannum licet, jam ex obscuriore in caesium vergente colore augurari illam labem possit; minuit quoque ac tandem delet notam illam Stanni meraci, quod quando diffringere tentas, crepitum seu stridorem quendam auribus propinquis facile percipiendum edit; auget vero Stanni pondus specificum; ita, ut pondere Aquae = 1000 posito a $\frac{1}{14}$ parte Plumbi immista adeo increscat, ut aequale sit 7321, ab aequali portione tantopere, ut aequet 8817. Quum porro Acidis, etiam mitioribus longe facilius cedat, quam Stannum, iisque dulcem impertiatur saporem, his quoque explorari illud vitium potest; quodsi certe Acetum paulo acrius scobi Stanni superfusum, ac leni calori per noctem commissum dulcem ex eo nactum fuerit saporem, ab instillato Cinerum clavellatorum depuratorum lixivio, Salis communis Spiritu vel Vitrioli Oleo lactis tenuioris specie turbetur, a soluto in Aqua vel Vini Spiritu Hepate Sulphuris, quocunque modo parato, aut Aere hepatico nigrescat, jure tuto colliges, contaminatum Plumbo esse Stannum. Quae suspicio confirmatur, si disco Stanneo de hac labe suspecto Aceti acrioris tantillum, ut fundus ejus contectus sit, infundas, istique nunc disco Ovum recens at ad duritiem usque coctum per longitudinem in medio discissum plana facie impositum per nycthemerum relinquas; justa enim si fuerit, plenum conspicies altero die venis lividis Ovum.

Aqua etiam fortis adhiberi illi investigationi potest; sumuntur Stanni partes duae sensim partibus quinque Aquae fortis (cum partibus tribus Aquae destillatae diluti Spiritus Nitri fumantis) immitantur et ad plenissimam Stanni solutionem sive calcinationem digerantur, tunc solutio sensim evaporetur, postea cum multa Aqua affusa destillata iterum ferme exsiccetur et denique cum magna Aquae quantitate excoquatur et edulcoretur, ex qua lotura quae leni igne evaporatur, donec pelliculam in superficie contrahat, nascentur in frigore crystalli, si Stannum fuerit Plumbo contaminatum, verum Plumbum nitratum seu Nitrum saturninum referentes, quae, repetito isto artificio, collectae atque exsiccatae pondere suo copiam Plumbi inhaerentis prodent, quippe quae tres quintas hujus Metalli partes continent, et cum pinguedine aut pulvere carbonum facile in Metallum ipsum reducibiles sunt. Usui Medicorum Stannum purissimum et optimum

ex

ex India orientali allatum *Malaccense* vel *Brancas* vocatum inservit, illud in glebis forma pileorum Jesuiticorum et circiter librae unius gravibus, hoc in cylindriacis massis ponderis circiter semicentenarii. Praeter hoc etiam *Stannum* purissimum *Anglicum* sive *Cornwalliense* adhibetur; hoc autem a mercatoribus magnariis in majoribus massis quadrangulis comparatum ab ipsis ad venditionem faciliorem reddendam fundendo in minores massas trilaterales mutatur. Stannum enim ut supra dictum communiter Plumbo vitiatur; Pharmacopolae ergo sibi Stannum comparare debent *Indicum* vel tamen *Anglicum* nec unquam a Stannariis emere. Ex stridore et levitate majori concluditur puritas major. Ad explorandam Stanni puritatem pro varia impuritate varia methodus examinandi supra dicta a Pharmacopola adhibenda, ut certus sit Stannum esse purissimum, quod in usum Medicorum adhibetur.

VIRES. Anthelminticae, sed mechanice solummodo agit.

DOSIS. A drachma una ad unciam semis cum Syrupo aut nebula involutum. Quacunque vero forma adhibeatur, per plures dies insequentes continuare ejus usum opus est, et, nisi, quod aliis magis arridet, cum purgantibus combinetur, ut vermes enecati alvo expellantur, singulis quatuor, quinque, sex diebus interponere medicamen alvum laxans, si praesertim convulsiones excitaverint, jubent nonnulli, ut exterminatis quoque vermibus, proximis Lunae phasibus Stanni usus repetatur.

PRAEPARATUM.

LIMATURA STANNI DEPURATA.) *vide praeparata P. II.*

§. II. *METALLORUM PRODUCTA.*

I. Cupri.

N. ph. l. V. ⊙ AERUGO CRYSTALLISATA, seu AES VIRIDE DESTILLATUM, POTIUS CRYSTALLISATUM, seu FLORES VIRIDIS AERIS.

N. germ. *Crystallisirter Grünspan*, *Spangrün*, *Spanischgrün.*

N. syst. L. (Aes viride, seu Cuprum acetatum.)

Partes usuales. *Idem Cupri Productum.*

Aes viride, seu Cuprum acetatum; est Cuprum per Acidum Vinaceorum acescentium, cum quibus per strata per aliquod temporis spatium dispositum erat in Aeruginem partim Calcis Cupri, partim salinae indolis, in meridionali praesertim Gallia, ubi praeprimis in Monte pessulano paratur, corrosum, acinis hinc uvarum et racemorum reliquiis non raro impurum,

rum, fragile, minus ponderosum, e coeruleo viridescens, siccum, saporis acidi acris et nauseosi, in Aqua in pultem intumescens et in Aquae partibus quinque et in dupla quantitate Spiritus Vini, et in Acidis solubile; solutio spirituosa flamma ardet viridi; Spiritu Salis Ammoniaci, qui eandem in illud vim exercet elegantissime coeruleum colorem impertiens. Purum est coloris ad coeruleum vergentis, siccum et in aere non humescens. Rejiciatur saporis salsi, maculis nigris vel albis distinctum, et Creta vel Gypso adulteratum, quae vitiatio solutione Aeruginis in Spiritu Vitrioli detegitur, ubi solummodo Cuprum calcinatum solvitur, et Creta vel Gypsum in fundo relinquitur. Haec est ratio, quare in officinis loco *viridis Aeris, Aerugo crystallisata*, seu *Aes viride crystallisatum* quod a vinaceis, sarmentis et aliis impuritatibus commixtis accurate liberatum est, semper pro usu medico eligendum. *Aes viride crystallisatum*, seu *Aerugo crystallisata* est verum Sal, quod totum Aqua perinde ac Spiritu Vini dissolvitur, et utrique colorem viridem, Salis autem Ammoniaci Spiritu tinctum coeruleum impertiens, igne violentiori tortum Acidum suum, constat enim ex Aceto et Cupri Calce et paratur ex *viridi Aeris* per illud soluto, et in crystallorum formam redacto, dimittens, et pulverem ex fusco atrum relinquens, his jam notis, colore obscurius viridi, acrimonia majori a *viridi Aeris vulgari* distinctum, Aqua solutum virtute arrodente Chirurgis commendatum.

VIRES. Causticae, corrodentes, abstergentes.

USUS. *Externe* UNGUENTUM AEGYPTIACUM seu OXYMEL AERUGINIS, in ulceribus sordidis, saniem siccandam, et luxuriantem carnem prohibendam et absumendam, utiliter plumaceolis ad ulcera applicatur. In gangraena et sphacelo ei praeterea saturnina addi possunt. Cum Melle Rosarum mixtum etiam in gingivarum ulceribus putridis valet. Videatur vero ne ossibus nudis OXYMEL applicetur. CERATUM VIRIDE ad emolliendas vel potius erodendas verrucas pedumque clavos laudatur.

PRAEPARATA.

CERATUM VIRIDE, SEU CERATUM AERUGINIS.
UNGUENTUM AEGYPTIACUM, SEU UNGUENTUM AERUGINIS, SEU OXYMEL AERUGINIS. } *vide praeparata P. II.*

N. ph. L. V. ☉ VITRIOLUM CUPRI, seu VITRIOLUM COERULEUM, seu DE CYPRO, seu VITRIOLUM VENERIS.

N. germ. *Kupfer-Vitriol, blauer Vitriol.*

N. syst. L. (Cuprum vitriolatum.)

Partes usuales. *Idem Cupri Productum.*

Cuprum vitriolatum, seu Vitriolum cupratum; est Sal medium metallicum diaphanum ex Cupro et Vitrioli Acido conflatum, vendibile vero Fer-

Ferro adhuc contaminatum. Crystallos format latas prismaticas, sexlateras utroque extremo oblique sed juxta lineas paralellas truncatas; laete coerulei sive saphirini coloris, saporis styptici, acris nauseosi. In Aere si purum est pulvere obducitur albo, si vero Ferro inquinatum flavescente. In Aquae quatuor partibus minime vero in Spiritu Vini solvitur, igne intumescit et denique in Calcem cupream friabilem mutatur. Ferrum politum et humectatum, si huic affricatur, maculam relinquit coloris cuprei aut cortice cupreo obducit; solutione per Aquam facta a Ferro injecto pulverem Cupri metallico nitore conspicuum, ab Aqua vel Vini Spiritu cum Gallis digesto, sedimentum flavescens, a sanguinis lixivio, flavicans, exsiccatione nigrescens, ab Hepate Sulphuris obscure rubrum, a lixivio Cinerum clavellatorum vel Spiritu Salis Ammoniaci infuso dilute viride dimittit, quod tamen, si major posterioris copia additur, Liquorem denuo subit, tinctu amoenissime coeruleo inde notatum. Eligatur purum saphirini coloris et bene crystallisatum. Contaminatio Ferro, Calce Zinci alba, quae utraque ex solutione Vitrioli coerulei in Aqua destillata per Spiritum Salis Ammoniaci causticum praecipitatur; eadem solutio per eandem admixtionem si Vitriolum Cupri ab hisce Metallis liberum est, initio quidem turbida redditur, sed Spiritus dicti majori quantitate instillata, iterum limpida et coerulea evadit. Omne fere hoc Vitriolum in Germania praecipue artis opera progignitur, sive ex Mineris Cupro divitibus et Sulphure gravidis ustulatis, sive, quod quidem rarius contingit, ex Cupri cusi tabulis per Sulphuris, cum quo per strata dispositae ignis violentiae exponuntur, vapores corrosis, Aquae adjumento excoctum sive evaporatione Aquarum vitriolicarum cuprearum paratur. Ob ingentem, quam sapor jam satis superque prodit, acrimoniam hoc Vitriolum extrinsecus solummodo utitur, exedendis mariscis carnique ulcerum luxurianti utile.

VIRES. Corrosivae et stypticae.

USUS. Excrescentiae et condylomata Vitriolo Cupri tanguntur, ut consumantur.

CUPRUM AMMONIACUM.

VIRES. In minima dosi antispasmodicae, in majori validissimum vomitum et alvi dejectiones ad necem usque excitantes, hinc majori dosi venenatae.

USUS. In epilepsia, hysteria et febribus intermittentibus.

DOSIS. Granum dimidium aut granum unum in Aquae destillatae unciis quatuor solvitur, et inde omni secunda aut omni hora cochlear unum exhibetur. Si vero jam minima dosis vomitum excitat, et nulla emendatio sequitur, illico ab ulteriori usu abstinendum.

PRAEPARATUM.

CUPRUM AMMONIACUM, SEU SAL AMMONIACUM CUPRI.) *vide praeparata P. II.*

II. Plumbi.

N. ph. l. V. ⊙ CERUSSA ALBA, seu CERUSSA IN LAMINIS, seu SCHIFERA ALBA.

N. germ. *Schieferweiss, feines Bleyweiss.*

N. syst. L. (Calx Plumbi aerata.)

Partes usuales. *Eadem.*

Calx Plumbi aerata; sunt frustula testacea, oblonga vel foliata seu laminae crassitie duarum linearum, fragilia, friabilia, ponderosa, niveae albedinis et saporis dulcissimi ex Plumbo per Aceti vapores corroso ejusque Acido aereo impraegnato nata, plerumque addito amylo in formam redacta, vocatur *Cerussa in Laminis seu Schifera alba.* Cerussa vero *in Conis* charta coerulea emporetica obvolutis advecta creberrime Creta alba adulterata communiter *Cerusssa veneta* dicitur, et ideo ex Pharmacopoliis exulanda. Eligatur *Cerussa in Laminis* ponderosior et albidior. Quae gravitatis minoris et coloris impuri vel subflavi, contaminatione cum Creta vel Talco vel Bolo alba suspecta est; de qua ad se certiorem faciendum, Cerussa cum Oleo Lini in pastam redacta, crucibulo vel cochleari candenti immittitur, et Plumbum reducitur, ex remanenti massa irreducibili patet adulteratio. Comparatur ex Fabricis Angliae et Hollandiae. Nunc vero etiam in Germania sub directione celeb. GÖTTLING Cerussa alba purissima sub nomine *Cerussa nova* paratur, quae *Cerussam Anglicam* et omnes reliquas species bonitate et proprietatibus technicis ac pharmaceuticis superat. (vide *Taschenbuch für Scheidekünstler etc. auf das Jahr 1797. p. 207.*).

VIRES. Exsiccantes, adstringentes, refrigerantes.

USUS. Ad varia Emplastra et Unguenta. Sic EMPLASTRUM ALBUM COCTUM Ambustioni, ulceribus et erosionibus cutaneis medetur. UNGUENTUM ALBUM SIMPLEX locis excoriatis, ambustis, prurientibus proficuum. SACCHARUM SATURNI Aqua dilutum in ophthalmia et aliis tumoribus inflammatoriis prodest. SACCHARI SATURNI scrupulus unus in libra Aquae solvitur, sic instar Aquae vegeto-mineralis adhiberi potest.

PRAEPARATA.

EMPLASTRUM ALBUM, SEU EMPLASTURM ALBUM COCTUM.
SACCHARUM SATURNI.
UNGUENTUM ALBUM SIMPLEX.
} *vide praeparata P. II.*

N.

N. ph. l. V. ⊙ LITHARGYRIUM, seu LITHARGYRUS.

N. germ. *Silberglätte, Bleyglätte.*

N. syst. L. (Calx Plumbi semivitrificata.)

Partes usuales. *Idem.*

Lithargyrium est Plumbum semivitrificatum mediae inter Calcem et Vitrum indolis, ponderosum, squamosum, impurum, tenax, ad tactum pingue et dives floccorum vel bractearum nitentium albarum, flavarum vel rubellarum; Lithargyrium bracteis *flavis* vel in rubrum vergentibus (*Lithargyrium Auri* seu *Crysitis*, bracteis *albis Lithargyrium Argenti* seu *Spuma Argenti* vel *Agyritis*) vocatur. In depuratione atque excoctione Metallorum nobilium a Plumbo addito potissimum nascitur, ideo vix unquam a Cupri ex his Metallis extracti Calce liberum. Discrimen inter *Lithargyrium Auri* vel *Argenti* vix attentione dignum et solummodo ab ignis gradu exortum. Lithargyrium tamen semper examinandum, an Cuprum contentum sit, hinc cujus solutio in Spiritu Salis Ammoniaci caustico coerulescit, Cupro contaminatum est, et ideo rejiciendum.

VIRES. Exsiccantes, adstringentes.

USUS. Ad praeparationem EXTRACTI SATURNI, variorum *Emplastrorum* et UNGUENTI LITHARGYRII, quod etiam NUTRITUM vocatur, et in ambustione applicatur.

ACETUM LITHARGYRII DILUTUM et ACETUM LITHARGYRII CONCENTRATUM, seu EXTRACTUM SATURNI.

VIRES. In forma *pura* adstringentes: in forma *dilutissima* sunt antiphlogisticae, repellentes.

USUS. ACETUM LITHARGYRII DILUTUM et EXTRACTUM SATURNI adhuc magis in verrucis, et carne fungosa.

AQUA VEGETO - MINERALIS. (vide *praeparata extemporanea*) est egregium antiphlogisticum, quod in omnibus inflammationibus adhiberi solet, ut in ophthalmia, angina, panaritio, inflammatione mammarum, haemorrhoidum, testiculorum, vulvae, vulnerum, contusionum, fracturarum, luxationum etc. Efficacior adhuc haec Aqua deprehenditur, si cum Farina Seminum Lini in forma cataplasmatis applicetur, sic dolorem citius sedat et inflammationem vel facilius resolvit, aut in benignam suppurationem deducit.

EMPLASTRUM DIACHYLON SIMPLEX est Emplastrum emolliens, unde ad emolliendos tumores, qui in suppurationem abeunt, usitatissimum est.

EMPLASTRUM DIACHYLON COMPOSITUM est Emplastrum emolliens et simul maturans, ac rupti abscessus duritiem reliquam resolvit et emollit egregie, unde ad promovendam suppurationem adhiberi solet. UNGUENTUM LITHARGYRII et CERATUM SATURNI sola consistentia differunt et ad ambustiones, cutis excoriationes, scabiem et alia vitia cutanea laudantur.

UNGUENTUM MATRIS FUSCUM est bonum digestivum et leniter siccans, et ad vulnera et ulcera depuranda ac consolidanda adhibetur.

PRAEPARATA.

ACETUM LITHARGYRII DILUTUM. ACETUM LITHARGYRII CONCENTRATUM, SEU EXTRACTUM SATURNI. CERATUM SATURNI SEU BALSAMUS SATURNI. EMPLASTRUM DIACHYLON COMPOSITUM. EMPLASTRUM DIACHYLON SIMPLEX. UNGUENTUM LITHARGYRII, SEU UNGUENTUM NUTRITUM. UNGUENTUM MATRIS FUSCUM.	*vide praeparata P. II.*

N. ph. l.	V. MINIUM, seu MINIUM RUBRUM.
N. germ.	*Mennig, rother Mennig.*
N. syst. L.	(Minium rubrum.)
Partes usuales.	*Idem.*

Minium est Plumbum ad rubedinem calcinatum, seu Calx Plumbi laete rubra, diuturno, at leniori, quo non liquefit, igne ex Plumbo purissimo parata, fixo in igne habitu et facile in vitrum transitu haud aegre a Cinnabari discernenda. Pulvis est valde ponderosus ex squamulis minutissimis, subtilissimisque nitidis consistens, coloris vegete rubri sammetini, nonnihil in flavedinem vergentis, praecipue si teritur. Eligatur Minium subtilissimum, digito in charta alba tritum flavescens; recens quod trituratione cum Sale Ammoniaco odorem Salis Ammoniaci caustici spargit, et cum pinguedine mixtum in cochleari candente facile in Plumbum reducibile. Rejiciatur Bolo rubro, vel Colcothare Vitrioli vel pulvere Laterum adulteratum, reductione supra dicta et etiam coctione in Aceto ubi solum solvitur Minium et jam rubore depravato cognoscendum. Cum Ochra rubra vitiatum detegitur solutione in Aqua regis, quum solutio vitiati filtrata cum Tinctura Gallarum nigrescit et cum Lixivio sanguinis coerulescit. Paratur in Anglia et in Germania prope Norimbergam in officinis miniariis.

VIRES. Adstringentes, exsiccantes, cum Oleo plasticae.

USUS. Ad varia *Emplastra* et *Unguenta* adhibetur.

PRAEPARATUM.

EMPLASTRUM CONSOLIDANS SATURNINUM.) *vide praeparata P. II.*

§. III.

§. III. *SEMIMETALLA.*

N. ph. l. V. ⊙ ANTIMONIUM CRUDUM, seu STIBIUM HUNGARICUM.

N. germ. *Spiefsglanz, Spiefsglas aus Ungarn.*

N. syst. L. (Antimonium, seu Stibium sulphuratum vulgare.)

Partes usuales. *Idem.*

Antimonium, seu Stibium sulphuratum vulgare; LINN. *Syst. natur. III. p.* 301.

Est Semimetallum ponderosum, asperum, obscure plumbei coloris, insipidum et inodorum, destillatione per descensum ex Mineris suis elicitum, a particulis heterogeneis, ast non penitus, depuratum ac in formas pyramidales redactum, ex Regulo Antimonii et Sulphure constans. Puriori suo statu et metallici nitoris particeps a Sulphure liberatum, appellant tunc REGULUM ANTIMONII, seu ANTIMONIUM REGULINUM, pondere specifico reliquis, certe officinalibus, Metallis inferius, ut pondere Aquae specifico = 10000 posito = 67021 hoc est ut septies gravitate specifica superet Aquam, splendore satis constanti, colore proxime accedit ad Stannum, intus ex lamellis aut radiis conflatum; qui saepe radiorum Stellae ad instar divergunt, ignis vi satis leni gradum 779° vix excedente, si quidem scalam Thermom. Fahrenheitiani eo usque prolongare liceret, liquatur et excepto Auro et Platina reliqua Metalla secum abripit et volatile est; vasis clausis igne agitatum, quod plurimam partem spectat totum volatile et in vapores assurgit, in superiori frigidiori vasorum parte in crystallos aciculares argentei nitoris (vocant flores argentinos) abeuntes.

Aere liberius accedente tortum fumum album eructat, leniori at diutius efficaci in Calcem albam vertitur, et hanc, nisi nimis exusta sit, fortiori paulo igne vitri rutili formam nanciscentem, et vehementiori adhuc nebulae albae specie aufugientem: ab omnibus, etiam debilioribus Acidis corroditur potius quam vere dissolvitur, optime ab Aqua regis dicta, ut tamen ex hac quoque perinde ac ex aliis Acidis, sola Aqua largius affusa praecipitari iterum sedimenti albi specie possit, ceterum ejus, prouti reliquorum Acidorum mineralium acrimoniam, suo connubio mire exaltat, vegetabilibus e contrario, quibus solvitur, vim emeticam affricat, quam principem efficaciam alias atque alias formas indutum, aliis atque aliis corporibus junctum, nisi aut nimis igne exustum, aut Sulphuri Ceraeve involutum, in corpus humanum hoc Metallum exercet. At rarius puriori hac forma occurrit Antimonium, utplurimum Sulphuri junctum lapidibus innidulans, a quibus quum leni igne liquescat, in frusta avellanam nucem aequantia comminutum, et ollae foraminibus in fundo pertusae ingestum, quae alteri ollae ad dimidiam circiter ejus altitudinem immergitur, et tegmine agglutinato munitur, prunis ardentibus tum cingitur, tum contegitur, separatum, in placentarum formam excoquitur. Vocatur nunc vulgo *Antimonium crudum* frequentius in Gallia et quidem Provinciis Britania, Pictavia, et Alvernia, in Hungaria et Saxonia in naturae sinu obvium; forma pyrami-

 dali,

dali, qua venale vulgo prostat, nigrum, eoque colore manus tangentes inficiens, Metalli more, debilius tamen, nitens, fragile, ut facile conteri in pollinem tenerrimum possit, ex fibris fere parallelis quasi conflatum (spongiosa placentarum utplurimum superior pars Metalli sive Reguli minorem, Sulphuris tanto majorem copiam continet), ponderis specifici circiter = 40643, pondere Aquae = 10000 posito, igni expositum fumum primo Sulphuris integri, post cum flammula coerulea Sulphuris ardentis eructat, leniori jam fluit, et paulatim in Calcem cineream abit, quae denuo majorem paulo ignis potentiam experta in Vitrum ex rubro flavum sive hyacinthinum ponderis specifici circiter 49464 convertitur.

Eludit vim solventem Aquae, non perinde Acidorum, quae, potissimum Aqua regis, magna cum effervescentia illud adgreditur, et metallicam partem, quae tinctum illi flavum majoremque acrimoniam impertitur, a Sulphure involvente dirimit, quemadmodum lixivia alcalina Sulphur in se recipiunt, ejusque demum interventu longiori et fortiori actione portionem Metalli ipsius. Ratio Sulphuris ceterum non semper eadem est; 28 ejus partes 100 Antimonii inhaerere testatur illu. MÖNCH (*Systematische Lehre von den Arzneymitteln. Marb.* 1789. 8. *p.* 361.). Eligatur solidius et ponderosius, ductu transversali diffractum vix splendens et quasi tabulis refertum, juxta autem longitudinem, striis ex coeruleo griseis splendidissimis latis et longis partim parallelis partim se se decussantibus conspicuum. Partes de apice coni decussae meliores sunt basin constituentibus, hae enim sunt leviores, scoriosae, magis sulphuratae, minus regulinae. Rejiciatur leve, spongiosum. bullis refertum, et striis angustis et parvis prorsusque irregularibus notatum, ac quod pulverisatum in patella vitrificatoria sordes et aliorum Metallorum vestigia relinquit, bonum igne fortissimo in totum avolat. Interdum pro Antimonio accipimus Mineras quasdam plumbeas, quae vero diffractae speciem monstrant foliatam et non striatam, solvuntur etiam in Aqua forti, et non in Aqua regis, quum Antimonium genuinum in Aqua forti in pulverem album redigitur et in Aqua regia solvitur.

VIRES. Stimulantes, purificantes, solventes.

USUS. In scabie, variis cutis efflorescentiis, tumoribus rheumaticis, arthritide, scrophulis, ulceribus chronicis, rachitide et spina ventosa, in lue venerea inveterata.

DOSIS. A granis quinque ad drachmam semis bis de die. Miscetur cum Magnesia alba, Sulphure, Mercurio vivo et dulci, Aromatibus, aut Saccharo. Cavendum in usu Antimonii crudi ab Acidis, purgandae primae viae et semper in substantia forma pulveris, aut trochiscorum aut rotularum forma exhibendum.

TARTARUS EMETICUS.

VIRES. Emeticae; minori dosi stimulantes, alterantes, solventes, resolventes et antispasmodicae.

USUS. Tartarus emeticus magis stimulans, celerius vires suas exserens, mucum solvens, sed magis debilitans, si alvum magis movet, quam Radix Ipecacuanhae. Ubi vomitus illico movendus, praefertur Tartarus emeticus.

ticus. Adhibetur praecipue ad saburram ex primis viis evacuandam, in catarrho suffocativo, in hydrope, in sopore post vulnera capitis et in amaurosi, in tussi convulsiva, in mania et in genere in omni casu ubi Ipecacuanha adhibetur. Etiam forma Enematis in constipationibus pertinacibus absente inflammatione. Antequam emeticum propinatur ad saburram evacuandam, praecipue in febribus biliosis, putridis et intermittentibus, dysenteria, diarrhoea, aut saburra in primis viis, semper necesse erit, ut antea medicamenta incidentia et solventia seu digestiva exhibeantur; ut Salia media, aut Cremor Tartari; nisi post assumtum venenum aut in catarrho suffocativo subitaneus vomitus necessarius sit.

DOSIS. Forma pulveris scopo vomitorio TARTARUS EMETICUS FORTIOR (vide *praeparata officinalia P. II.*) propinatur, ita, ut parca modo potus copia deglutito pulveri superingeratur, hinc *Tartarum emeticum siccum* quidam nominant, quia etiam in Aqua destillata cujuscunque praeparationis nunquam solutus manet, sed mora fundum petit. Dosin et modum exhibendi (vide *inter praeparata officinalia* TARTARUM EMETICUM FORTIOREM.); scopo solvente, antispasmodico TARTARUS EMETICUS MITIOR exhibetur ad $\frac{1}{8}$ aut $\frac{1}{4}$ grani in pulvere cum Saccharo aut forma liquida (vide *inter praeparata officinalia* TARTARUM EMETICUM MITIOREM.).

PULVIS ALGAROTTI ad praeparandum *Tartarum emeticum* adhibetur.

VINUM ANTIMONIATUM. Ejus usum et dosin (vide *inter praeparata officinalia P. II.*).

SULPHUR ANTIMONII AURATUM.

VIRES. Plus quam tria grana emesin excitant, saepe etiam minori dosi hoc fit; praeterea stimulantes, solventes, calefacientes.

USUS In hydrope, tussi suffocativa, morbis pectoris pituitosis exanthematibus cutaneis chronicis, scabie, in variis vitiis venereis, obstructione glandularum mesenterii, scrophulis, rheumatismo, arthritide et podagra.

DOSIS. Infantibus ad duos annos dimidium granum; ad sex annos grana duo; adultioribus ad grana tria. Diminüitur haec dosis si emesis sequitus, aut augetur stimulo non sufficiente e. g. in hydrope ad grana sex et plura saepe sensim augetur. Miscetur cum Saccharo, Mercurialibus, Gummi Ammoniaco, Gummi Guajaco, Extracto Cicutae, Camphora, aut Asa foetida. Ventriculo jejuno non propinandum.

KERMÉS MINERALE. Adhibetur in iisdem morbis ut SULPHUR ANTIMONII AURATUM nisi, quod, ob plures partes Regulinas Antimonii minori dosi propinandus sit.

HEPAR ANTIMONII ad alia praeparata adhibetur.

BUTYRUM ANTIMONII.

VIRES. Causticae.

USUS. Ad delendos callos ulcerum, ad staphyloma corneae dissipandum ope penicilli corneae quotidie illinitur, et statim iterum injectione lactis tepidi abluitur. In genere ob metuendam inflammationem securiora caustica

stica utuntur. Praecipue ad parandum PULVEREM ALGAROTTI et inde obtinendum *Tartarum emeticum* juxta cel. BERGMANN adhibetur.

PRAEPARATA.

ANTIMONIUM CRUDUM ALCOHOLISATUM, SEU PRAEPARATUM.	
ANTIMONII BUTYRUM.	
ANTIMONII HEPAR.	
KERMES MINERALE.	
PULVIS ALGAROTTI.	*vide praeparata P. II.*
ROTULAE ANTIMONIALES.	
SULPHUR ANTIMONII AURATUM.	
TARTARUS EMETICUS COMMUNIS FORTIOR.	
TARTARUS EMETICUS MITIOR.	
VINUM ANTIMONIATUM.	

N. ph. l. V. MAGNESIA NIGRA, seu VITRIARIORUM, seu SIDEREA.

N. germ. *Braunstein, schwarzer Braunstein.*

N. syst. L. (Magnesia nigra, seu vulgaris.)

Partes usuales. *Eadem.*

Magnesia nigra, seu vulgaris; LINN. *Syst. natu. III. p. 296.*

Est Calx nativa Semimetalli Magnesia dicti, compagis acuformis vel radiosi, satis ponderosa, fragilis, nitens, fibrosae texturae, alba vel rubra, utplurimum atra vel nigra et manus inquinans; si haec Calx multum phlogisti, seu quantum capere potest, continet, est albi coloris et Acido Aereo juncta, minori copia phlogisti alios colores induit, praecipue rubrum, et si fere nihil de phlogisto continet, semper atrum colorem habet et avide phlogiston attrabit. Colore et debili quodam nitore Antimonium aliquando mentiens, at tum quod difficillime fluat ignis violentiae exposita, tum quod nullum eructet naribus certe sensibilem vaporem, facile distinguenda. Magnesia nunquam forma nativa seu metallica, nisi Ferro nativo juncta sit, occurrit, sed semper forma Calcis Acido Aereo mineralisata invenitur coloris albi, rubri, utplurimum nigri coloris. Colore nigro proprie *Magnesia nigra*, seu *Vitriariorum* vocatur. Praeterea multae Minerae Ferri continent Magnesiam hanc et in Regno vegetabili in cineribus plurimorum vegetabilium, praecipue in cineribus Arborum inveniri celeb. SCHEELE demonstravit. Color coeruleus et viridis Cinerum clavellatorum calcinatorum etiam a Magnesia contenta et non a phlogisto alcalini Salis dependere videtur. Hinc celeb. BLUMENBACH putat Magnesiam praeter Ferrum et Aurum communissime et ubique per corpora naturalia esse dispersam.

In Acido Vitrioli vel Nitri phlogisticato et in Acido Citri in totum et sine colore, in Acido autem Salis rubro colore frigide solvitur vocatur

AC-

Acidum Salis dephlogisticatum quod omnibus vegetabilibus colores extrahit et haec dealbat et Cerussam in Minium mutat, quod tandem nigrum, ultimo flavum colorem acquirit. Igne fortissimo per se in vitrum fuscum funditur. Cum Nitri tribus partibus liquata, pulverem exhibet ex atro - viridem et Aquae fontanae, cui contusus ingeritur, primo eundem, tum violaceum, tandem rubrum colorem (vocant ideo *Chamaeleontem mineralem*) impertit, in fine Aqua iterum limpida fit et Magnesia forma pulveris colore proprio in fundo haeret; si Aquae antequam *Chamaeleon* injectum fuit, aliquot guttae Acidi instillantur, illico eodem momento, quo color viridis apparet, rubrum acquirit; si aliquid *Chamaeleontis* in vitrum Aqua destillata cocta repletum et obturatum infunditur color viridis diutius manet et sensim in coeruleum mutatur pulvisque luteus ad fundum praecipitatur. Hinc phlogiston forte unicum princeps fundamentum omnium colorum; hoc enim Magnesia demonstrat, nam defectu aut parca copia phlogisti juncta Magnesia colorem nigrum, majori copia phlogisti rubrum, dein coeruleum et maxima copia phlogisti quam instar Calcis recipere potest, album colorem habet. Si enim *Chamaeleonti* durante liquatione pulvis carbonum additur, mediante Aqua solutio excolor obtinetur. Cum Arena et Alcali quodam fixo colliquata Magnesia, si major ejus portio addatur, nigrum, si parciori manu adjiciatur, violaceum vitrum largitur. Magnesia haec sive alba, rubra vel nigra cum vitro Boracis mediante Tubo ferruminatorio fusa huic vitro colorem granatinum largitur. Constat Magnesia ex Calce nativa Acido Aereo mineralisata, Calce Ferri, Terra silicea, calcarea et ponderosa, multo Aere fixo seu Acido Aereo et Aere dephlogisticato seu vitali purissimo. Vasis clausis destillatione transit magna quantitas Acidi Aerei et Aeris vitalis seu dephlogisticati et parum Aquae, manet in retorta materia ex albo grisea, quae sine addito phlogisto Acidis solvitur et calide chartae infusa inflammatur et nigra fit. Celeb. GAHN primo in formam semimetallicam regulinam hanc Magnesiam reduxit, dein celeb. BERGMANN et SCHEELE exactius hanc examinarunt.

Regulus hic Magnesiae obtinetur si Calx nativa seu Minera Magnesiaca cum Pice miscetur, ambo in globum rediguntur, in crucibulo cujus fundus et latera pulvere carbonum obducta erant, et spatium vacuum eodem pulvere repletur, alio crucibulo inverso superimposito luto firmatis et calore vehementissimo per horam et ultra durantem liquatur. *Regulus* Magnesiae obtentus est coloris ex albo cinerei, fractura splendet et nitet, superficie gaudet inaequali, quod dependet á vi refractaria in igne. Duritiem majorem Ferro possidet, fragilis praeterea, ejus gravitas specifica se habet ut 6,850. Aere praecipue humido brevi splendorem perdit et concidit in pulverem ex nigro fuscum veram Calcem, ponderosam magis Regulo. Forma pulveris semper a Magnete attrahitur, majora frusta vero non. In omnibus Acidis, praecipue vero Acido Nitri sine colore solvitur. Calcinatione *Regulus* in Calcem nigram mutatur, quae igne forti in Vitrum flavo brunum aut rubrum mutatur. Adhibetur *Magnesia nigra*, *seu vitriariorum* in arte vitriaria ad vitra alba et pellucida sine colore paranda phlogisto enim avidissima. Cum Acido Salis dephlogisticato et Alcali caustico paratur Sal medium, cujus $5\frac{1}{4}$ partes, cum 1 parte Sulphuris, et $1\frac{1}{4}$ parte pulveris Carbonum efficacissimum huc usque notum pulverem pyrium producit juxta

MOR-

MORVEAU in CRELL'S *Annalen* (90, 154), qui in machina pro criterio pulveris pyrei 48 gradus indicat, ubi communis pulvis pyreus solummodo 24 gradus indicat. In supellectili medica vero, eo quod igne vehementiori in vasis ejusmodi laboribus accomodatis torta, largam Aeris vitalis penum subministrat (vide celeb. HERMBSTAEDT *chem. Annal.* 1786. *I. p.* 316, et 1787, *I. p.* 296. *sqq.*), potissimum vero nunc ad Acida a phlogisto orbanda, seu dephlogisticanda. Comparatur ex Thuringia, Hercynia et Saxonia.

USUS. Ad praeparandum SPIRITUM NITRI DULCEM adhibetur; locum quoque meretur in suppellectili medica, eo quod igne vehementiori in vasis ejusmodi laboribus accomodatis torta, largam Aeris vitalis penum subministrat, de cujus viribus salutaribus alio tempore sermo erit.

N. ph. l.	V. ZINCUM ORIENTALE.
N. germ.	*Orientalischer Zink, Spiauter, Konterfait.*
N. syst. L.	(Zincum.)
Partes usuales.	*Semimetallum idem, et Productum Minerae ejus Vitriolum album, seu Vitriolum Zinci.*

Zincum; LINN. *Syst. natu. III. p.* 304.

Est Semimetallum lamellosum, diffractum ex tessularum fissilium segmentis vel ex pyramidibus planis aggregatum. semitractabile et maxime malleabile inter Semimetalla, gravitas specifica est a 7,215, ad 71908. Ex coerulescente argenteum nitoris constantis, in India, Anglia atque Hercynia, potissimum ex Pseudogalena Minerisque aliorum Metallorum forma Calcis eam continentibus eliquatum, tenax, ut difficillime et non nisi certis adhibitis artificiis contundi in pulverem possit, malleo tamen tentatum rimas agat; Acidis facile et ipso Salis Ammoniaci Spiritu solvitur, in Aceto Narcissorum odore, cum Acido Vitrioli Vitriolum album constituit; reliqua Metalla omnia accedente Aere ex solutionibus Acidis praecipitat. Ex illis vero ipsum per Salia lixiviosa, Terras, Gallas et Lixivium sanguinis purum colore albo praecipitatur; Acidorum acrimoniam mirifice mitigat. Limaturam ejus limae ferreae factam Magnes attrahit. Ante ignitionem facile liquatur et in igne forti in flammam elegantem pallide virentem exardescit, fumoque albo nonnihil alliaceo flagrat. Sensim Aere libero in Calcem albam comburitur, et floccorum niveorum instar in Atmosphaeram ascendit et sublimatur, vocantur FLORES ZINCI; sic integrum Zincum in Flores seu Calcem converti potest et flores quarta parte Zincum pondere superant. Summopere fixi, calcinati calidi flavi fiunt, et post refrigerationem iterum albi sunt, vix in vitrum convertendi, et, quando cum aliis in vitrum abeuntibus materiis funduntur, nullam iis colorem impertiunt; odoris et saporis expertes, Aqua quidem nequaquam, facile tamen Acidis solvuntur, sed non effervescunt recentes parati et vasis clausis servati, Aeri vero expositi.

Ex Zinco Indico solummodo albi FLORES obtinentur. Igne quovis violento exagitati neutiquam in vapores abeunt, cum carbonum pulvere exactis-

actissime misti atque in vasis sollicite clausis igni expositi, in Zincum vere semimetallicum redeunt ex quo prodierant. Cuprum, cum quo carbonum pulveri intertrita alternis stratis igne torquetur, flavo colore tingit et hac cementatione oritur *Aurichalcum;* fusione vero si cum Cupro unitur Zincum, oritur *Metallum Principis Roberti*, *Tombac* seu *Aurum sophisticum* dictum. Coit cum omnibus Metallis excepto Wismutho et Niccolo et haec fragilia reddit. Neque solutum neque alia forma Zincum homini nocivum. Forma metallica medicis non usitatum. Rejiciatur Zincum Goslariense nullos largiens Flores albos sed gilvos ob Plumbum admixtum, ex eo cognoscendum, quod minime ex tessulis vel pyramidibus planis sed potius ex fibris aggregatum est. Plura de hoc Semimetallo vide apud G. FR. CHRN. FUCHS (*Geschichte des Zinks in Absicht seines Verhaltens gegen andere Körper etc. Erfurt.* 1788. 8.). VITRIOLUM ALBUM, *weisser Vitriol*, *Galizenstein*, est Sal metallicum ex Zinco et Acido Vitrioli consistens. Vendibile adhuc aliis metallicis partibus inquinatum apud Goslarienses ex Mineris Zinci Ramelsburgensibus elixatione paratur, et divenditur in massis albis ponderosis compactis, metae Saccharinae similibus, saporis valde constringentis aciduli. Vitriolum album in Aquae tripla quantitate solvitur et exinde abit in crystallos columnares quadrilateras, in Spiritu Vini minime solvitur, in Aere farinescit, in igne liquescit, intumescit et in massam denique coit compactam. Ex solutione aquosa per Salia alcalina fixa praecipitatur Zincum albo colore et in statu calcinato. Quum aliis Metallis inprimis Ferro et Cupro inquinatum sit Vitriolum album Goslariense, pro usu medico *depuratione* indiget *Part. II. praescripta.*

FLORES ZINCI.

VIRES. *Interne* Acidum infringentes et absorbentes, ut aliae terreae et metallicae materiae; probabile tamen videtur, illo cum Acido digestionem turbante connubio Salem Vitriolo albo analogum generari, qui, prouti jam subolfecit HIRSCHELIUS, clarius pronunciavit clar. HAHNEMANN, largiori dosi deglutitus, nauseam et vomitum, quem plures Medici FLORUM ZINCI usum justo liberaliorem insequi experti sunt, minori autem pondere exhibitus, more aliorum emeticorum sudorem movet, spasmos et nervorum turbas sedat, ea Florum parte, quae haud dissoluta Acido restat, roborantem potius in canalem intestinalem virtutem exserente. *Externe* exsiccantes.

USUS. Celeb. GAUBIUS primus hoc medicamentum publicavit. Plures expertissimi viri instituebant Experimenta fausto cum eventu in variis morbis convulsivis; verum recentiores haec Experimenta repetebant contrario et saepe infausto eventu, solummodo in lumbricis efficaciam experti sunt; hinc cum certiora et securiora, unde non facile tam funesta symptomata oriuntur, nota, et experientia confirmata sint, his Floribus pro usu *interno* penitus carere possumus. *Externe* in ophthalmia et lippitudine scrupulus unus Florum in Aquae Rosarum uncia una diluitur pro Collyrio, demum in ulceribus, in vulneribus sclopetariis, in intertrigine, in excoriationibus et fissuris papillarum inspergitur.

VITRIOLUM ALBUM DEPURATUM.

VIRES. Adstringentes, exsiccantes, roborantes, errhinae, majori dosi emeticae, et juxta cel. MÖNCH si ab omni cuprea labe depuratum sit, vomitum nunquam excitat.

USUS. *Interne* celeb. WIEL (de *usu interno Nucis vomicae et Vitrioli albi in pertinacibus morbis curandis conspicuo. Vitebergae* 1775.) impense commendat in febre putrida, majori dosi in bubonibus inveteratis jam carcinomatosis; JOHNSON in epilepsia, in asthmate spasmodico, cordis palpitatione, et aliis morbis spasticis; in diabete et fluore albo LEVISON, in ulceribus scorbuticis et venereis, et cel. CRELL in colica saturnina, in rheumatismo, arthritide, et intermittentibus fausto successu adhibuerunt. *Externe* si Vitrioli albi depurati granum unum in Aquae Rosarum aut Sambuci uncia una solvitur praestantissimum est ophthalmicum in ophthalmiis et obscurationibus corneae, in hypopio et ulceribus corneae; in ulceribus scorbuticis, in ulceribus venereis, praesertim faucium, in exulceratione papillarum; globulus e Vitriolo denti carioso inditus odontalgiam sedat. Solutio Vitrioli albi ex drachma semis hujus in Aquae Rosarum unciis sex facta, et Mellis Rosarum uncia una, in aphthis oris et angina serosa pro oris elutione adhibita est egregium remedium; in scabie et aliis morbis cutaneis convenit; virtute constringente et exsiccante quoque convenit in cruoris fluxibus, vaginae et uteri prolapsu.

DOSIS. In morbis spasticis more aliorum emeticorum hoc quoque Vitriolum exiguo pondere propinatum spasmos egregie sedat; hinc a grano dimidio ad tria grana, per se, aut cum Opio sensim ad grana quinque et ultra ascendendo. In diabete, fluore albo, in diarrhoeis et dysenteriis pertinacibus, colica saturnina, febribus intermittentibus, rheumatismo et arthritide adeo haereditaria, aphthis, in inveteratis ulceribus scorbuticis, venereis, herpetibus continuato usu dosi ascendendo, vis Vitrioli albi constringens et roborans multum facere videtur, et in his morbis majori dosi a granis duobus ad scrupulum unum vel in pulvere vel in pilulis cum Extractis amaricantibus aut Aromatibus, Rheo aut Floribus Chamomillae aut Magnesia alba vel etiam Aqua solutum forma Mixturae exhibetur. Leniter irritante et mucum incidente vi, quam extrinsecus admotum quoque exserit, non aliis tantum errhinis additum eorum potentiam auget sed meraca communi Aqua aut destillata Majoranae aut Rosarum solutum et sive naribus attractum, sive illitum, sive linteoli eo imbuti ope intrusum pituitam nares, praecipue infantum, catarrho laborantium, interdum obturantem, et ipsum pus, in sinu frontali haerens egregie incidit atque evacuat, et tum spirandi sugendique difficultatem, tum capitis dolores inde natos tollit.

PRAEPARATA.

FLORES ZINCI. } *vide praeparata P. II.*
VITRIOLUM ALBUM DEPURATUM. }

SEC-

SECTIO IV.

SALIA NATIVA ET ARTEFACTA, QUAE A PHARMACOPOEIS IPSIS NON PRAEPARANTUR, SED SOLUMMODO DEPURANTUR ET AD VARIA PRAEPARATA ADHIBENTUR.

Salia; LINN. *Syst. natur. p.* 259.

Salia sunt corpora mineralia Aqua per se solubilia, soluta organis gustus sanis saporem imprimentia, sapore, singula sibi proprio, linguam feriendo, solutione quoque, si non sola, commercio saltem alterius in solida corpora angulosa et multilatera, si ea Aquae copia, quae ad solutionem requirebatur, evaporatione minuatur, coeuntia, quod *crystallisari* significat, denuoque nova solutione formam hanc amissura; igne vel fusilia, si non altum petunt et volatilia sunt, per se non inflammanda, sine flamma tamen fumantia, cunctis his proprietatibus etiam aliis communicatis.

Propter suam in aquosis corporis animalis humoribus solubilitatem plurima facilius operantur, quam corpora alterius Classis, facilius efficaciam, quam exserunt ingesta, ultra systema primarum viarum extendunt, sanguinem ipsum succosque reliquos subeunt, in viscera remotiora et secretionis excretionisque instrumenta nunc haec nunc illa agunt. Fibras, quas contingunt, tum nerveam, tum contractilem, vellicant. Plurima putredini potenter resistunt; multa, quacunque via et ratione applicata, refrigerant, pauciora nimium stimulando potius excalefaciunt: Alia humores condensant et coagulant, alia potius attenuant, et pituitam inprimis incidunt: Alia alvi, alia urinae excretionem juvant atque augent, ut tamen determinata haec in excretiones efficacia perinde a dosi, modo adhibendi, consortio, regimine et conditione aegroti atque ipsius morbi pendeat, ac a Salis ipsius indole. Dispescuntur Salia in Salia *simplicia* et *composita*.

§. I. *SALIA SIMPLICIA.*

I. Acida.

Omnia cum Salibus alcalinis in Salia neutra coeunt et solvendi Terras plures et Metalla vel eorum Calces facultate gaudent, sive humida, sive sicca via eam exerceant: Plurima Aerem fixum ex corporibus eo foetis cum effervescentia expellunt, plurimos coeruleos colores vegetabiles in rufos commutant, et, modo Aqua satis temperata fuerint, acido sapore dignoscuntur. Nonnullis, Aqua, quantum fieri potest, orbatis, acrimonia corrodens, et vivam, quamcunque contigerit, corporis animalis partem extemplo enecans; iisdem Aqua dilutis aeque ac aliis vis putredinem potentissime arcens, refrigerans, fibram contractilem constringens, humores

 inspis-

inspissans et coagulans, urinam movens, rarius stimulans, sudorem excitans.

1mo mineralia.

N. ph. l. V. ☉ OLEUM VITRIOLI VULGARE FUSCUM FUMANS, seu NORDHUSIANUM.

N. germ. *Vitriolöhl, gemeines Vitriolöhl, braunes, rauchendes, Nordhäuser, Schwefel-Säure, Vitriol-Säure.*

Oleum Vitrioli vulgare fuscum est Acidum minerale fortius, fluidum, consistentiae oleosae, (ob spissitudinem enim suam incongruo *Olei* nomine insignitum, sive quod hodie ex Sulphure potissimum elicitur, *Sulphuris Acidum*, ea forma, qua medicatis inservit usibus, *Spiritus Vitrioli* vel *Sulphuris*, olim, quoniam sub campanis ardentis Sulphuris vapor in guttas condensatus colligebatur, *Spiritus Sulphuris per Campanam*, aut, quia nonnulli similem Spiritum ex Alumine quondam parabant, *Spiritus Aluminis* dictum; est ponderosissimum, saporis etiam Aqua multum dilutum acidi styptici, quandoque *excolor*, *vulgare* vero *fuscum* et *fumans* est, odoris sulphurei, quandoque, si valde forte, gradu frigoris 40mo Thermo. Fahren. in massam acicularem congelatur, et supernatat liquido remanenti; calore consueto Atmosphaerae gradu 60 iterum liquidum fit. Hoc Acidum congelatum ab *Oleo Vitrioli glaciali vero*, subinde pro hoc vendibile, discernendum, communiter *Oleum Vitrioli Glaciale* vocatur, non est autem *verum Oleum Vitrioli Glaciale concentratissimum* de quo mox dicendum. Hoc *vulgare Oleum Glaciale* fumat et est valde volatile, quod a principio caloris volatili contento dependere videtur; nam Acidum Vitrioli non fumans injecta Calce usta fumans redditur, et destillatione leni forma sicca stellatis nitidis filamentis (*Sal Vitrioli volatile*) in excipulum transit, et remanens *Oleum Vitrioli album* est, non amplius fumat, nec frigore congelatur. Hoc *Oleum Vitrioli vulgare fuscum fumans* coctione, melius vero destillatione colorem ex materia combustibili contractum iterum exuit, alias Plumbi Calce, alias Selenite, variisque aliis Salibus inquinatum est, quae omnia destillatione in vasis retortis vitreis exilibus et detegi et segregari accuratissime possunt.

Oleum Vitrioli si *purissimum valde concentratum* et ab Aqua liberatum, coloris et odoris nullius est. *Concentratissimum* et *optimum* vero nec fumans nec fluidum est, sed niveae consistentiae quod ultimo igne fortissimo ex Vitriolo viridi in destillatione transiens condensatur et separatim collectum, ponderosissimum, communiter gravitate specifica gaudet ut 2,000 et 80 gradu Therm. Fahrenheitiani consistentiam suam niveam servat; semper fundum vasis petit, reliquum liquidum in superna vitri parte natat; vocatur *Oleum Vitrioli Glaciale verum. Oleum Vitrioli purum concentratum*, excolor, fluidum, facile a quolibet corpore inflammabili colorem accipit flavum, brunum, rufum, et nigrum, odoremque sulphureum. Oleum Vitrioli Aquae frigidae, Spiritui Vini et aliis similibus

bus fluidis instillatum excitat multum sibili et caloris; vegetabiles et animales substantias mox destruit et in carbonem mutat; maxima conspicuum est affinitate cum Terra ponderosa, eaque ex aliis conjunctionibus separari potest. Olea unguinosa et essentialia nigra et solidiora reddit, prunis ardentibus instillatum Sulphuris ardentis, flammam et fumum monstrat. Alia Acida salinis corporibus et terreis inhaerentia cum fumo expellit, Sali communi vel Sali Ammoniaco instillatum, effervescentiam et crassum, album, suffocativum foetorem gignit. Aeri expositum Oleum Vitrioli Aquam avidissime imbibit et exinde volumine et pondere aucto debilitatur; solutionem Cretae in alio Acido, Argenti et Mercurii in Aqua forti, et Plumbi vel in Aceto vel in Aqua soluti Acidum vitriolicum turbidum vel lacteum reddit cum sedimento albo. Ex Oleo Calcis, quod vocant, aeque ac ex solutione Terrae ponderosae in Acido Salis facta limpidissimis, statim sedimentum niveum praecipitat.

Oleum Vitrioli sive *Nordhusae* sive *Altonaviae*, *Casselis* aut aliis locis paratum communiter *Oleum Vitrioli Nordhusianum* dicitur, quod ex Vitriolo viridi expulsum. Hoc coloris est saturate bruni vel nigri, odoris sulphurei et accedente Aere fumat, *Oleum* ergo *Vitrioli fumans* dicitur. Oleum Vitrioli autem praecipue in *Anglia*, *Gallia*, *Hollandia*, *Helvetia* et passim etiam in *Germania* paratum communiter *Oleum Vitrioli Anglicum* dicitur, quod ex Sulphure paratum fuit, et hoc communiter *Nordhusiano* debilius est et minime fumans, praeterea saepissime plumbeo sedimento et aliis reliquiis salinis vitiatum deprehenditur. Eligatur ex Vitriolo viridi eductum seu *Nordhusianum* communiter *Oleum Vitrioli fumans* vocatum, ponderosius, ita ut vitrum cujus cavitas sedecim uncias Aquae destillatae communis capit, saltem novem et viginti uncias dicti Olei recipere possit, maxime cum Aqua incalescens, in frigore modico jam crystallos largiens spiculatos, et linteum immissum protinus corrodens. Ut *Oleum Vitrioli Anglicum* Plumbo, sic *Nordhusianum* saepe Ferro et Cupro inquinatum est. Si Acidum Vitriolicum cum Aqua destillata diluitur et cum Alcali vegetabili fixo saturatur, Ferrum, Cuprum et Plumbum quocum contaminatum erat, praecipitatur; praecipitato edulcorato et exsiccato, si affusus Spiritus Salis Ammoniaci caustici coerulescit Cupro contaminatum est Acidum Vitrioli; si item praecipitatum in Acido Salis solutum cum Aqua Aeris hepatici nigrescit, Plumbo, ac cum fluido quod praecipitato supernatat, si Tinctura Gallarum nigrescit et Ferro inquinatum est *Oleum Vitrioli*. *Omne Oleum Vitrioli* servetur in lagenis vitreis, epistomio vitreo, et vesica optime clausis.

OLEUM VITRIOLI RECTIFICATUM ALBUM. Per se *interne* non utitur, sed ad praeparandum SPIRITUM VITRIOLI VULGAREM adhibetur.

SPIRITUS VITRIOLI VULGARIS. In omnibus febribus biliosis, putridis, inflammatoriis, in febribus exanthematicis, variolis, haemophthysi, in aphthis oris, cancro aquatico oris, in gangraena, ulceribus putridis, in scabie, in angina gangraenosa, *externe* in haemorrhagiis. Vi putredini resistendi gaudet ita, ut Aquae putridae uncias quatuor mistas cum pulvere carbonum drachma una et Acidi Vitrioli fortioris guttis duabus, Aquam

Aquam hanc penitus corruptam recentissimae simillimam reddiderit cel. LOWIZ.

DOSIS. Pars una Spiritus Vitrioli diluti cum quatuor partibus Syrupi miscetur, aut in Decocto exhibetur drachma una ad libram Aquae cum uncia una Syrupi.

SPIRITUS VITRIOLI PHLOGISTICATUS, seu SPIRITUS SULPHURIS VOLATILIS, seu PER CAMPANAM. Differt a SPIRITU VITRIOLI VULGARI, ratione odoris sulphurei et volatilitatis, quae a phlogisto admixto dependent, et ideo etiam longe debilior est, quam SPIRITUS VITRIOLI VULGARIS, hinc in febribus acutis, aut ubi SPIRITUS VITRIOLI VULGARIS indicatur, hic copiosius et majori emolumento exhiberi potest.

SPIRITUS VITRIOLI DULCIS, seu LIQUOR ANODYNUS MINERALIS HOFFMANNI DESTILLATIONE PARATUS.

SPIRITUS VITRIOLI DULCIS, seu LIQUOR ANODYNUS MINERALIS HOFFMANNI SOLA MISCELA PARATUS. Ab illo destillatione parato solum minori pretio et gratia differt.

NAPHTHA VITRIOLI SPIRITUOSA, seu AETHER VITRIOLI SPIRITUOSUS.

VIRES. Omnes hi *tres* Spiritus acido-dulcificati vires antispasmodicas, sedativas nervinas, analepticas, roborantes, stomachicas, carminativas, antisepticas et diaphoreticas gradu vario possident. *Naphtha* frigoris sensum, cuti si instillatur, imprimit. Summa volatilitate egregios in moderando fluidi nervei motu effectus praestat et vires dictas majori gradu possidet, vasa enim facilius subit et per subitilissimos eorum ramos permeat, hinc in multis morbis, quibus roborantia in intima viscerum penetralia deducta conducunt, adhiberi poterit.

USUS. In paroxysmis hystericarum, colcia flatulenta, paralysi linguae, in cephalalgia spasmodica et asthmate spasmodico, Aquae submersis, vapore carbonum suffocatis tanquam excitans, analepticum et stimulans remedium inservit. Praeterea NAPHTHAM VITRIOLI celeb. DURANDE (vide *Nouveaux Memoires de l'Academie de Dijon* 1782. *Premier semestre. pag.* 199.) cum Oleo Terebinthinae mixtam tanquam optimum solvens in concrementis biliariis publicavit, quam miscelam dein plures expertissimi Practici tanquam celebratissimum nostris diebus remedium solvens in his concrementis multis Experimentis noviter confirmarunt. Post diuturniorem scilicet medicamentorum emollientium, resolventium et aperientium usum Liquoris e tribus partibus Naphthae Vitrioli et Olei Terebinthinae rectificati partibus duabus mixti, scrupulos duos vel drachmam quotidie DURANDE aegris propinat; (aegrotis, qui eam nimis fastidiunt miscelam, addi quoque possunt aliquot guttae Olei cujusdam gratioris); quo remedio sumto Serum lactis, vel jusculum, e carne vitulina atque Cichoreo et Violarum Syrupo paratum, superbibere suadet; hoc remedio pergendo usque ad libram. Cessantibus tunc doloribus, liberatisque a concrementis bilis viis, lenia purgantia ad istorum concrementorum fragmenta evehenda adhibet. Hoc remedio adeo concrementa biliaria solvi vidit, ut ad instar materiei piceae et flavae per alvum excerne-

nerentur. Saepius autem illud remedium nauseam; facile tamen compescendam, vel ructus per quinque vel duodecim horas excitat; hinc caute adhibendum, inflammatio praecavenda et dolores mitigandi. Antequam autem istud remedium datur, omnis inflammatio Hepatis tollenda. Recurrente morbo emollientia, venaesectio, purgantia mitiora et remedium DURANDEI dosi parva adhibendum, cui Vitellus Ovi Aethere solutus subinde substituendus. Motu denique debito corporis biliare averti persuasum habet celeb. SOEMMERRING (*de concrementis biliariis corporis humani. Trajecti ad Moenum* 1795. 8.).

DOSIS. A guttis viginti ad quadraginta, imo suffocatis ad drachmam unam, etiam simili dosi asthmaticis exhibetur *Naphtha* ac optime Saccharo instillata, etiam Mixturis additur.

NAPHTHA VITRIOLI AQUOSA, seu AETHER VITRIOLI AQUOSUS eo magis Medicorum attentionem meretur, quoniam ob Spiritus Vini absentiam minus calefacit, viresque tamen egregias exserit LIQUORI ANODYNO DESTILLATO vix inferiores.

ELIXIR ACIDUM laudatur a ZIMMERMANNO in epilepsia, chorea Sancti Viti, haemophthysi, fluxu mensium nimio, febribus biliosis, putridis, variolis, morbillis, et morbis nervorum, in scabie, et aliis morbis cutaneis, in arthritide cum magna inflammatione, scorbuto putrido, in pure et sanie ex ulceribus potissimum ossium resorpta.

DOSIS. A guttis decem ad viginti cum Aqua. Quorum ventriculus non fert Elixir hoc Acidum simplex praecipue in morbis nervorum aut hystericis et hypochondiacis ELIXIRIUM VITRIOLI AROMATICUM (vide *praeparata extemporanea P. II.*) utique roborandi, inprimis ventriculum, virtute, simpliciori praecellens adhiberi poterit.

PRAEPARATA.

- ELIXIRIUM ACIDUM.
- NAPHTHA VITRIOLI AQUOSA, SEU AETHER VITRIOLI AQUOSUS.
- NAPHTHA VITRIOLI SPIRITUOSA, SEU AETHER VITRIOLI SPIRITUOSUS.
- SPIRITUS VITRIOLI CONCENTRATUS, SEU OLEUM VITRIOLI CONCENTRATUM, SEU RECTIFICATUM ALBUM.
- SPIRITUS VITRIOLI DULCIS, SEU LIQUOR ANODYNUS MINERALIS HOFFMANNI DESTILLATIONE PARATUS.
- SPIRITUS VITRIOLI DULCIS, SEU LIQUOR ANODYNUS MINERALIS HOFFMANNI SOLA MISCELA PARATUS.
- SPIRITUS VITRIOLI PHLOGISTICATUS, SEU SPIRITUS SULPHURIS VOLATILIS, SEU PER CAMPANAM.
- SPIRITUS VITRIOLI VULGARIS, SEU ACIDUM VITRIOLI DILUTUM.

} *vide praeparata P. II.*

V. ⊙

2do *Vegetabilia.*

V. ⊙ ACETUM VINI VULGARE. vide inter *Fructus Uvas* et harum *Producta et Educta.*

V. ⊙ TARTARUS CRUDUS, et TARTARUS CRYSTALLISATUS, seu CREMOR TARTARI. vide inter *Fructus Uvas* et harum *Producta et Educta.*

3tio *Animalia.*

ACIDUM FORMICARUM. vide in Regno Animali *Formicas.*

V. ACIDUM PHOSPHORI. vide in Regno Animali Animalium mammalium partes, *Bovis Tauri.*

II. Alcalina.

Cum Salibus acidis in *Neutra* transeunt, cum Oleo et pinguedine in Saponum genus vulgare; Sulphur, Ceram, Resinas solvunt, ceterum dissolvendi corpora facultate Acidis longe inferiora, quaecunque his soluta sunt, exturbant, colorem coeruleum multorum vegetabilium in viridem, rubrum in violaceum, flavum in rufum convertunt; modo Aqua aut Aere fixo temperata satis fuerint, sapore sibi proprio, urinosum forte dixeris, linguam ferientia, ceterum utroque, quantum fieri potest orbata, igneam acrimoniam, quamcunque corporis vivi partem contigerint, exercentia.

1mo *Fixa vegetabilia.*

N. ph. l. V. ⊙ SAL ALCALINUS VEGETABILIS VULGARIS IMPURUS, seu CINERES CLAVELLATI.

N. germ. *Calcinirte Pottasche, Weidasche.*

Cineres Clavellati; sunt Sal alcali vegetabile fixum impurum ex incineratis lignis vel plantis elixatum, in ahenis ferreis vel cupreis ad siccitatem decoctum, ac in fornacibus peculiaribus calcinatum. Praesto est in massis magnis, levibus, foraminosis, angulosis, fragilibus, friabilibus, coloris grisei, ex griseo coerulescentis, sordide albicantis cum maculis coeruleis viridescentibus, saporis salini urentis, urinosi cum amaritie, qualitatibusque aliis Salium alcalium conspicuis. Minime purum est alcali, sed partibus heterogeneis inquinatum, subinde carbonibus, cineribus, terra

ra commixtum, communiter Sale medio cum Tartaro vitriolato conveniente contaminatum, interdum Sale communi, Calce et Arena adulteratum. Facillime Cineres clavellati humidum Aeris attrahunt et deliquescunt. Rejiciantur Cineres Russici in massis grandibus, duris, nigrescentis coloris et difficile humidum ex Aere attrahentibus. Eligantur maximam partem in Aquae frigidae aequali parte solubiles, ab Arena et Sale communi immunes, coloris grisei vel ex griseo coerulescentis, saporis ingrati, urentis. Adulteratio cum partibus terrestribus per colationem Terram in filtro relinquentem et cum Sale communi per decrepitationem in ignitione super Ferro candente detegitur; depravatio cum Arena ex sedimento gelatinoso quod solutio in Aqua fervida facta et filtrata addito Acido Vitrioli deponit, et ex sedimento albo cognoscitur quod Acetum praecipitat. Parantur in Hassia, crebro autem apud nos in Germania.

CINERES CLAVELLATI DEPURATI.

USUS. Ut SALIS TARTARI.

TARTARUS VITRIOLATUS, seu ARCANUM DUPLICATUM.

VIRES. Solventes, eccoproticae.

USUS. Ut TARTARI TARTARISATI.

DOSIS. Scopo solvente a scrupulo uno ad duos, scopo eccoprotico ab uncia semis ad drachmas sex. Miscetur cum Rheo, Jalappa, Cortice Peruviano, Radice Ipecacuanhae, Eleosaccharo.

LAPIS CAUSTICUS CHIRURGORUM.

VIRES. Causticae, escharoticae, partes animales solventes in tabum, vegetabilia intacta relinquentes.

USUS. In aperiendo abscessu, excrescentiis destruendis, bubonibus induratis, in hydrocele evacuanda, in carie, in polypo. Multa Aqua destillata dilutus solvit tumores podagricos, si lintea hac solutione madida imponantur; etiam pro injectione in gonorrhoea. Grana quatuor in uncia Aquae destillatae soluta in fistula lachrymali et aliis fistulis et ulceribus impuris difficulter consolidandis forma injectionis ad consolidandum. Contra morsum viperae, et in morsu canis rabidi ad praecavendam hydrophobiam. *Interne* cel. HOME ad guttas decem cum Lacte aut jure carnium dilutum in calculo renum et vesicae commendavit. In gonorrhoea, si stimulus nimius sit additur Opium.

LIXIVIUM CAUSTICUM VEGETABILE, seu SAPONARIORUM, seu MAGISTRALE. Est Sal alcali fixum vegetabile causticum *idem* Aqua solutum. Ut solutio Lapidis Caustici adhibetur et ad parandum Lapidem Causticum.

PRAEPARATA.

CINERES CLAVELLATI DEPURATI. LAPIS CAUSTICUS CHIRURGORUM. LIXIVIUM CAUSTICUM VEGETABILE, SEU SAPONARIORUM, SEU MAGISTRALE. TARTARUS VITRIOLATUS.	*vide praeparata P. II.*

V. SAL TARTARI, seu ALCALI VEGETABILE PURUM.

vide inter *Fructus Uvas* et harum *Producta et Educta.*

2do *Fixa Mineralia.*

N. ph. l. V. ⊙ SAL SODAE, seu SODA HUNGARICA CRYSTALLISATA, seu ALCALI MINERALE NATIVUM.

N. germ. *Sode, ungarische crystallisirte Sode, natürliches Mineral-Laugen-Salz.*

Soda vulgo *Alcali minerale impurum*, seu *Natrum veterum;* est Sal alcali minerale impurum, quod non solum in Regno minerali deprehenditur, sed potius maxima ejus pars, quae hodienum Medicis usu venit, ex Cineribus Plantarum quarundam maritimarum, sub Salsolae potissimum genere militantium, elicitur, et, satis quidem impurum, *Sodae* nomine vulgo venit, quamvis labore non tantopere difficili, et ex Sale mirabili, et majore adhuc cum fructu ex Sale communi aliis atque aliis modis (vide CRELL, WIEGLEB, MEYER, WESTRUMB, DRIESSEN, CURAUDAU.) obtineri possit; satis purum, Aere tamen fixo, virtuti ejus salutari non obstante, semper impraegnatum, nunc Aqua solutum, nunc siccum, natura nobis sistit in variis, Europae quoque, Terris liberiori praesertim manu in *Hungaria* (RÜCKERT *chem. Annal.* 1792. *Vol. I. p.* 365.), ut depurati a Terra comite Salis quotannis insigne pondus vili satis pretio veneat; vocatur *nativum*, alterum *artificiale.* Etiam in locis humidis ex muris hoc Sal efflorescit. *Soda venalis communis* ex incineratione Plantarum maritimarum potissimum elicita prostat in frustis variae magnitudinis, solidis, duris, ponderosis, sonoris, siccis, interne foraminulosis, coloris ex coeruleo grisei aut coerulei cum parvis maculis albis immixtis; attrahit humidum Aeris, est valde *impura*, et constat potissimum ex Sale alcalino minerali, praeterea continet immixtum alcali vegetabile, Hepar Sulphuris, Sal commune, Sal mirabile, Terram calcaream, Terram Magnesiam et Ferrum. Hujus *Sodae venalis communis* habentur plures species; optima est *Aegyptiaca* seu *Alexandrina*, dein *Hispanica*, seu *Alicantina*, dein *Carthaginensis* et plures adhuc viliores species. Omnes hae species Aqua solutae et solutio ad siccitatem evaporata, calcinatur, iterum Aqua solvitur et crystallisatur, ultima crystallisatione obtinetur *Sal Sodae depuratus.* In offi-

officinis vero loco *Sodae venalis communis* ob difficultatem depurationis *Soda hungarica crystallisata*, seu *Sal alkali minerale nativum* longe magis purum et vili satis pretio prostans adhibetur. Hoc exhibet crystallos vitreas, longe rhomboidales vel columnares, saporis alcalini, minus vero tam acris, quam in alcali vegetabili fixo; in Aere libero minime liquescentes, sed statim colorem album farinosum induentes et postea in pulverem fatiscentes niveum. Hoc Sal alcali minerale si purum, notas exhibet generaliores Salis alcali fixi; in dupla quantitate Aquae communis frigidae penitus solvitur, ex ejus solutione aquosa quodlibet Acidum nihil praecipitat terrei. Ejus solutio aquosa et cum Aceto Vini concentrato saturata ab admixtione Terrae ponderosae salitae minime turbatur, sin minus, Sale vitriolico contaminatum est alcali minerale, etiam ab instillata solutione Argenti in Spiritu Nitri facta nil praecipitatur, alioquin Sali muriatico vitiatum est; si vero ab instillata Salis essentialis Tartari solutione aquosa turbetur, Sale alcali vegetabili adulteratum est. *Soda* haec *hungarica nativa raffinata*, seu *crystallisata* ex Hungaria nobis adfertur.

SODA DEPURATA.

USUS. Ut SALIS TARTARI.

SAL ALCALI MINERALE CAUSTICUM SICCUM ad Saponem conficiendum adhibetur.

LIXIVIUM CAUSTICUM MINERALE. Est idem Sal Aqua solutum.

SODA TARTARISATA, seu SAL POLYCHRESTUM DE SEIGNETTE.

VIRES et USUS ut TARTARI TARTARISATI, solummodo debilius et mitius agit.

PULVIS AEROPHORUS.

VIRES. Possidet refrigerantes, antiemeticas et antisepticas; egregie utitur in phthysi pituitosa, ardore ventriculi, in febribus putridis et biliosis, in vomitu nimio, in pituita primarum viarum et a drachma semis ad grana quadraginta cum Aqua subito hauritur, et haec dosis omni secunda aut tertia hora reiteratur. Aquae Selteranae vices gerit, imo virtute superior est.

PRAEPARATA.

LIXIVIUM CAUSTICUM MINERALE.
SAL ALCALI MINERALE CAUSTICUM SICCUM.
SODA DEPURATA.
SODA TARTARISATA, SEU SAL POLYCHRESTUM DE SEIGNETTE, SEU ALCALI MINERALE TARTARISATUM.
} *vide praeparata P. II.*

§. II. *SALIA COMPOSITA SIVE MEDIA, SEU NEUTRA.*

Salia neutra sapore minus acri gaudent, quamvis omni humore priva, neque effervescunt cum Acidis Aqua dilutis, neque satis notabiliter cum Alcalibus.

I. Salia media genuina.

Salia media propria sic dicta seu *Salia neutra genuina*, quae oriuntur ex conjunctione simplicium inter se, et quorum solutio per Aquam destillatam facta ab alcali infuso non turbatur. Sunt alia horum Salium *perfecta* ex justa amborum Salium simplicium, quibus conflantur, proportione ita composita, ut neutrum dominetur, saporem igitur neque lixiviosum, neque acidum linguae imprimentia, colores vegetabilium haud mutantia: huc spectant Sal mirabile Glauberi, Nitrum, Sal commune, Sal Ammoniacum. Alia sunt *imperfecta*, ita ut alterutra partium constituentium, et hic quidem alcalina dominetur; hinc sapore paulisper urinoso pollent, quae acidis soluta sunt, Terras et Metalla praecipitant, colorem coeruleum, quem Brassica rubra Aquae impertitur, in viridem, rubrum Ligni Fernambucini in violaceum, flavum Curcumae in rufum convertunt, et eosdem colores per Acida immutatos restituunt. Huc pertinet Borax et Sal Thermarum Carolinarum.

1mo Cum alcali minerali.

N. ph. L.	V. ⊙ BORAX DEPURATA, seu RAFINATA aut VENETA.
N. germ.	*Borax gereinigter, Venetianischer Borax.*
N. syst. L.	(Borax Tincal)
Partes usuales.	*Eadem.*

Borax Tincal; LINN. *Syst. natu. III. p.* 259. Est alcali minerale boraxatum, seu Sal neutrum *imperfectum* ex alcali minerali et Acido Boracis (Sale sedativo HOMBERGII) ita compositum, ut alcali praedominet. Format crystallos sexlateras columnares, majores, solidas, semipellucidas, nitentes, coloris albi, saporis primo dulcis deinde vero amaricantis, subacris alcalini; Boracis communiter vendibilis crystalli saepissime sunt irregulares. In Aere farinescit, in duodecim partibus Aquae solvitur, in igne facillime fluit et cum spuma intumescit, in auctiori facile funditur in massam vitream in Aqua solubilem. Cum Acidis non effervescit, Succum vegetabilium coeruleum in viridem mutat et Salia media metallica ac terrea praecipitat. Ex crystallorum transversim striatarum claritate et determinata figura, facillimo in igne eoque cum spuma contingente fluxu, et tardiori paulo, si Aeri exponatur, fatiscentia, a reliquis Salibus, et ab alcali praesertim minerali, ad quod proxime accedit, a reliquis Salibus neutris genuinis praedominio alcali discrepat, quod varii vegetabilium colores saturata et ca-

calida ejus in Aqua solutione tentati manifeste produnt. Solutio Boracis aquosa cum Oleis unguinosis cocta miscelam generat saponaceam. Eligatur albissima, levissima, facile in igne fluens et bene crystallisata. Depravatio Boracis cum Alumine sapore dignoscitur styptico et liquefactione difficiliori, inprimis praecipitatione Terrae aluminosae ex solutione Boracis per instillationem lixivii Tartari; cum Sale Gemmae inquinatio, crepitatione super igne et croceo odore Acidi Salis, sub adfusione Acidi Vitrioli se manifestante. Ex Hollandia adportatur, ubi ex Borace Tincal, et Borax cruda nativa, Chrysocolla, Borech, Pounra dicta, ex India orientali advecta raffinatione purior redditur.

VIRES. Abstergentes, resolventes.

USUS. Ad maculas corneae delendas, et ad oris aphthas curandas.

FORMA. Boracis drachma semis, Sacchari albi drachma una, Aquae Rosarum uncia una miscentur pro collyrio. Dosis Boracis augeri potest ad scrupulos duos et drachmam unam; oculus enim illi assuescit. Borax cum Cremore Tartari Aqua solutus et Melle edulcoratus datur in aphthis oris.

N. ph. l. V. ☉ SAL COMMUNE, SAL CULINARE, seu SAL FONTANUM.

N. germ. *Kochsalz, Küchensalz, Salz.*

N. syst. L. (Alcali minerale salitum, seu Alcali minerale muriaticum.)

Partes usuales. *Idem.*

Alcali minerale salitum, seu Alcali minerale muriaticum; LINN. *Syst. natu. III. p. 260.*

Solida forma ex Terrae sinu erutum *Sal gemmae, Sal fossile, Sal caeduum,* ex Aqua marina *Sal marinum* vel lacuum fontiumque *Muria fontana* salsorum excoctum dicitur, modo purum sit, semper idem. Est Sal neutrum ex conjunctione Acidi Salis et alcali mineralis ortum et ex fontibus salinis evaporatione acquisitum crystallos format partim cubicas, partim infundibulo molari similes, in Aere invariabiles, in tripla quantitate Aquae solubiles, coloris albi, saporis peculiaris salsi, et in igne cum crepitatione dissilientes in minora frustula *Sal decrepitatum* dicitur, et cum Aqua, ad crystallorum formam et pelluciditatem faciente, utriusque hujus dotis jacturam faciunt; Aeri libero si Sal commune exponitur neque fatiscit, neque si, quod raro occurrit, omnino purum sit, humescit, a Vitrioli Oleo infuso vehementer excalescit plurimosque vapores ex cinereo albos acerrimos foetidos eructat. Modo purum sit Sal, ejus per Aquam destillatam facta solutio neque ab instillato Cinerum clavellatorum depuratorum lixivio, neque a Terra ponderosa Salis Acido soluta turbatur. Eligatur solidum, candidum, pellucidum, optime crystallisatum, Aere non humescens, in Aqua mox

mox et penitus solubile, eamque nullo imbuens colore, super igne in crucibulo candenti vehementer decrepitans albedinemque servans et sapore praeditum salso penetranti. Alcali minerale salitum in Anglia, Russia, Hungaria et Polonia e Terra effosum, *Sal gemmae* sive *fossile* et ex Aqua marina in Britania, Hispania etc. extractum *Sal marinum* ex lacubus fontibusque salsis excoctum *Muria fontana* vocatur.

VIRES. Purgantes, solventes, stimulantes.

USUS. Ad Enemata revellentia et irritantia, in apoplexia, et in suffocatis a vaporibus nocivis, in scrophulis. Ad fomenta in sugillationibus; ad Sinapismos. Aquae submersi saturata solutione Salis communis fricantur ad stimulandum et excitandum. Vulnera a canis rabidi morsu Sale communi soluto eluuntur. Sal commune cum Sulphure et Aqua mixtum in morbis cutaneis *externe* adhibetur.

DOSIS. Ad Enemata irritantia et Sinapismos ab uncia semis ad duas.

SPIRITUS SALIS FUMANS, seu ACIDUM SALIS CONCENTRATUM *interne* non adhibetur; *externe* caustica virtute ad destruendam cariem et excrescentias; *Spiritus Salis* cum dupla dosi *Unguenti* alicujus subactus tineae capitis illinitur juxta cel. PLENCK.

SPIRITUS SALIS ACIDUS VULGARIS, seu DILUTUS.

VIRES. Antisepticae.

USUS. *Externe* cum Oleo Terebinthinae mixtus tumores arthriticos resolvit, cum Aqua et Melle dilutus ad cancrum aquaticum oris et fungum labii superioris, item ad ulcera gangraenosa, et scorbutica laudatur.

SPIRITUS SALIS DULCIS.

VIRES. Roborantes, adstringentes, antisepticae.

USUS. In herniis a laxitate intestinorum, in ulceribus gangraenosis, in calculo urinario, in arthriticis doloribus et tumoribus, tumoribusque oedematosis, qui febres intermittentes crebro excipiunt, largiori dosi ad cochleare unum vel alterum cum potu conveniente ante febris invasionem exhibitum febres intermittentes saepe sanat. *Externe* in pernionibus. Cum charta emporetica caute applicatus hirsutiem tollit et crines exstirpat; in angina gargarismatibus additur; in oris ulceribus cum Melle mixtus convenit.

PRAEPARATA.

SAL COMMUNE DEPURATUM.
SPIRITUS SALIS ACIDUS VULGARIS TENUIOR, SEU ACIDUM SALIS DILUTUM.
SPIRITUS SALIS DULCIS.
SPIRITUS SALIS FUMANS DEPURATUS, SEU ACIDUM SALIS CONCENTRATISSIMUM PURUM.
SPIRITUS SALIS FUMANS IMPURUS, SEU ACIDUM SALIS CONCENTRATUM IMPURUM.

} *vide praeparata P. II.*

N.

N. ph. l. V. ⊙ SAL MIRABILE, SAL MIRABILE GLAUBERI.

N. germ. *Wundersalz*, *Glaubersalz*, *Braunschweigisches Salz.*

N. syst. L. (Alcali minerale vitriolatum, seu Mirabile genuinum.)

Partes usuales. *Idem.*

Alcali minerale vitriolatum, seu Mirabile genuinum; LINN. *Syst. natu. III. p.* 265.

Est Sal neutrum e Sale alcali minerali et Acido vitriolico compositum. Crystalli majores prismaticae, sex inaequalibus lateribus et bilateris extremis conspicuae, albae, semipellucidae, saporis initio refrigerantis postea amari. Sal mirabile in Aere farinescit et in pulverem dilabitur, solvitur facile in Aqua fervida ut quinque ejus partes quatuor tantummodo Aquae exposcant, in frigidae tripla quantitate. Super igne facile liquescit, fortiori induratur et fortissimo denique funditur. Ab alcali minerali notis Salis neutri perfecti, a Sale amaro notis Salis neutri genuini, a Nitro denique crystallorum forma et fatiscentia, detonatione, si combustilibus mistum igni candenti exponatur, nulla, et effectu, quem solutis per Nitri Acidum Terrae calcareae aut ponderosae, Plumbo, Hydrargyro aut Argento instillata ejus solutio per Aquam peracta gignit, hos scilicet liquores limpidissimos extemplo turbando, levi opera discernendum. Natura nobis praebet quidem hoc Sal et ex Aquis variis soteriis v. c. Carolinis, *Sal Thermarum Caroli V.* dictum aut in Hungaria ut *Sal mirabile Furediensis* vili pretio nunc educitur. Inhaeret fonti Aegrano, inhaeret Aquae plurimorum, certe Germaniae, fontium salsorum, nonnullorum adeo copiosum, ut ex ea, quemadmodum ex Aqua fontis cujusdam Hildburghausensis (v. DELIUS *vorläufige Nachricht von dem Sale aperitivo Fridericiano, oder eröffnenden Friderichssalze. Hildburghaus. 8. Edit. II.* 1768.) magno cum fructu elici iste Sal queat. *Siccum* paulo rarius nobis sistit natura ut tamen aliquando et ex muris efflorescat, et ex rupibus montium e. g. Valesiae et Helvetiae, et ex parietibus cavernarum v. g. cavernae Hildesiensis, et ex ipsa Terrae superficie e. g. paludi Bohemicae Serpina vicinae, vix unquam tamen ab omni labe terrea liberum, ut posterius praesertim, utique arte depuratum, saepe pro Sale amaro veneat, nonnunquam etiam in fodinis, ex quibus Sal gemmae eruitur, e. g. Austriacis prope Aussee occurrens. Magna tamen Salis hujus in Pharmacopoliis venalis pars arte producitur, hinc illud *nativum* hoc *artificiale* vocatur.

Artificiale ex Sale communi conficitur, vel subsecive obtinetur in destillatione Acidi Salis et ex muria Salis communis elicitur, inter haec *Sal mirabile Brunswicense sive Gravenhorstianum* praefertur. Praeparationis tamen vitio interdum dominatur in hoc Sale Acidum, sapore et reliquis notis facile detegendum; aut inquinatur Magnesia vel Cupri Calce; in utroque hoc casu solutio ejus per Aquam destillatam facta ab instillato Sale alcali soluto turbatur, et si Spiritu Salis Ammoniaci tentetur, in posteriori casu colorem coeruleum monstrat. Rejiciendum Tincturam Ligni Fernambucini et Tincturam Laccae coeruleae decolorans, Aquam Calcis vivae turbidam red-

reddens, et cujus solutio ab alcali fixo instillato turbatur vel praecipitatur. Sale culinari vel Acido Salis inquinatum decrepitatione super igne et praecipitato albo per instillationem solutionis Argenti in Spiritu Nitri in solutionem Salis mirabilis, Nitrum vero casu admixtum detonatione super igne dignoscitur. Notetur sapor Salis mirabilis in pulverem dilapsi magis calidus quam refrigerans, et major vis laxativa, ita ut dimidia vel duae tertiae dosis pulverulenti, dosi consuetae crystallisati respondeant. Hinc in officinis habetur *Sal mirabile nativum et artificiale; et forma crystallina et in pulverem dilapsum* in vitro clauso servandum.

VIRES. Purgantes, solventes, refrigerantes.

USUS. Exhibetur hoc Sal mirabile nunc crystallorum forma, nunc in pollen album dilapsum, qua quidem posteriori forma, quum fatiscendo omnem fere Aquam ad efficaciam ejus perparum facientem et dimidium sui ponderis amiserit, longe potentius agit, ut dimidio minori praebio opus sit; ceterum pro vario alio scopo modo majore modo minore; si alvum movere velis, quo quidem fine propter vim suam refrigerantem minus stimulantem in febribus plurimis reliquis Salibus neutris praestat.

DOSIS. Crystallorum uncia dimidia, ad duas. Si lotium pellere, aut obstructa vasa reserare, scrupulo, drachma una ad unciam dimidiam opus est. Praestat, nisi dilapsus in pulverem Sal praescribatur, exhibere Aqua solutum, quam siccum, et quum sapor ejus a quovis Acido adjecto multo gratior fiat, huic jungere; ita v. g. solvere potu acidulo ex Succo Malorum Citreorum parato, *Limonade* dicto, et diluere adhuc Aqua e Cinnamomo destillata, aut Rubi Idaei: juvat aliquando Mannam, Pulpam Tamarindorum vel alia ejusmodi admiscere.

Dosi minori egregie inservit solvendis viscerum, praesertim mesenterii glandularum, obstructionibus, et sanandae, provenienti toties ex hoc fonte infantum atrophiae, ut sint, qui inter medelas huic malo opponendas principem huic Sali Sero Lactis soluto locum concedant; posteriori fine Melle, Extractis amaris, vel Sali quoque Ammoniaco jungendus. Clysmatibus etiam, quibus canalis intestinorum a sordibus liberatur, addi potest; et quum, dum Aquam subit, ingens excitat frigus in Aqua solutus, fomentis illis frigidis nuperius ad sanguinis profluvia sistenda tantopere celebratis, medio etiam aestatis fervore materiam praebet eximiam, tanto potiorem, si consortio Salis Ammoniaci stipatus sit.

PRAEPARATUM.

SAL ALCALI MINERALE FIXUM PURUM.) *vide praeparata P. II.*

2do Cum alcali vegetabili.

N. ph. l. V. ⊙ ARCANUM DUPLICATUM, seu TARTARUS VITRIOLATUS, seu SAL POLYCHRESTUM GLASERI.

N. germ. *Doppelsalz, Vitriolisirtes vegetabilisches Laugensalz.*

N. syst. Bergmann. (Alcali vegetabile vitriolatum.)

Partes usuales. *Idem.*

Alcali vegetabile vitriolatum; B. Est Sal neutrum e Sale alcali vegetabili fixo et Acido Vitrioli compositum, cujus varia praeparatio causa est variae denominationis, ut in fronte proposui. Communiter ex residuo post destillationem Acidi Nitri fumantis obtinetur, maxima tamen copia et valde levi pretio ab iis venditur, qui Aquam fortem maxima copia propriis laboratoriis parant, sed tunc etiam variis impuritatibus inquinatum, hinc pro usu medico semper methodo in P. II. descripta depurari debet. Etiam subsecive in praeparatione Salis alcalini fixi mineralis puri, in depuratione Cinerum clavellatorum et in paranda Magnesia alba cum alcali vegetabili obtinetur. Crystallos proprie format prismaticas interdum sexlaterales semper vero forma pyramidali acuminatas, albas, solidas, saporis amaricantis, subnauseosi. Communiter quod divenditur crystallos habet irregulares inter se cohaerentes. In Aere invariabile, in sedecim partibus Aquae solubile, in igne crepitans et solummodo in auctiori post ignitionem in massam impellucidam et friabilem fusibile. Eligatur quod divenditur bene crystallisatum nec Tincturam Fernambucinam, nec Laccae coeruleae alterans, et pisi magnitudinis, ac cujus solutio aquosa ab instillato Sale alcalino vegetabili fixo minime praecipitatur. Si solutio cum Tinctura Gallarum nigrescit vel canescit, ferreis, et si ab instillatione Spiritus Salis Ammoniaci caustici coerulescit, cupreis particulis vitiatum est Arcanum duplicatum. Rejiciatur pulverulentum et coloris rubelli. Vendibile communiter Cupro est vitiatum quod ex affusione Salis alcali volatilis caustici dignoscitur, semper ergo pro usu interno depuratione indiget.

VIRES et USUS; ut TARTARI VITRIOLATI.

PRAEPARATUM.

ARCANUM DUPLICATUM DEPURATUM.) *vide praeparata P. II.*

N. ph. l. V. ☉ NITRUM CRUDUM PRISMATICUM, seu NITRUM VULGARE.

N. germ. *Roher Salpeter, Salniter.*

N. syst. L. (Alcali vegetabile nitratum.)

Partes usuales. *Idem.*

Alcali vegetabile nitratum; LINN. *Syst. natu. III. p.* 262.

Est Sal neutrum, ex Acido Nitri et Sale Alcali vegetabili exortum, crystallos formans prismaticas, sexangulares oblique truncatas, majores, limpidas, nitentes, et semipellucidas; saporis acris amaricantis cum eximio frigoris sensu, coloris albi, et in Aere invariabiles, in septem Aquae partibus solubiles, in igne aperto scintillantes et deflagrantes, in clauso vero liquescentes, si vero cum inflammabili quodam v. c. pulvere carbonum mixtae sunt, super igne detonantes, et Metallis candentibus si adduntur, ea calcinantes. Venale tamen Nitrum crebro terreis aliisve Salibus, Sale praesertim culinari, inquinatur, quorum si penitus expers sit, ejus per Aquam destillatam facta solutio neque lixivium ex Cineribus clavellatis depuratis paratum limpidum, neque per Argentum Aqua forti solutum atque instillatum turbatur. Eligatur Nitrum purum, siccum, bene crystallisatum, in Aqua solubilius, super prunis non decrepitans, et cum inflammabilibus mixtum cum strepitu majori deflagrans, nec in Aere farinescens. Adulteratio cum longe crystallisato Sale mirabili, facile per saporem amarum vix acrem et per defectum detonationis proditur. Si ex solutione Nitri aquosa instillatio Argenti in Spiritu Nitri soluti pulverem praecipitat album, Nitrum cum Acido Salis inquinatum est; *Acidum Nitri* ex Nitro per Acidum Vitrioli expellitur fluidum, ac si concentratissimum et purissimum, coloris quidem aquei, communiter vero rubri et tractu temporis viridescentis vel fusci, confestim vapores emittens rubros, qui etiam superius vitri vacuum replent et suffocantes, peculiari odore praeditos, Aquae vel Spiritui Vini instillatum strepitum et calorem excitans. Aquam ex Aere attrahit eaque debilitatur et saepe viridescit. Cum quarta parte Aquae mixtum colorem dat viridem, cum aequali coeruleum. Animales substantias v. c. Ossa, Lanam, Sericum, colore imbuit flavo. Olea aetherea multa et unguinosa incrassat et in Resinae genus mutat cum odore moschatino coloreque bruno, cum Oleis essentialibus Caryophyllorum, Ligni Sassafras, Petroselini, sic et Terebinthinae et Succini flammam concipit. Metalla odore et vapore nitroso solvit et calcinat. Cum Salibus alcalinis, Terris et Metallis Salia neutra vel media fingit cum inflammabilibus detonantia. Camphoram in Oleum fundit ipsi supernatans. Saepissime Spiritus Nitri fumans Acido vitriolico vel Acido Salis contaminatum est; Acidi Vitrioli admixtio per turbationem et sedimentum album ex instillata solutione Sacchari Saturni in Aqua destillata proditur et contaminatio cum Acido Salis eodem modo ex instillatione solutionis Argenti in Spiritu Nitri. Spiritus Nitri fumans sic depravatus depuratione indiget P. II. praescripta. Acidum Nitri fumans in vase vitreo epistomio vitreo et Cera cum vesica custodito servandum.

Ra-

Rarius Nitrum in naturae sinu jam purum et perfectum occurrit; prostant tamen praeter alia diutius cognita in aliis orbis nostri partibus obvia exempla certiora bina, unum prope *Molsettam* Apuliae, alterum Franconiae in Caverna montis, cui castellum Homburg superimpositum est. Invenitur Nitrum nativum etiam in Hispania, copiose vero in Asia prope Ganges, etiam Budae in fonte Schülleriensi. Maxima autem Nitri pars artis auxilium requirit; alia ex Terris, quas natura jam offert Nitro gravidas, aut ex materie murorum, ex quibus efflorescit, major longe ex Terris cum materiis putrescentibus vegetabilibus, praesertim autem animalibus permistis, et libero Aeris contactui per longum temporis spatium opportunis eruitur. Frequentissime in Germania peculiari ratione ex Terris principiis nitrosis varia praeparatione impraegnatis potissimum Cineribus Lignorum Aeri diutius expositis extrahitur et postea purius redditur; magna ejus copia etiam ex India orientali advehitur.

VIRES. Refrigerantes, diureticae, solida stricta relaxantes, et partem sanguinis rubram resolventes.

USUS. In omnibus febribus inflammatoriis puris et simplicibus, ac complicatis inflammatorio - biliosis, inflammatorio - pituitosis sine, aut cum topica alicujus partis affectione. Virtute relaxante in spasmis abdominis, et aliis convenit; et in ulceribus chronicis crurum.

DOSIS. Est a scrupulo uno ad duos. Miscetur cum mucilaginosis, emollientibus decoctis, Salibus mediis, Sale Ammoniaco aut Opio. Exhibetur forma decocti vel pulveris, vel injectionis, aut gargarismatis, aut in emulso, et in fomento frigido. Vis Nitri refrigerans, ventriculo, debiliorum potissimum, toties nociva, infringi feliciter et Nitrum in medicamen sudorificum converti potest; tum eodem scopo, tum in morbis pectoris, quibus Nitri usus conducit, ne ad tussim irritet, cum Saccharo aut Gummi arabico in pulverem conteri poterit.

SPIRITUS NITRI FUMANS ad cariem et excrescentias destruendas ope penicilli applicatur; interim tamen usus hujus non adeo securus est, ut Lapidis infernalis.

SPIRITUS NITRI FORTIS et SPIRITUS NITRI VULGARIS. *Externe* ad verrucas absumendas optime adhibentur et quidem in hoc malo Lapidi infernali praeferendi sunt, sistendae cariei ossium interdum quoque inserviunt. *Interne* cel. HAHNEMANN Spiritum Nitri fortem quotidie ad decem vel quindecim grana una cum copiosissimo potu aquoso ingestum, in hydrope egregiam tulisse opem expertus est, ita et in febre epidemice regnante petechiali maligna Aquae mensurae ad guttas quinquaginta instillatum efficacem invenit.

NITRUM CUBICUM PURUM. Ejus usum (vide *inter praeparata officinalia P. II.*

SPIRITUS NITRI DULCIS.

VIRES et USUS. Cum vehiculo aquoso tanquam refrigerans, anodynum, antispasmodicum et carminativum egregium effectum exserit in colica flatulenta, singultu, in epilepsiae insultu atque aliis id genus malis, etiam

 diu-

diureticas vires possidet. Cum aequali Spiritus Vitrioli Acidi pondere permistus sub nomine ELIXIRII ACIDI. (vide *praeparata P. II.*) a guttis decem ad triginta aliquot Aquae fontanae unciis instillatis, in morbis spasmodicis, nervorum summa debilitate, virium prostratione febres malignas comitante atque excipiente, variolis malignis vel ob virium vitalium lapsum non erumpentibus aut retrogredientibus, animi deliquio, sanguinis profluvio ex ejusdem resolutione oriundo eximios effectus vidit cla. VOGLER.

DOSIS. A guttis decem ad sexaginta.

PRAEPARATA.

NITRUM CUBICUM PURUM. NITRUM PRISMATICUM DEPURATUM. SPIRITUS NITRI DULCIS. SPIRITUS NITRI FORTIS, SEU AQUA FORTIS DUPLEX, SEU AQUA FORTIS PRAECIPITATA, SEU ACIDUM NITRI CONCENTRATUM PURUM. SPIRITUS NITRI FUMANS, SEU ACIDUM NITRI CONCENTRATUM IMPURUM. SPIRITUS NITRI FUMANS DEPURATUS, SEU ACIDUM NITRI CONCENTRATISSIMUM PURUM. SPIRITUS NITRI VULGARIS, SEU TENUIOR, SEU ACIDUM NITRI DILUTUM, SEU AQUA FORTIS SIMPLEX PURA.	*vide praeparata P. II.*

3tio *Cum Alcali volatili.*

N. ph. l. V. ☉ SAL AMMONIACUM CRUDUM, seu VULGARE.

N. germ. *Salmiak, roher Salmiak.*

N. syst. L. (Alcali volatile salitum.)

Partes usuales. *Idem.*

Alcali volatile salitum; LINN. *Syst. natu. III. p. 262.*

Est Sal neutrum ex Acido Salis et alcali volatili conflatum, in crystallos abiens parvas, sexlaterales, pyramidales, albi coloris, communiter invicem concretas exinde speciem pennatam induentes, sapore acriori pungente gaudentes, quam qui in reliquis Salibus neutris genuinis percipitur, perquam ingrato; humorem ex Aere attrahit Sal hoc Ammoniacum, cui per aliquod tempus exponitur, in triplo Aquae parte facillime solubile, et si contusum prunis inspergatur, flammam colore ex coeruleo viridescentem format et sine ullo strepitu, fumi albi specie totum in Auras avolat aut fortiori igne vasis clausis sublimatur. Si cum alcali fixo sive Terra calcarea, inprimis pauxillo Aquae admixto teritur, odorem Salis volatilis spargit.

git. Sal Ammoniacum si in Aqua solvitur, frigus gignit; cum Vitrioli Oleo infuso violenter effervescit et vaporem acerrimum ex cinereo album eructat, Aquam fortem in Aquam regis commutat, ex quibus levi opera a reliquis Salibus officinalibus distinguitur. Parciori manu jam perfectum natura nobis subministrat hunc Salem; occurrit tamen in montibus ignivomis, et stratis Terrae incensis, quamvis rarius purus, quam aliis Salibus, Sulphure, ipsa interdum Arsenici Calce inquinatus: plurimus hodie arte paratus, olim ab Aegyptiis, quasi monopolium foret, exercita, adeo, ut hodienum multus alieno plane loco confectus, Aegyptii nomine salutetur, nunc per omnem Europam divulgata, et in Belgio, Anglia, Gallia, Helvetia, Germania frequenter celebrata, ita ut alii iique quidem pauciores via humida, alii, quemadmodum quondam Aegyptii, via sicca vel sublimatione procedant, et more Aegyptiorum Salem in placentae formam compingant, fuliginis crusta utplurimum cinctum.

Peccat tamen hic etiam per artem paratus Sal non raro, nunc ratione partium illum constituentium, ita ut modo acidum, modo alcali dominetur, naevo per notas supra memoratas facile detegendo, nunc immixtis variis alienis, Sale communi, qui Salem igne torquendo, decrepitatione se prodit, terreis, et a plumbeis vasis, in quibus in nonnullis officinis ista fabricatio peragitur, ipsa Plumbi Calce, quae inquinamenta mox se manifestant, Salem comminutum inspergendo cochleari ferreo candenti; genuinus enim Sal totus avolat, impurus partes illas peregrinas relinquit, quae quoque, si terreae aut metallicae sint indolis, remanent, quando Sal iis infectus Aqua solvitur. Contaminatio Salis Ammoniaci cum Acido Vitriolico detegitur praecipitatione ex solutione ipsius in Aqua destillata per instillatam solutionem Plumbi acidam. Olim solummodo ex Aegypto, fimi camelini ex fuligine paratum, in placentis globosis, uno latere convexis altero concavis ad nos allatum fuit, quorum latus convexum impurum et fuliginosum apparet; hocce Sal Ammoniacum Aegyptiacum ob impuritates admixtas et necessariam exinde depurationem hodie ex officinis exulatur et eligendum Sal Ammoniacum Magdeburgense vel Brunswicense. *Magdeburgense* praefertur, in transparentibus albis et purissimis placentis vendibile. Brunswicense sive Gravenhorstianum nivea albedine, impelluciditate et frustis non exacte solidis crystallisatione paratis, magnitudine metae saccharinae minoris dignoscendum.

SAL AMMONIACUM DEPURATUM.

VIRES. Solventes, potenter incidentes, et antisepticae.

USUS. *Interne* tanquam remedium solvens in impuritatibus primarum viarum, in febribus intermittentibus, putridis, inflammatoriis, et biliosis. In defectu mensium a pituita obstruente; obstructionibus mesenterii, chlorosi, in hydrope, hypochondriasi, arthritide, angina, in tumoribus frigidis. *Externe* est egregium resolvens in contusionibus et sugillationibus, luxationibus, et fracturis; etiam herniis incarceratis, tumoribus frigidis, inflammatione mammarum, angina pituitosa. Instar lavamenti in scabie et efflorescentiis cutaneis praecipue faciei. In necrosi ossium locis affectis inspersus promovet exfoliationem, partibus carnosis intactis remanen-

nen-

nentibus ob stimulum. In gangraena et sphacelo forma fomenti. In inflammationibus puris oculorum temporibus fomentum applicatur. In mania, phrenitide, in apoplexia sanguinea capiti instar fomentum frigidum, etiam in cephalalgia et omni congestione sanguinis versus encephalum, etiam in haemorrhagiis uteri abdomini applicatum convenit. Ad enemata irritantia, et ad fomentationes frigidas. Cum Cortice Peruviano optime abstergit et praestans dentifricium exhibet.

DOSIS. *Interne* tanquam solvens a granis decem, quindecim ad triginta; in intermittentibus et febribus putridis ad drachmam unam, ubi vero diarrhoea debilitans symptomatica adest aliis minori dosi additur. Forma pulveris cum Cremoris Tartari aequali copia aut etiam forma mixturae. *Externe* Aceto et Vini Spiritu solutus, si praeterea punctio scroti accedat, modo testiculus ipse sit sanus, in medicanda hydrocele tam efficax.

FLORES SALIS AMMONIACI MARTIALES.

VIRES. Solventes, incidentes, attenuantes, tonicae.

USUS. In morbis, in quibus atonia fibrae contractilis cum humorum nimia spissitudine complicatur, in suppressione fluxus menstrui, viscerum obstructionibus pertinacissimis, multisque inde pendentibus morbis, v. g. chlorosi, fluore albo, cachexia, morbo hysterico ac hypochondriaco, hydrope, febribus intermittentibus, praesertim quartanis, in quibus multum ab eorum usu continuato jure tuo speres; in febribus lentis ex viscerum abdominalium obstructione proficiscentibus, in febribus lentis spasticis a Plumbo et colica saturnina praegressa optime convenit. In fluore albo ab obstructionibus et pituita orto. In ipso adeo mammae cancro, applicata simul extrinsecus Tinctura ex aequali pondere Salis Ammoniaci et scobis ferreae cum Spiritu Vini rectificato, parata, efficacissimos comperit hosce Flores cel. LETTSOM.

DOSIS. Est a granis tribus ad triginta bis vel ter per diem forma pulveris, boli aut in mixtura.

SPIRITUS SALIS AMMONIACI AQUOSUS.

VIRES. Diaphoreticae, diureticae, absorbentes.

USUS. *Interne* in febribus intermittentibus ante paroxismum frigoris; in spasmis a debilitate nervorum, in rheumatismis, in variolis, miliaribus, aut morbillis retropulsis a virium vitalium debilitate; in arthritide et podagra retropulsa, ad sudorem pellendum. In apoplexia et lethargo tanquam excitans, ita et in Aquae submersis, aut vaporibus nocivis suffocatis. Praeterea acidum domat ut alia Salia alcalina acido in primis viis dominante absque febre. Pituitam incidit, hinc in morbis pectoris et chronicis digestionis vitiis ab accumulata pituita, efficax. *Externe* in animi deliquiis, lethargo, aut suffocatis naribus admotus, infra nares, ad tempora, carpos, scrobiculum cordis, spinam dorsi frictione adplicatus, membro affecto sive solus sive cum Oleo quodam unguinoso (LINIMENTUM VOLATILE tunc audit), sive cum Camphora, Sapone et Vini Spiritu subactus, aut superimpositus, aut frictione adplicatus, in paralysi, debilitate,

tate, rachitide, arthritide, rheumatismo, tumoribus inflammatoriis, lymphaticis, aliisque glandularum, abdominis quoque hydropicis eximie prodest.

DOSIS. *Interne* a drachma semis ad duas cum Aqua. Miscetur cum Emulso, Camphora, Opio, aut Cortice Peruviano.

SPIRITUS SALIS AMMONIACI CAUSTICUS.

VIRES. Valde stimulantes.

USUS. *Interne* in tussi suffocativa a vapore seu Aere SPIRITUS SALIS DEPHLOGISTICATI, aut in suffocatis. *Externe* in animi deliquiis, a vapore SPIRITUS SALIS DEPHLOGISTICATI, aut Aquae submersis scrobiculum cordis fricatur, et praeterea *externe* eodem modo adhibetur ut SPIRITUS SALIS AMMONIACI AQUOSUS.

DOSIS. A guttis decem ad triginta cum Aqua destillata. Miscetur pro usu *externo* cum pinguedine, Oleis essentialibus aut empyreumaticis, Camphora, Tinctura Cantharidum aut Asae foetidae. Ad LINIMENTUM VOLATILE supra descriptum SPIRITUS SALIS AMMONIACI CAUSTICUS praefertur. SPIRITUS SALIS AMMONIACI VINOSUS acrimonia quidem inferior simplici seu aquoso, suavitate prior, Vini quippe Spiritu temperatus; ideo in casibus, qui meracum alcali non postulant, usu interno magis vulgatus, hinc ratione virium cum Spiritu Salis Ammoniaci aquoso convenit; gargarismatibus aut cataplasmatibus instillatus in angina inflammatoria efficacissimus. SPIRITUS SALIS AMMONIACI VOLATILIS OLEOSUS priori similis, sed efficacior et magis stimulans, hinc minori dosi exhibendus.

SAL AMMONIACUS ACETI, seu SPIRITUS MINDERERI FORMA SICCA.

VIRES. Antispasmodicae, sudoriferae; cum regimine frigido diureticae.

USUS. In arthritide vaga et podagra, in variolis, morbillis, aut aliis exanthematibus retropulsis, in spasmis hystericis.

DOSIS. Est optimum, blandum et tamen penetrantissimum et certissimum nostro corpori convenientissimum sudoriferum, praecipue cum regimine calido et potu diluente calido junctum. Cum regimine frigido vero efficaciter diuresin movet. A granis quindecim ad viginti aut triginta exhibetur. SPIRITUS MINDERERI. (vide *praeparata extemporanea P. II. Sect. II*). est idem Sal Aqua solutum. Exhibetur a guttis quadraginta ad drachmam unam, aut unam et semis et ultra. Miscetur cum vehiculo conveniente Aqua Sambuci aut Chamomillae.

PRAE-

PRAEPARATA.

FLORES SALIS AMMONIACI MARTIALES.
SAL AMMONIACUM DEPURATUM.
SAL AMMONIACUS ACETI, SEU SPIRITUS MINDERERI FORMA SICCA.
SAL VOLATILE SALIS AMMONIACI SICCUM.
SPIRITUS SALIS AMMONIACI AQUOSUS, SEU SIMPLEX.
SPIRITUS SALIS AMMONIACI CAUSTICUS.
SPIRITUS SALIS AMMONIACI VINOSUS.
SPIRITUS SALIS AMMONIACI VOLATILIS OLEOSUS.

} *vide praeparata P. II.*

II. Salia media seu neutra spuria, quae oriuntur ex conjunctione Acidi cum Terra aut Metallo.

a. Salia neutra terrea.

N. ph. l. V. ☉ ALUMEN ROMANUM, seu RUBRUM.

N. germ *Rother, römischer Alaun.*

N. syst. L. (Argilla vitriolata.)

Partes usuales. *Idem.*

Argilla vitriolata; LINN. *Syst. natu. III. p.* 267.

Est Sal neutrum terreum ex Terra argillacea etiam aluminosa dicta et Acidi vitriolici majori quantitate compositum, saporis austeri et ob praedominans Acidum manifeste acidi, constans crystallis majoribus octoedris, claris, duris, in majoribus massis formatis, tardius, si Aeris contactui exponantur, fatiscentibus et in superficie farinescentibus; in Aquae triginta quatuor partibus penitus solubile, minime in Spiritu Vini, a quo ex solutione aquosa etiam praecipitatur. Igne primum leni Aquae instar fluit, mox pelluciditatem amittit, intumescit, in spumam quasi candidam elevatur et in massam spongiosam albam majori acredine praeditam violentissimo igne Acido omni orbandam convertitur, vocatur in officinis *Alumen ustum.* Constat Alumen juxta cel. BERGMANN in 100 partibus ex Terrae 18, Acidi vitriolici 38, et Aquae partibus 44. Licet natura jam hinc inde offerat satis purum Alumen. plurima tamen ejus pars ex Terris, Lapidibus, Pyritis, praecipue Schisto aluminari, quibus aut ipsum, aut partes illud consituentes inhaerent artis auxilio et quidem in Italia, Anglia, Suecia et Germania utplurimum tamen Ferri Calce magis minusve inquinatum, excoquitur. *Alumen vulgare* olim nomen habuit *Alumen album* et ab oppido Syriae Rocho vel Rocca, quod Europaeos primo methodum Alumen parandi docuit, *Alumen Rochae* vel *Rochum* et per errorem *Alumen rupeum.*

Alumen romanum sive *rubrum*, quod prope Romam ex lapide duro excoquitur a variis praefertur, a Calce Ferri enim magis liberum, extus rubella Terra apparet mixtum, verosimile martiali et hac diluta rubedine

ab

ab alio Alumine discrepat, praeterea crystallis minoribus et magis irregularibus, quam *Alumen vulgare* occurrit. In Anglia paratum advehitur in solidis, puris, splendidis crystallis magnitudine nucum; quod in Germania producitur magnis ferme difformibus conspicuum est crystallis in superficie saepius pulvere conspersis, intus vero vitreis. *Alumen Gravenhorstianum* sive *Brunswicense*, pellucidum, rosei coloris et in Aere non farinescens, facilius quidem solvitur et difficilius funditur vulgari, in igne fortiori in massam evadit viridescentem; quum artefactum, arcanum et verosimile ex cobaltinis particulis rubellum, pro usu medico non adhibendum. Rejiciatur quoque Alumen flavum et impurum ob admixtas particulas ferreas vel cupreas; ferreae per instillatam Tinturam Gallarum in solutionem aluminosam nigro colore praecipitantur, et cupreae instillatione Spiritus Salis Ammoniaci caustici coerulescunt. Quamvis paulo difficilius, genuinum tamen Alumen totum Aqua dissolvitur, quodsi bulliens cum pulvere Aqua ejus aliquid relinquat, Terra quadam peregrina contaminatum esse colligitur; genuini quoque Aluminis crystalli per omnem compagem eandem et tincturam et pelluciditatem monstrant, quum Alumen Bolo rubens, intus omni colore orbum sit.

VIRES. Adstringentes, antiputredinosae.

USUS. *Interne* in febribus intermittentibus, in colica pictonum, in laxitate vesicae urinariae, in diabete spuria a laxitate et haemorrhagiis uteri a simili causa, praecipue Serum Lactis aluminosum; etiam in fine gonorrhoeae venereae et fluore albo. In haemorrhagiis a laxitate; in proclivitate ad putredinem praecipue in variolis, in pollutione spontanea. *Externe* in inflammationibus a causa externa, caute tamen ob vires repellentes adhibendum. In ophthalmia acuta et chemosi. In staphylomate ab initio convenit. In angina pure inflammatoria forma gargarismatis; etiam in angina catarrhali et tonsilari. In laxitate gingivarum et prolapsu uvulae; in angina gangraenosa et ulcerosa. In ulceribus scrophulosis et prolapsu vaginae forma injectionis. In haemorrhagiis a vulnere, ubi compressio fieri potest, ut in vulneribus colli et oris.

DOSIS. *Interne* in pulvere a granis quinque ad scrupulum unum. In gargarismate unciarum quatuor aut sex, drachma una aut duae Aluminis solvuntur, ita et ad injectiones. Miscetur cum Cortice Peruviano, Myrrha, Decocto Hordei, Saccharo, Gummi arabico, Gummi Kino.

ALUMEN USTUM. Ad carnem fungosam ulcerum et vulnerum et quae in umbilico infantum oritur, consumendam adhibetur. Cum crustam duram formet, parva portio, sed saepius inspergenda.

ALUMEN KINOSATUM. (vide *Gummi Kino*.).

PRAEPARATA.

ALUMEN KINOSATUM. } *vide praeparata P. II.*
ALUMEN USTUM. }

N. ph. l. V. ☉ SAL AMARUM, seu SAL CATHARTICUM ANGLICUM, seu SAL EBSHAMENSE, seu SAL SEDLIZENSE et SEIDSCHÜZENSE.

N. germ. *Bittersalz, Englisches Salz, Böhmisches Sedlizer und Seidschützer Salz.*

N. syst. L. (Magnesia vitriolata.)

Partes usuales. *Idem.*

Magnesia vitriolata; LINN. *Syst. natu. III. p.* 265.

Est Sal neutrum terreum ex Acido Vitrioli et Magnesia alba conflatum; crystallos format pellucidas, albas, quadrilateras, columnares cum bilateris extremis, superficie laterali glabra et minime striata; sapore amaro ad Sal mirabile accedit, facilius tamen multo in Aqua etiam frigida et quidem in Aquae quantitate sesquialtera penitus solubilis, minime vero in Spiritu Vini. Si genuinum sit, neque Gypso inquinatum, totum, et facillime quidem, Aquam, etiam frigidam, subit, neque, nisi Sale Ammoniaco aut Magnesia salita, quod utique in venali vulgo Sale Anglico satis crebro obtingit, contaminatum, Aeri externo obvium, deliquescit, sed cum pelluciditatis dispendio sensim in pollinem album fatiscit. Igne primo intumescit, postea siccatur, tandem funditur. A Sale mirabili faciliori multo in Aqua etiam frigida, solutione, sapore et virtute minus refrigerante, porro solutione, etiam in Aqua purissima peracta, ab instillato quocunque Sale lixivioso turbanda, levi opera discernitur, ut mirum sit, et adhucdum cum illo subinde confundi.

Prostat plurimum *nativum* tum Aqua solutum in Aqua maris multorumque Fontium salsorum, potissimum in Ebshamensibus et in Aquis Bohemiae amaris, ex quibus Sal *Sedlizense* et *Seidschüzense* excoquitur, quod, si genuinum sit, vera est Magnesia vitriolata, tum in rimis rupium subalpinarum v. gr. Pedemontii, Sabaudiae, Helvetiae, Rhaetiae, Salisburgi, aliarumque rupium et saxorum v. gr. Longobardiae, Croatiae, Bohemiae, Thuringiae, Angliae et Normanniae, potissimum argillosorum e. gr. Hetruriae, Hercyniae, Thuringiae et Bohemiae, Pedemontii efflorescit. Plurima tamen pars hujus Salis salutarem in finem adhibiti artis auxilio ex Muria Salis communis et Ferri Vitriolo parte sui Acidi jam exuto paratur. Plerumque quod ad nos venit *artificiale* seu factitium est, ex crystallis albis, parvis, acuformibus consistens et ob inhaerens adhuc Sal alienum, inprimis Magnesiam salitam, in Aere humidum evadens. Sal Anglicum quod in Aere fatiscit Sale mirabili vitiatum creditur. Saepe pro Sale amaro divenditur Sal mirabile in crystallos minores per agitationem lixivii coactum, quae fraus vero facile per instillationem Aquae Calcis vivae, vel cujusdam Salis alcalini soluti dignoscitur, haec instillatio enim ex solutione Salis Anglici genuini Magnesiam albam, ex soluto vero Sale mirabili ne minimum quidem praecipitat. Eligatur quod in Aqua solutum et ad crystallisationem evaporatum crystallos format supra descriptas.

VI-

VIRES, USUS et DOSIS ut *Salis mirabilis Glauberi;* ceterum ob majorem in *Sale Anglico* copiam Magnesiae contentam, quam in *Sedlizensi*, illud melius ad parandam *Magnesiam* adhiberi poterit.

MAGNESIA ALBA, seu MURIA.

VIRES. Acidum absorbentes, leniter eccoproticae.

USUS. *Interne* in hypochondriasi cum constipatione; infantibus ad moeconium evacuandum; in genere infantibus in morbis ab acido primarum viarum ortis ad alvum leniter movendam; et aliis remediis admiscetur, quae acido praesente in primis viis facile vomitum excitant. Magna dosi vomitum sistit.

DOSIS. Infantibus usque ad quintum annum ad grana decem. Usque ad duodecim annos, grana triginta, adultioribus a granis viginti, ad drachmas duas. Miscetur saepe cum Syrupo Rhei, Radicis Rhei aut Jalappae pulvere, cum Emulso, cum Mercurio dulci aut praecipitato solubili nigro, cum Saccharo, Camphora, aut Antimonio crudo.

MAGNESIA ALBA CALCINATA, seu USTA.

VIRES et USUS ut MAGNESIAE ALBAE, seu MURIAE. Verum solummodo dimidia dosis exhibetur de MAGNESIA CALCINATA. Miscetur iisdem. Nisi haec purissima et cautissime praeparata sit, nec nimis diuturna fuerit calcinatione parata, illa, sine calcinatione, huic praeferenda erit; si vero rite parata, CALCINATA efficacior erit.

MAGNESIA ACETOSA. Est remedium solvens, et eccoproticum praestans in obstructionibus viscerum abdominalium. Exhibetur a scrupulo uno ad drachmam scopo solvente. Drachma una plerumque ter aut quater alvum movet.

MAGNESIA PHOSPHORATA. Usum et dosin (vide *inter praeparata officinalia P. II. Sect. I.*).

MAGNESIA SALITA. Usum et dosin (vide *inter praeparata officinalia P. II. Sect. I.*).

PRAEPARATA.

MAGNESIA ACETOSA.
MAGNESIA ALBA CALCINATA, SEU USTA.
MAGNESIA ALBA, SEU MURIA. } *vide praeparata P. II.*
MAGNESIA PHOSPHORATA.
MAGNESIA SALITA.

b. Salia neutra metallica, seu Vitriola.

AERUGO CRYSTALLISATA, seu AES VIRIDE DESTILLATUM, potius CRYSTALLISATUM, seu FLORES VIRIDIS AERIS.

vide inter *Metallorum Producta Cupri.*

 VI-

VITRIOLUM VENERIS, seu CUPRI. vide *Producta Cupri.*

V. ⊙ VITRIOLUM ZINCI. vide *Producta Zinci.*

§. III. *SALIA, QUAE ORIUNTUR EX CONJUNCTIONE ALCALI CUM PHLOGISTO.*

Cum Caustico et Oleo.

N. ph. l. V. ⊙ SAPO ALICANTINUS ALBUS, seu HISPANICUS.

N. germ. *Weisse Alicantische Seife, Spanische Seife.*

Sapo Alicantinus albus; est substantia ex conjunctione Olei olivarum et Sale minerali caustico artefacta, solida, albicans, flavescens, levis, cum Aqua solutionem largiens lacteam, cum Alcohole Vini autem limpidam, cujus solutiones agitatae spumant, alias substantias cum Aqua miscibiles reddens, et per quodvis Acidum via humida decomponenda. Eligatur dura, digitos pinguedine non inquinans, alba, in Aere non humescens, Sale non inductus, in Aqua destillata facile et penitus solubilis, sic et in Spiritu Vini, excepto pauco residuo calcareo, soluta Oleum, in superficie in forma cuticulae natans, non dimittens, et cum ambobus optime spumans, nec ingrati et rancidi odoris vel saporis. Rejiciatur omnis Sapo variegatus, ergo et venetus, quippe peregrinorum additamentorum forsan nocentium suspectus. Plerumque ex Marsilia adportatur.

VIRES USUS et DOSIS ut SAPONIS CACAO, ceterum pauperibus leviori pretio commendabilis pro usu *interno* quoque adhiberi poterit; saepissime tamen *externe* adhibetur. Abstergit et resolvit egregie. In tumoribus induratis, frigidis, lacte solutus Sapo applicatur. SPIRITUS SAPONACEUS ganglia et tumores cysticos resolvit. EMPLASTRUM RESOLVENS SAPONATUM seu SAPONACEO-CAMPHORATUM, est egregium resolvens in tumoribus induratis, et ad ulcera et vulnera tegenda adhiberi potest.

PRAEPARATA.

EMPLASTRUM RESOLVENS SAPONATUM, SEU SAPONACEO-CAMPHORATUM.
SPIRITUS SAPONACEUS, SEU SPIRITUS SAPONIS.
} *vide praeparata P. II.*

§. IV. *MAGIS COMPOSITA ET INDETERMINATA CONJUNCTIO SALIUM SIMPLICIUM CUM ALIIS SUBSTANTIIS.*

Acidum vegetabile nondum determinatum cum Oleo et Terra calcarea.

V. SACCHARUM LACTIS. vide inter Animalium partes *Bovis Tauri.*

Acidum vegetabile nondum determinatum cum Oleo empyreumatico, Sale volatili, Sale Ammoniaco et Terra.

N. ph. L. V. FULIGO SPLENDENS.

N. germ. *Kaminrufs, Spiegelrufs.*

Fuligo splendens; est materia vel substantia plus minusve cohaerens et solida, ex volatilibus lignorum ardentium solidis partibus cum fumo ascendentibus exorta, et parietibus caminorum adhaerescens, coloris ex nigro fusci vel atri, saporis amari, acris, empyreumatici, odoris ingrati empyreumatici, cum Aqua et cum Spiritu Vini Tincturam largiens bruneam sive fuscam. Igne inflammatur et comburitur, constat ex Acido vegetabili nondum determinato, Acido lignorum dicto, Oleo empyreumatico, Sale volatili, Sale Ammoniaco et Terra. Eligatur infimis partibus caminorum adhaerens, splendens et ab omnibus particulis heterogeneis liber.

TINCTURA FULIGINIS est Medicamen summe resolvens et antispasmodicum, quod omnis generis excretiones promovet, speciatim urinam pellit et sudorem excitat, et in promovendis sanguinis profluviis efficacissimum deprehenditur; conducit ad exanthemata retrogressa revocanda, in obstructionibus viscerum et glandularum, in cachexia, in hysteria et convulsionibus et epilepsia, in febre quartana. Datur a guttis triginta ad centum et ultra.

PRAEPARATUM.

TINCTURA SEU ESSENTIA FULIGINIS AQUOSA.) *vide praeparata P. II.*

Reliqua Salia simplicia et composita a Pharmacopoeis ipsis parantur et hinc inter praeparata quaerenda.

SEC-

SECTIO V.

AQUAE NATURALES.

§. I. *AQUA COMMUNIS FRIGIDA ET CALIDA.*

I. AQUA COMMUNIS FRIGIDA.

Kaltes gemeines Wasser.

Aqua est corporum principium constitutivum, quod in purissimo suo statu Ens est fluidum, inodorum, insipidum, pellucidissimum, quod ex Acido aereo et materia caloris seu hydrogenio et oxygeneo compositum esse dicitur. Aquam, etsi purissimam, instar elementi simplicem, dari, negatur, et veterum Physicorum quatuor elementa, quorum nullum horum simplex existere per se, sed quatuor semper conjuncta esse et solummodo illud elementum praevalere, a quo nomen obtinuit, rem verissimam esse videtur.

In praxi clinica sola varietas Aquae, quae inter Aquam *fluviatilem*, *Flufswasser*, *montanam* seu *fontanam*, *Quellwasser*, et *putealem*, *Brunnwasser*, *Grundwasser* notanda.

Aqua fluviatilis; turbida est utplurimum haec Aqua, praesertim tempore pluvioso et Acidum aereum minori copia continet. In defectu Aquae montanae ferri potest, est enim post eam adhuc saluberrima eoque purior est, quo vehementius movetur et duriori fundo gaudet. Non adsuetis alvum sub exordio usus movet. Ob mollitiem coquendis leguminibus, et braxandae cerevisiae aptior est aliis Aquis. Tempore aestivo ob putrescentiam piscium vegetabiliumque, usus Aquae fluviatilis cardialgiam, diarrhoeam, febremque excitasse dicitur. Aqua fluviatilis valde argillosa strumas producit.

Aqua montana seu fontana est Aqua, quae ex montium rupibus scaturit; hinc etiam *rupestris* vocatur. Optima, maxime reficiens et purissima omnium Aquarum utplurimum haec montana est et maximam copiam Aeris fixi et materiei caloris continet. Hinc ubi haberi potest, pro potu quotidiano omnibus reliquis est praeferenda. Ideo etiam Aqua cocta et glacialis, Acido aereo et materia caloris orbatae, pro potu insalubres.

Aqua putealis est Aqua e solo Regionum planarum scaturiens. Admodum variat haec Aqua prout solum putei *argillosum*, *arenosum* vel *lutosum* est. Ex puteo *arenoso* bona, ex *argilloso* mala, ex *limoso* pessima est. *Aqua putealis*, cujus scaturigo ex monte in puteum ducitur, salubris est et sana, at, cujus scaturigo ex solo arenoso vel argilloso est, fere semper dura seu calcareo - selenitica aliosque Sales terrestres solutos continet. Ad obstructiones viscerum plerumque disponit et longiori saltem usu labem sanitati minatur.

Aqua *bona* debet esse pellucida, absque odore, sapore et colore, levis, frigida, Aere fixo et materia caloris donata et Analysi chemica examinata nullum exhibere principium heterogenum.

VI-

VIRES. *Aqua* pura *frigida* sola corpus non nutrit, at sitim exstinguit, roborat, refrigerat, corpus humectat, ne exsiccetur, humores diluit, attenuat, ne spissitudine reddantur immeabiles, excretiones humorum vitae actionibus corruptorum per renes, cutim et alvum promovet, et sanitatem illibatam conservat. Hinc *Aqua frigida* absorbendo materiam caloris tam *interne* quam *externe* medicamentum est refrigerans, roborans et attenuans et *Aqua calida* est attenuans et relaxans. Pro usu interno gradu frigoris 30 aut 40mo Therm. Fahrenh. supra o optima temperatio frigoris erit, major gradus frigoris pro usu externo adhibetur. Aqua frigida a materia caloris contenta fluida conservatur, ablata hac materia caloris ad certum gradum specifici caloris solidum corpus fit, quod *Glacies* nominatur.

USUS. *Interne* Aqua pura frigida autem naturalissimus et saluberrimus est potus; quem natura homini omnibusque assignavit animantibus. Hydropotae appetitu, gustu, olfactu, visu et memoria prae Zythopotis et oenopotis excellunt. Multi denique morbi copiosiori potu Aquae frigidae curantur. Oportet autem Aquam bibere crudam et frigidam, prout natura offert; haec enim est gratior linguae, sitim magis sedans, ventriculum magis roborans, quam Aqua cocta et iterum refrigerata. Optima et purissima Aqua est *montana*, huic accedit *fluviatilis*, deterior hac jam est *putealis*. *Quantitas* potus assumendi exacta praescribi nequit; haec a siti determinatur. Homini sano sufficit, si quotidie mensuram saltem Aquae in potu et cibo hauriat. Plus sitiunt, qui vitam exercitatam, quam qui quietam exercent, plus qui assa edunt, quam qui elixa, plus qui carnes panesque, quam qui olera et fructus vel acidula vel pinguia ingerunt.

Aqua *gelidissima* nocentissima est, si hauriatur corpore calente et sudoribus perfuso, inde pleuritis, peripneumonia, polypus cordis, apoplexia, inflammatio ventriculi et hepatis, phthysis, febris inflammatoria, vehementissimi spasmi, dolorum nephriticorum exacerbatio oriuntur. Qui gelidam sitim in stadio frigoris febrium intermittentium restincturi nimis ingurgitant, placentis febrilibus (*Fieberzelten*) ut ajunt, corripiuntur. Exercitati innoxie Aquam frigidam bibere dicuntur, si post ejus haustum laborem vel motum continuant. Sed prodest Aquae frigidissimae haustus in debilitate ventriculi et in febre biliosa, et morbis ab his causis originem ducentibus. *Aqua* potui quotidiano *inepta* vel *nociva* est Aqua *putrida*, quae nempe *Aerem putridum* ut Aqua diu in vasis retenta, magna copia continet, qui odore nauseosissimo noscitur, si Aqua talis ad quartae partis remanentiam incoquatur, producit febres putridas, diarrhoeam, vomitum, nauseam. *Emendatio* fit, si Aqua diu Aeri exposita et bene agitata fuerit. Unicum Aeris putridi antidotum et corrigens esset immixtio Aeris fixi. Alii Acetum immiscent, Romanis militibus ideo *posca* ad sitim restinguendam porrigebatur. Magna est in navibus miseria, si longis itineribus marinis Aqua cadis excepta corrumpatur et insectis tota scateat. Conservari Aquam in vasis lapideis prius Aqua fervida bene purgatis, dein *fumo sulphuris accensi* impraegnatis, et tandem instillatis Aquae Olei Vitrioli guttis aliquot, experientia docuit. Ita nuper celeb. LOWIZ (*Anzeige eines neuen Mittels, Wasser auf Seereisen vor dem Verderben zu bewahren, und faules Wasser wieder trinkbar zu ma-*

chen.

chen. S. Petersb. 1790. 8. *p.* 12.) ut carbonum pulvere intermisto Aquam jam corruptam penitus restitueret, Vitrioli Acidum in subsidium vocavit, et per drachmam carbonum et Acidi Vitrioli fortioris guttas duas Aquae putridae uncias quatuor recentissimae simillimas reddidit.

Externe vasa et fibras irritat et contrahendo roborat, humores repellit, absorbendo materiam caloris refrigerat. Aqua frigida ad sanguifluxum sistendum *externe* applicatur in haemorrhagia narium, haemophthysi, vomitu cruento, haemorrhagia uterina, vulnerum, in synoviae fluxu e vulnere vel ulcere articulari coercendo. In commotione cerebri, medullae spinalis vel alius partis cum vel sine effusione sanguinis, in insolatione capitis vel alius partis. In distorsione pedis, vel manus, in luxatione reposita, in contusione acetabuli femoris, in fractura reposita, in contusione quacunque, in doloribus a fractura sanata remanentibus. In ulceribus laxis, oedematosis et scrophulosis, in excoriatione aurium, in iridis, ani, vaginae et uteri prolapsu, in diastasi pelveos, in laxitate articuli. In herniis incarceratis, in cirsocele. In ambustione, in pernione, in incipiente inflammatione quacunque, in inflammatione cruris a clavi pedis excisione, in erysipelate chronico, in tumoribus oedematosis, podagricis et rheumaticis, in podagra retrograda ad caput, pulmones vel alias partes, in haemorrhoidibus tumidis. In gangraena a gelu, decubitu, febre putrida. In ischuria, enuresi, et diabete, in surditate, aphonia et raucedine chronica, in memoriae debilitate, epilepsia, mania, paralysi. In oculorum inflammatione incipiente, in chronica, in amaurosi, aliisque oculi morbis ab atonia vel paralysi ortis, ad servandos oculos sub morbo varioloso, in prolapsu palpebrae superioris, in animi deliquiis demum adspersio faciei cum Aqua frigida juvat.

Nix, *Schnee*, est Aqua gelu in floccos seu crystallos glaciales mutata. VIRTUS est eadem, at efficacior quam Aquae frigidae. Adhibetur ad partes gelu perustas, et paralyticas fricandas, ad haemorrhagiam narium effrenem fronti imponitur. *Glacies*, *Eis*, est Aqua gelu in massam solidam mutata. Vires easdem sed majori gradu possidet, imo gradus frigoris Glaciei adhuc magis augetur, admiscendo aequales partes Salis Ammoniaci, Nitri prismatici et Salis mirabilis Glauberi cum aliqua quantitate Acidi Vitrioli aut Aceti et laudatur in mania, in herniis incarceratis, luxationibus, paralysi, et contusionibus; tamen absit major inflammatio, alias nocet Aqua frigida eo magis Glacies, quia tum instar medicamenti repellentis agit. Glacies longe efficacior quam Aqua frigida forma fomenti; contunditur in parva frustula, et inter linteamina parti affectae applicatur. Hinc optandum esset, ut Pharmacopolae Glaciem quoque semper omni anni tempore in cella adaptata servarent. Magis enim saepe conducit, quam multa alia, quae saepe cum detrimento applicantur.

Balneum frigidum purificat cutim a sordibus, sudoribus et exhalationibus oleosis; resolvit poros cutis et transpirationem auget; etiam aliquid resorbetur, quod humores spissos attenuat et solida roborat. Hinc in morbis a laxitate solidorum ortis optime convenit, sic in debilitate chronica, tumoribus frigidis, in rachitide, in rheumatismo chronico, scrophulis et ulceribus laxis, in scorbuto, in gelatione totius corporis, in hydro-

dro-

drophobia, in prolapsu uteri, vaginae, ani etc. balneum in *Aqua frigida fluviatili* egregias vires exserit.

II. AQUA COMMUNIS CALIDA.

Gemeines warmes Wasser.

VIRES. Relaxantes fibras et vasa, humectates, attenuantes; humores impactos resolventes, diluentes, poros aperiendo sudorem promoventes, spasmos sopientes, calorem majorem parti conciliantes.

USUS. Adhibetur sub varia forma: *forma potus* si vomitus non statim ab assumto vomitorio sequitur, aut ad hunc minori conatu promovendum.

Forma balnei et *vaporis.*

Forma fomenti adhibetur in ulceribus crustosis, tumoribus variis. *Forma ablutionis* in scabie et sorditie capitis vel alius partis, in vulneribus et ulceribus impuris.

Forma vaporis. Multo efficacius Aquae vapor substantiam penetrat, ut Cornu Cervi solutio in gelatinam ope Machinae Papinianae docet, quam ipsius Aquae ebullientis virtus. Hinc Aquae *vapor* laudatur ad provocandos haemorrhoides; ad tumores rheumaticos vel indurationes mammarum resolvendas; ad anginam et raucedinem, odontalgiam, oezenam, surditatem et otalgiam curandam et oedemata labiorum vulvae discutienda, ad vaginam sub partu relaxandam.

Fumigatio volatilis. Vas, quod operculum infundibuliforme cum tubo angusto ex operculi apice exeunte gerit cum Sale Tartari et Sale Ammoniaco ad libitum impletur, dein Aqua fervida vas impletur. Vapor e tubo exiens parti aegrotae applicatur. Haec fumigatio in surditate, paralysi, rheumatismo, anchylosi magno cum fructu adhibetur.

Forma embrocationis et stillicidii in tumoribus frigidis articularibus.

Forma pediluvii in venaesectione pedis, in clavis digitorum pedis, in arctura unguis et pro revulsione in ophthalmia atque angina. Etiam solum pediluvium calorem, sudorem et pulsum frequentiorem in toto corpore excitat.

Forma maniluvii in venaesectione manus.

Forma semicupii in calculo renum, in herniis incarceratis, in placenta remanente, in urinae retentione.

Forma balnei. Calor Aquae pro balneo sit juxta gradum 60 ad 90 Therm. Fahrenh.; adhibetur balneum in scabie, in asphixia a commotione seu contusione capitis vel pectoris, in constipatione alvi pertinaci, in incarceratis, in tetano universali aut maxillae, in obstructionibus viscerum, in defectu mensium a rigiditate vasorum, in hydrophobia, in doloribus calculosis, ischuria, scabie retropulsa, in rheumatismis et variis morbis a transpiratione suppressa ortis, in eruptione variolarum cute nimis tensa, sed semper tale balneum calidum adhibeatur absente plethora, et primis viis antea purgatis. *Balneum* in Aqua, in qua Ferrum candens saepius exstinctum fuit, est Aqua in qua Ferrum Acido Aereo solutum habetur et Aer inflammabilis generatur seu extricatur; hoc quoque solvens, roborans et irritans remedium est juxta cel. LENTIN. Ita in eun-

dem usum SPECIES PRO SUBSTITUTO BALNEI FERRI GRANULATI (vide *praeparata extemporanea P. II. Sect. II.*) similiter egregias vires juxta cel. NAUMBURG exserunt. (vide ejus *Abhandlung von der Beinkrümmung nebst einer Beschreibung der Ehrenmannischen Fufsmaschine etc.* 8. *mit Kupfern. Leipzig* 1796. *p.* 39. *et sqq.*). Praecipue in rachitide, paralysi, debilitate chronica, rheumatismo inveterato, puogenia ulcerum et scrophulis conveniunt. Modum adhibendi (vide inter *praeparata extemporanea.*).

§. II. *AQUAE MINERALES MEDICATAE INDIGENAE,*
ET
THERMAE MONARCHIAE AUSTRIACAE CELEBRIORES.

Harum descriptionem ex opere egregio Illustr. L. B. de CRANTZ Professoris quondam amantissimi (*Gesundbrunnen der österreichischen Monarchie. Wien in Unterösterreich* 1777.) nominatim solummodo et in quasdam *Classes* divisas huic *Dispensatorio universali* inserere volui. Ob novas hisce lustris in Chemia factas observationes et experimenta et inde hujus scientiae progressus eximios, nova quarundam *Aquarum mineralium* quoque et emendata deberent institui examina, quem gravem laborem *Professori* cuidam *Chemiae* exercitato relinquo. Hinc qui exactam descriptionem harum scire cupit, videat interim supra citatum opus Illust. L. B. de CRANTZ, praeterea etiam cel. ZÜCKERT (*systematische Beschreibung aller Gesundbrunnen und Bäder Deutschlands. Ed. II. Königsberg* 1776.) et etiam egregium opus cel. KÜHN (*Systematische Beschreibung der Gesundbrunnen und Bäder Deutschlands. Bresslau und Hirschberg.* 1789. 8.) donec alius forte hunc laborem suscipiat, et omnes has Aquas et Thermas in ipso loco scaturiginis juxta novas chemiae observationes examini subjiciat. Medicus clinicus interim ex hac *Classificatione* harum VIRES facile dijudicare poterit. Haec enim *Classificatio* juxta PRINCIPIA CONSTITUTIVA praecipua et eminentiora instituta fuit.

I.

I.

AQUAE MINERALES MEDICATAE MONARCHIAE AUSTRIACAE CELEBRIORES.

I.

Aquae medicatae alcalinae, seu lixiviosae.

2.

Aquae medicatae amarae.

3.

Aquae ferratae, seu martiales.

II.

BALNEA, seu THERMAE MONARCHIAE AUSTRIACAE CELEBRIORES.

I.

Thermae alcalinae, seu lixiviosae.

2.

Thermae hepaticae, seu sulphureae.

3.

Thermae ferratae, seu martiales.

III.

DE EXAMINE AQUARUM MINERALIUM.

I.

AQUAE MINERALES MEDICATAE MONARCHIAE AUSTRIACAE CELEBRIORES.

I.

Aquae minerales medicatae alcalinae, seu lixiviosae.

Harum *Principia* seu partes constitutivae sunt praecipue Aer fixus, Sal alcalinus aut Terra alcalina.

Aquae alcalinae Bohemiae.

Aqua alcalina Bohemiae *Bilinensis* dicta. *Biliner Sauerbrunn in Böhmen.*
Haec Aqua in Bohemia in circulo Saazensi horae quadrante ab urbe *Bilin* e petra proserpit.

PRINCIPIA. Praeter supra memorata pauxillum Martis continet.

Aqua alcalina Bohemiae *Buch*, seu *Radisfurtensis* dicta. *Buch*, *Radisfurter oder Gifshübler Säuerling in Böhmen.*
Haec Aqua in Bohemia in ditione Elenbognensi prope *Radisfurth* tribus milliaribus a Karlsbad prosilit; nihil Ferri continet, et Viennae haberi potest.

VIRES. Aquae Selteranae praeferenda. Vires possidet solventes, incidentes.

USUS. Praecipue in obstructionibus viscerum, ictero, scorbuto, hydrope, arthritide, nephritide, calculo renum et vesicae, ulceribus internis, morbis pectoris consumtivis, morbis nervorum, contractura, haemorrhoidum ac mensium suppressione utiliter adhibetur.

Aqua alcalina Bohemiae *Nachod* dicta. *Nachod Sauerbrunn in Böhmen.*
Haec Aqua in Bohemia in Circulo Regino - Hradeciensi dimidio milliari a pago *Nachod* in sylva propullulat.

PRINCIPIA. Praeter Aerem fixum copiosum, copiam Salis alcalini terrestris, Sal mirabile et aliquam quantitatem Ferri continet.

VIRES. Solventes, incidentes, et parum roborantes exserit.

USUS. In obstructionibus viscerum etc. utiliter adhibetur.

Habentur adhuc innumerae Aquae medicatae in Bohemia et Moravia, quarum Examina chemica adhuc desiderantur.

Aquae

Aquae alcalinae Carinthiae.

Aqua alcalina Carinthiae *Brebel* dicta. *Brebel Sauerbrunn in Kärnthen.*
Haec Aqua alcalina in Carinthia ternis ab urbe *Wolfsberg* dissito loco *Brebel* sive *Brebelau*, in radice montium in amoeno valle provenit.

PRINCIPIA. Multum Salis alcalini mineralis et pauxillum Terrae martialis continet.

VIRES. Solventes, incidentes, antacidas exserit.

Aqua alcalina Carinthiae *Jerlach* dicta. *Ierlach Sauerbrunn in Kärnthen.*
Haec Aqua in Carinthia in prato prope fluvium *fella* milliaris distantia ab urbe *Capella* seu *vindica Capell* dicta limitibus Carnioliae adjacente prorumpit.

PRINCIPIA. Praeter Spiritum mineralem, seu Aerem fixum, Sal alcali, Terram calcaream et aliquid Ferri continet.

VIRES. Solventes, saponaceas, antacidas, incidentes et leniter roborantes possidet.

Aqua alcalina Carinthiae *Klieninggraben* dicta. *Klieninggraben Sauerbrunn in Kärnthen.*
Haec Aqua quinque milliaribus ab urbe *Wolfsberg* in Carinthia e radice montis quadrante horae distante ab urbe St. *Leonard* prorumpit.

PRINCIPIA. Praeter Aerem fixum, Terram calcaream, Sal alcali minerale, et pauxillum Ferri continet.

VIRES. Solventes, antacidas, incidentes et roborantes possidet.

Aqua alcalina Carinthiae *Linzmühl* dicta. *Linzmühl Sauerbrunn in Kärnthen.*
Haec Aqua binis a *Wolfsberg* sejuncta horis et totidem ab urbe St. *Leonard* milliare unum a *Brebel* loco *Linzmühl* dicto provenit.

VIRES. Antacidas, solventes et incidentes possidet.

Aqua alcalina Carinthiae *Paulitsch* dicta. *Paulitsch Sauerbrunn in Kärnthen.*
Haec Aqua retro *Krainerisch Capell* ex montibus clara et pellucida provenit.

PRINCIPIA. Eadem ut Aquae *Jerlach.*

VIRES. Ut Aquae *Jerlach.*

Aquae alcalinae Croatiae.

Aqua alcalina Croatiae *Laszina.* *Laszina Sauerbrunn in Kroatien.*
Haec Aqua in limite Banatus dimidiae horae ab oppido *Laszina* intervallo ad radicem montium Stagno adjacentium triplici fonte prorumpit, bini turbidi non potantur, tertius clarus, crystallinus scaturiens.

VIRES. Cum Aquis Selteranis exoticis certantes possidet, imo efficacior, magis alcalescens, et leniter purgans.

Aquae

Aquae alcalinae Hungariae.

Aqua alcalina Hungariae *Batzuch* dicta. *Batzuch Sauerbrunn in Ungarn.*
Haec Aqua in Hungaria in Comitatu Soliensi horae quadrante a pago *Batzuch* e petra prosilit.

PRINCIPIA. Continet magnam copiam Aeris fixi et Salis alcali pauxillum Ferri.

VIRES. Aquae Selteranae exoticae substituenda.

Aqua alcalina Hungariae *Bessenova* dicta. *Bessenova Sauerbrunn in Ungarn.*
Haec Aqua in Comitatu Liptoviensi supra pagum *Bessenova* collis sat alti pluribus fontibus prorumpit, qui inter se communicant et iisdem principiis donati sunt.

PRINCIPIA. Praeter pauxillum Martis, Terram calcaream et multum Salis alcalini mineralis continet.

VIRES. Diureticas, antacidas, solventes et eccoproticas possidet.

Aqua alcalina Hungariae *Buddisch* dicta. *Buddisch Säuerling in Ungarn.*
Haec Aqua in Hungaria in Comitatus Thuroziensis parte superiori pagum *Buddisch* pro natali suo loco salutat.

PRINCIPIA. Continet copiosum Aerem fixum et Sal alcali minerale in magna quantitate cum pauxillo Ferri.

Aquae duae alcalinae Hungariae *Na-Brezine* et *Pod-Ochuston* dictae. *Der Na-Brezine und Pod-Ochuston Sauerbrunn in Ungarn.*
Hae duae Aquae in Comitatu Liptoviensi scaturientes in genere vocantur Aquae *Szent-Ivany;* etsi vicinia haecce pluribus gaudeat Fontibus medicatis, tamen hae duae Aquae *Na-Brezine et Pod-Ochuston* ob salubres partes constitutivas reliquis praeferuntur.

PRINCIPIA. Praeter magnam copiam Aeris fixi et Salis alcalini pauxillum Ferri continent.

VIRES. Solventes et detergentes possident.

USUS. In phtysicis et tabescentibus salubres sunt.

Aqua alcalina Hungariae *Pinkenfeldensis* dicta. *Pinkenfelder Sauerbrunn in Ungarn.*
Haec Aqua in Hungaria in Comitatu Castroferriensi vicum *Pinkenfeld* sedecim a *Vindobona* dissitum milliaribus, Stiriae Austriaeque conterminum ornat.

PRINCIPIA. Continet copiosissimum Aerem fixum effervescentem et copiosum Salem alcalinum mineralem cum pauxillo Ferri.

VIRES. Aquae Selteranae exoticae similes.

Habentur in Hungaria adhuc innumerae Aquae minerales medicatae, quae Scrutinio chemico exacto nondum subjectae erant, hinc necdum principia, nec vires patent.

Aquae

Aquae alcalinae Moraviae.

Aqua alcalina Moraviae *Luchadsowice* dicta. *Luchadsowiz Selterwasser in Mähren.*

Haec Aqua in Moravia in Circulo Hradichensi, haud procul a pago *Hluchacovitz* profluit.

PRINCIPIA. Praeter magnam copiam Aeris fixi effervescentis et Salis alcalini mineralis aliquid Martis continet.

VIRES. Aquis Selteranis exoticis fortior et anteponenda, huinc minori dosi exhibenda. Viennae haberi potest.

Aqua alcalina Moraviae *Napagedle* dicta. *Napagedle Sauerbrunn in Mähren.*

Haec Aqua in Moravia haud procul a fluvio *March* seu *Hradisch* dicto prorumpit.

PRINCIPIA. Haec Aqua manifeste Ferrum continet praeter reliqua principia.

VIRES. Inter reliquas Aquas Selteranas, seu alcalinas Moraviae fortissima est.

Aqua alcalina Moraviae *Nesdenize* dicta. *Nesdeniz Selterwasser in Mähren.*

Haec Aqua in Moravia in Dominio Serenissimi Principis a *Kauniz Rittberg* prope pagum *Nesdenize* prosilit.

PRINCIPIA. Praeter magnam copiam Aeris fixi effervescentis et Salis alcalini mineralis pauxillum Ferri continet.

VIRES. Non adeo fortis ut Luchadsowicensis.

Aqua alcalina Moraviae *Sucholoza* dicta. *Sucholoza Selterwasser in Mähren.*

Haec Aqua in Moravia prope pagum *Sucholoza* in prato offenditur.

PRINCIPIA. Praeter ingentem copiam Aeris fixi et Salis alcalini mineralis, Martem manifestius continet.

VIRES. Selteranis exoticis praestantiores, cauta tamen exhibenda dosi.

Aqua alcalina Moraviae *Zahorowitz* dicta. *Zahorowizer Selterwasser in Mähren.*

In Dominio Comitis St. *Julien* pagus *Zahorowiz* duobus fontibus Selteranis superbit. Fons *superior* prope Arcem *Swietlau.* Fons *inferior* mille passibus a priori dissitus. *Inferior*, *superiori* puritate et viribus praefertur.

PRINCIPIA. Fons *inferior* praeter ingentem copiam Aeris fixi effervescentis et Salis alcalini mineralis, valde parum Ferri continet.

VIRES. Selteranis exoticis similes.

USUS. In ictero, calculo renum et vesicae, ac strumis egregias vires exserit.

Aqua

Aqua alcalina Silesiae.

Aqua alcalina Silesiae *Würbenthalensis* vulgo *Hinnewieder inferior* dicta. *Würbenthaler Sauerbrunn, insgemein der untere Hinnewieder genannt.*

Haec Aqua in Silesia non longe a *Würbenthal* pago Dominii *Freudenthal* milliari ab *Engelsberg* et *Würbenthal* dissito loco in centro montis strepentibus undis prorumpit.

PRINCIPIA. Praeter reliqua principia aliquid Martis continet.

VIRES. Solventes, incidentes et roborantes possidet, hinc Selteranis exoticis praeferenda.

USUS. In obstructionibs viscerum, palpitatione cordis, melancholia etc. egregias vires exserit.

Aquae alcalinae Styriae.

Aqua alcalina Styriae *Sulzleiten* dicta. *Sulzleiten Säuerling in Steyermark.*

Haec Aqua in Styria inferiori septem milliaribus ab urbe Graecio et tribus a *Ratkersburg* prope arcem *Gleichenberg* e Terra sabulosa provenit.

VIRES. Cum Selterana exotica convenit.

Aqua alcalina Styriae *Zlattendorf. Zlattendorf Sauerbrunn in Steyermark.*

Haec Aqua alcalina in Styria in valle pago *Zlattendorf* subjacente scaturit.

VIRES. Haec Aqua Selteranae exoticae substituenda.

In centro Ducatus Carnioliae prope *Auersperg*, *Rosseck* et *Alteneinödt* aliisque in locis celebres inveniuntur Fontes medicati, verum nondum Examini chemico subjecti fuerunt.

Aquae alcalinae Transylvaniae.

Aqua alcalina Transylvaniae *Bozes* dicta. *Bozes Säuerling in Siebenbürgen.*

Haec Aqua alcalina in Transylvania in Comitatu Huniadensi retro pagum *Bozes* ad radicem montis rupibus asperi promanat.

PRINCIPIA. Praeter reliqua pauxillum Ferri continet.

VIRES. Selteranis exoticis similes.

Aqua alcalina Transylvaniae *Kaszon* dicta. *Kaszon Säuerling in Siebenbürgen.*

Haec Aqua alcalina in Ditione Zecklensi Csic Pago binarum dierum intervallo a *Kronstadt* remoto ad radicem collis prosilit.

PRINCIPIA. Praeter copiosum Aerem fixum effervescentem, Salem mirabilem, magnam copiam Salis alcalini mineralis et parum Ferri continet.

VIRES. Solventes, incidentes, et roborantes possidet.

USUS.

USUS. In obstructionibus viscerum, mesenterii, renum ulceribus detergendis et morbis cutaneis feliciter adhibetur.

Habentur adhuc innumerae Aquae medicatae in Transylvania quarum Examina chemica desiderantur.

Aquae alcalinae Tyrolis.

Aqua alcalina Tyrolensis *Landeck* dicta. *Landeck Sauerbrunn in Tyrol.*
Haec Aqua alcalina in vicinia pagi *Landeck* prope fluvium *Lahn* ex monte scaturiens offenditur.

PRINCIPIA. Praeter reliqua, etiam aliquid Ferri continet.

VIRES. Solventes et antacidas possidet.

Aqua alcalina Tyrolensis *Trasp* dicta. *Sauerbrunn zu Trasp in Tyrol. vide* Aquam amaram *Trasp.*

VIRES. Fortior est Aquae Selteranae exoticae.

2.

Aquae minerales medicatae amarae.

Harum *Principia*, seu partes constitutivae sunt praecipue Aer fixus, Sal mirabile, et Terra Magnesia.

Aqua amara Austriae inferioris.

Aqua amara Austriae inferioris *Garschenthal* dicta. *Garschenthal Brunn.*
Haec Aqua amara in pago *Garschenthal* in confiniis Austriae Moraviam versus adjacente in Dominio serenissimi Principis a *Liechtenstein* provenit.

PRINCIPIA. Praeter reliqua principia copiosum Salem amarum et pauxillum Ferri continet.

VIRES. Aquae Egranae similes.

Aquae amarae Bohemiae.

Aqua amara Bohemiae Egrana dicta. *Egerwasser in Böhmen.*
Haec Aqua amara in Bohemia in Ditione Egrana hora una ab urbe *Eger* prope pagum *Scheda* dictum ex monte rupibus aspero prosilit.

PRINCIPIA. Pertinet ad Aquas amaras ob Salem mirabilem copiosum, praeterea aliquid Ferri continet. Viennae haberi potest.

Aqua amara Bohemiae *Seidschüzensis* dicta. *Seidschüzer Bitterwasser in Böhmen.* Viennae haberi potest.

Aqua amara Bohemiae *Sedlitzensis* dicta. *Sedlizer Bitterwasser in Böhmen.* Viennae haberi potest.

In Bohemia in valle *Teplitz* prope montem *Wachlberg* diversis in locis numerosae scaturigines amaricantes effundunt Aquas, virtute multum inter se diversa. Ex cunctis tamen *Sedlizenses* et *Seidschützenses* palmam praeprimis tenent, et nihil Ferri continent.

PRINCIPIA. Aqua amara *Sedlizensis* plus Salis mirabilis quam Aqua *Seidschützensis* continet.

VIRES. Purgantes.

Aqua amara Hungariae.

Aqua amara Hungariae *Koschowitzensis* dicta. *Koschowizer Bitterwasser in Ungarn.*

Haec Aqua in Hungaria trans Tibiscum in Comitatu Temesiensi prope montem *Koschowitz* offenditur.

Aqua amara Transylvaniae.

Aqua amara Transylvaniae *Mocks* dicta. *Mocks Bitterwasser in Siebenbürgen.*

Haec Aqua in Principatu Transylvaniae in Comitatu Claudiopolitano in pago *Mocks* hujus Comitatus scaturit.

VIRES. Efficaciter purgantes.

Aqua amara Tyrolis.

Aqua amara Tyrolis *Trasp salita* dicta. *Trasper Salzwasser in Tyrol.*

Tyroli hora ab Arce Caesarea ejusdem nominis dissitus locus *Trasp* duas profert scaturigines; *una* quadrante horae ab hoc loco dissita est Aqua medicata *alcalina* seu *lixiviosa Trasp* dicta Selteranam exoticam viribus superans; *altera* est Aqua medicata *amara* prope fluvium Oenum *Trasp salita* dicta ex praecipitio rupium pellucida et crystallina prosiliens, quae magnam copiam Salis mirabilis continet et efficacissime purgat.

3.

Aquae minerales medicatae ferratae, seu martiales.

Harum *Principia*, seu partes constitutivae praecipue sunt Aer fixus et Ferrum. Noscuntur ex sapore adstringente atramento simili, cum corporibus vegetabilium adstringentibus plus vel minus colorem rubescentem usque ad nigrum induunt. Syrupo Violarum plerumque viridem conciliant colorem. Aeri aperto expositae Ferrum ad fundum vasis dimittunt seu praecipitant; aut Ferrum lateribus vasis adhaeret, et tunc sapor Aquarum non amplius adstringens sed putrescens est. Ut plurimum *Aerem*

rem fixum continent, saepe etiam *Aerem sulphureum* seu *vitriolicum*. Saepe intra canales Crocum rubescentem copiosum deponunt. Effervescunt cum Vino pro parte adeo ut Aquae medicatae alcalinae. Quaedam etiam Sal alcali minerale, et varia Salia media continent.

Aquae ferratae Bohemiae.

Aqua ferrata Bohemiae *Gabel* dicta. *Gabel Sauerbrunn in Böhmen.*
Haec Aqua ferrata in Bohemia in Circulo Bunzlaviensi prope urbem *Gabel*, ad confinia Lausnitz offenditur.

PRINCIPIA. Praeter copiosum Aerem fixum, Vitriolum Martis et pauxillum Salis amari continet.

VIRES. Roborantes possidet.

Aqua ferrata Bohemiae *Mariascheiner* dicta. *Mariascheiner Sauerbrunn in Böhmen.*
Haec Aqua ferrata in Bohemia in Circulo Leitmeritzensi in pago *duabus* scaturiginibus propullulat. Una vocatur *Fress* - seu *Eisenwasser*, haec praecipue in usum trahitur.

PRINCIPIA. Aqua *Fress*- seu *Eisenwasser* praeter Aerem fixum, Vitriolum Martis, et Sal amarum continet.

VIRES. Roborantes.

USUS. In laxitate solidorum, fluore albo, defectu mensium, debilitate uteri et sterilitate inde dependente adhibetur.

Aqua ferrata Bohemiae *Sternberg* dicta. *Sternberger Sauerbrunn in Böhmen.*
Haec Aqua ferrata in Bohemia in Circulo Raconitzensi in Dominio *Smetschna* prope villam *Sternberg* occurrit. Est egregia Aqua ferrata et Viennae haberi potest.

Aquae ferratae Carinthiae.

Aqua ferrata Carinthiae *Gmunt* dicta. *Gmunt Sauerbrunn in Kärnthen.*
Haec Aqua ferrata in Carinthia superiori prope urbem *Gmunt* ad radicem montis erumpit. Est egregia aqua ferrata.
Aqua ferrata Carinthiae *Neuschütz* dicta. *Neuschütz Sauerbrunn in Kärnthen.*
Haec Aqua ferrata in Carinthia dimida a *Gmunt* hora, in prato plus una scaturit vena.

PRINCIPIA. Praeter copiam Aeris fixi effervescentis, Ferrum et Salem amarum continet.

VIRES. Roborantes et catharticas exserit, ut Aqua Roitschensis.

Aquae ferratae Hungariae.

Aqua ferrata Hungaria *St. Andreae v. Andras* dicta. *St. Andreä oder Andras Sauerbrunn in Ungarn.*

Haec Aqua ferrata in Hungaria cis Tibiscum in Comitatu Zipsiensi pago St. Andreae viae, qua a *Leutschau Popradium* itur, a dextris adjacente offenditur.

PRINCIPIA. Praeter ingentem copiam Aeris fixi, moderatam Martis, et sufficientem Salis amari et alcali mineralis continet.

VIRES. Praeter tonicas, solventes et antacidas possidet.

Aqua ferrata Hungariae *Borkut* dicta. *Borkut Sauerbrunn in Ungarn.*

Haec Aqua ferrata in Hungaria in Comitatu Zatmahriensi in vicinia urbis *Felso - Banya* e colle prosilit in sylva.

VIRES. Est species Aquae Spaadanae exoticae.

Aqua ferrata Hungariae *Chocholna* dicta. *Chocholna Sauerbrunn in Ungarn.*

Haec Aqua ferrata in Hungaria in Comitatu Trentschinensi milliari ab urbe *Trentschin* in valle coronata collibus profluit.

PRINCIPIA. Praeter copiosum Aerem fixum et Martem, Salem mirabilem continet.

VIRES. Solventes, tonicae.

USUS. In febribus intermittentibus, phthysi, scorbuto et melancholia etc. egregias vires exserit.

Aqua ferrata Hungariae *Grosschlagendorf* dicta. *Grosschlagendorf Sauerbrunn in Ungarn.*

Haec Aqua ferrata in Hungaria cis Tibiscum in Comitatu Zipsiensi pago in montibus Carpaticis sito supra *Popard* aut *Denschendorf* sito prorumpit.

PRINCIPIA. Praeter copiam Aeris fixi, Vitriolum Martis et Sal commune continet.

VIRES. Solventes et roborantes possidet.

Aqua ferrata Hungariae *Kiss - saros* dicta. *Kiss - saros Sauerbrunn in Ungarn.*

Haec Aqua ferrata in Hungaria cis Tibiscum in Comitatu Saroschiensi proprovenit.

PRINCIPIA. Penetrantia adeo exspirat effluvia, ut gas sylvestre Helmontii ibidem latitare credendum foret, quod tamen hodie patet, nil, nisi ingentem copiam Aeris fixi effervescentis esse, praeterea copiam Martis continet.

VIRES. Tonicae, solventes, detergentes.

USUS. Martialis haec Aqua incolis Eperiaei chara et ibidem etiam *externe* in variis morbis cutaneis Balnei forma cum fructu adhibetur.

Aqua

Aqua ferrata Hungariae *Krasnadolina* dicta. *Krasnadolina Sauerbrunn in Ungarn.*

Haec Aqua ferrata in Hungaria in Comitatu Neutrensi hora a *Sastraba* in valle duobus intercepta montibus profluit. Etiam *Grasnawa Woda* appelatur haec Aqua. Est egregia Aqua martialis roborans ob Vitriolum Martis contentum.

Aqua ferrata Hungariae *Kubra* dicta. *Kubra Sauerbrunn in Ungarn.*

Haec Aqua ferrata in Hungaria una circiter a Trentschinio hora inter pagos Gros et Klein *Kubra* in valle offenditur nitida, claris et crystallinis undis.

PRINCIPIA. Praeter copiosum Aerem fixum et moderatam quantitatem Martis, Sal alcali minerale et Salem amarum continet.

VIRES. Praeter tonicas, potissimum solventes.

USUS. In obstructionibus hepatis et lienis utiliter adhibetur.

Aqua ferrata Hungariae *Slatnikowa Woda* dicta. *Slatnikowa Woda Sauerbrunn in Ungarn.*

Haec Aqua ferrata in Hungaria in Comitatu Neutrensi haud procul a pago *Slatnik* exoritur

PRINCIPIA. Praeter consueta, etiam alcali minerale continet.

VIRES. Praeter roborantes quoque solventes possidet.

Aqua ferrata Hungariae *Szlets* dicta. *Szlets Sauerbrunn in Ungarn.*

Haec Aqua ferrata in Hungaria in Comitatu Liptoviensi in vicinia Ditionis Szletsensis scaturit prope molendinam Domini *Rakouszky*.

PRINCIPIA. Praeter copiosum Aerem fixum effervescentem, Martem et Sal alcali minerale continet.

VIRES. Tonicae et solventes.

USUS. In laxitate primarum viarum, nephritide a calculo, scorbuto, arthritide etc. laudatur.

Aquae ferratae Moraviae.

Aqua ferrata Moraviae *Andersdorf* dicta. *Andersdorf Sauerbrunn in Mähren.*

Haec Aqua ferrata in Moravia in pago *Andersdorf* dominii serenissimi Principis *a Liechtenstein* binis horis ab urbe *Sternberg* dissito offenditur.

PRINCIPIA. Praeter Aerem fixum copiosum, Vitriolum Martis et Sal alcali minerale continet.

VIRES. Roborantes et solventes; est grata Aqua martialis.

USUS. In laxitate primarum viarum, fluore albo, sterilitate a laxitate, mensium anomalia etc. egregias vires exserit.

Aqua ferrata Moraviae *Irmersdorf* dicta. *Irmersdorf Sauerbrunn in Mähren.*

Haec Aqua ferrata in Moravia in praedio Comitis *Harrach* quinque horae quadrantibus a pago *Irmersdorf* prope sylvam profluit.

PRIN-

PRINCIPIA. Praeter copiosum et valde effervescentem Aerem fixum, Ferrum sat copiose cum aliqua quantitate Salis alcalini mineralis continet. Est efficax Aqua ferrata.

Aqua ferrata Moraviae *Petersdorf* dicta. *Petersdorf Sauerbrunn in Mähren.*
Haec Aqua ferrata in Moravia in pago *Petersdorf* dominii *Sternberg* dimidia hora ab *Andersdorf* et duo milliaria ab *Olmucio* dissito offenditur.
Eadem PRINCIPIA et easdem VIRES possidet ut illa *Andersdorfensis.*

Aquae ferratae Silesiae.

Aqua ferrata Silesiae *Liechten* dicta. *Liechten Sauerbrunn in Schlesien.*
Haec Aqua ferrata in Silesia in Ducatu *Jägerndorf* milliare unum ab urbe *Jägerndorf* in dominio serenissimi Principis a *Liechtenstein* in via versus Olmucium in centro pagi *Liechten* dicti scaturit.

PRINCIPIA. Praeter Aerem fixum, Spiritum Vitrioli, copiosum Vitriolum Martis et alcali minerale liberum, pro parte Acido Vitrioli junctum et Terram calcaream continet.

VIRES. Roborantes, solventes, incidentes; Spaadanis exoticis substituenda.

Aqua ferrata Silesiae *Seyfersdorf* dicta. *Seyfersdorfer Sauerbrunn in Schlesien.*
Haec Aqua ferrata in Silesia in Ducatu *Jägerndorf* pago *Seyfersdorf* dicto milliari dimidio a *Liechten* sejuncto provenit.

PRINCIPIA. Eadem, ut Aquae ferratae *Liechten* dictae, nisi quod adhuc Sal commune contentum sit.

VIRES. Praeter roborantes etiam solventes et incidentes possidet, et Spaadanis exoticis substituenda.

Aqua ferrata Silesiae *Wiese* dicta. *Wiese Sauerbrunn in Schlesien.*
Haec Aqua ferrata in Silesia in dominio Principis a *Liechtenstein* quadrante horae a *Seyfersdorf*, tribus quadrantibus horae a pago *Liechten* et milliari uno et dimidio a *Jägerndorf* distante loco inter pagum *Wiese* et *Braunsdorf* prosilit.

PRINCIPIA. Eadem cum Aqua *Lichten* et cum Spaadanis exoticis pari passu ambulant.

Optandum esset, ut Pharmacopoei sibi has celebriores *Aquas minerales indigenas* exoticorum loco compararent et majori copia Aeris fixi praeditis, ob metuendam displosionem in loco scaturiginis ad duas tertias lagenas solummodo replere permittant, sic bene obthuratae non displodantur et Aer fixus non perditur. Natura enim in Provinciis et Ditionibus Austriacis adeo fertilis est, ut ingentem copiam *Aquarum mineralium* nobis proferat, inter quas innumerae nondum exacto chemico Examini subjectae erant, et illae, quarum principia rite cognita sunt, adeo egregias vires exercent, ut illas extraneas seu *exoticas Aquas minerales* penitus carere possimus.

Aqua

Aquae ferratae Styriae.

Aqua ferrata Styriae *Klausen* dicta. *Klausen Sauerbrunn in Steyermark.*
Haec Aqua ferrata in Styria in pago *Klausen* prope *Gleichenberg* profluit.

PRINCIPIA. Praeter copiam Aeris fixi effervescentis, Ferrum et Sal amarum continet.

VIRES. Roborantes, solventes et leniter catharticas exserit, ut Aqua Roitschensis.

Aqua ferrata Styriae *Roitsch* dicta. *Roitscher Sauerbrunn in Steyermark.*
Haec Aqua in Styria inferiori prope pagum St. Crucis, in dominio *Cylly* inter loca montana enascitur, dimidio milliari a pago *Roitsch*, a quo traxit nomen, remota. Per totam Germaniam celebris.

PRINCIPIA. Praeter Aerem fixum copiosum, Ferrum quoque largiter continet cum Sale alcalino minerali et minori copia Salis mirabilis.

VIRES. Solventes leniter catharticas et roborantes possidet.

Aquae ferratae Transylvaniae.

Aqua ferrata Transylvaniae *Kovazna* dicta. *Kovaszna Sauerbruun in Siebenbürgen.*
Haec Aqua ferrata in Transylvania in ditione Zecklensi *Haromeszek* diei distantia a *Kronstadt* remoto pago *Kovaszna* tribus scaturiginibus prorumpit.

VIRES. Roborantes et incidentes, ob Vitriolum Martis et Sal commune contentum.

Aqua ferrata Transylvaniae *Pollyan* dicta. *Pollyan Sauerbrunn in Siebenbürgen.*
Haec Aqua ferrata in Transylvania in ditione Zecklensi *Haromszek* hora una ab urbe *Kezdi-Vasarrhelly* et diei distantia a *Kronstadt* dissito pago *Pollyan* ad radicem montis prosilit.

PRINCIPIA. Praeter copiam Aeris fixi effervescentis et sat copiosum Ferrum, Sal alcali minerale continet.

VIRES. Solventes et roborantes.

Aqua ferrata Transylvaniae *Radna major superior* dicta. *Der obere Radna major Sauerbrunn in Siebenbürgen.*
Haec Aqua ferrata in Transylvania in ditione Saxonica *Noesen*, hungaris *Beztertze* hora dimidia a pago *major* et ab urbe *Radna* distante valle *Radna* in vicinia fodinarum Ferri et Auri in ditione *major* non procul a *Szamos* fluvio ad radicem montium quatuor scaturiginibus ex monte rupibus aspero cum ingenti strepitu sonoro in altum prosilit.

PRINCIPIA. Praeter hunc Aerem fixum effervescentem, Martem, Salem amarum, et Sal alcali minerale continet.

VI-

VIRES. Instar Aquae Roitschensis vires roborantes, solventes et catharticas exserit.

Aqua ferrata Transylvaniae *Sollymos* dicta. *Sollimos Sauerbrunn in Siebenbürgen.*
Haec Aqua ferrata in Transylvania in Comitatu Huniadensi haud procul a pago *Sollymos* in valle *Marus* offenditur.

PRINCIPIA. Praeter copiosum Aerem fixum effervescentem, Martem sat copiose, cum Sale alcalino minerali et Sale mirabili continet.

VIRES. Solventes et roborantes.

USUS. In morbis a laxitate solidorum et humoribus pituitosis ortis.

Aquae ferratae Tyrolis.

Aqua ferrata Tyrolensis *Pey* dicta. *Pey Sauerbrunn in Tyrol.*
Haec Aqua ferrata in Tyroli in Sonnenthale prope rivum *Noss* prorumpit.

VIRES. Cum Aqua Spaadana exotica comparatur, etiam huic praefertur.

Aqua ferrata Tyrolensis *Rabbi* dicta. *Rabbi Sauerbrunn in Tyrol.*
Haec Aqua ferrata in Tyroli ex monte rupibus aspero prosilit et tres complectitur fontes, a contermino fluvio *Rabbi* suum sortientes nomen.

VIRES. Cum Spaadanis exoticis pro laurea certant, unde merito iisdem substitui possunt.

II.

BALNEA, seu THERMAE MONARCHIAE AUSTRIACAE CELEBRIORES.

I.

Thermae alcalinae, seu lixiviosae.

Harum *Principia*, seu partes constitutivae praecipue sunt Aer fixus, Sal alcalinus aut Terra calcarea.

Thermae alcalinae Bohemiae.

Thermae alcalinae calidae Bohemiae *Carolinae* dictae. *Karlsbad in Böhmen.*
Hae Thermae alcalinae in Bohemia in ditione Elenbogensi sitae, a Carolo IV. Imperatore anno 1370 detectae erant. Quinque praecipue hodiedum ibidem florent scaturigines calidae, 1mo *Sprudel*, 2do *Mühlbad*, 3^tio^ *Neubrunn*, 4to *Gartenbrunn*, 5to *Felsbrunn.* Prima scaturigo *Sprudel* dicta re-

reliquarum mater est, et in urbis medio ad ripam fluvii Töplensis in radice montis ex rupibus prosilit.

PRINCIPIA. Praeter Aerem fixum et leniter hepaticum, magnam copiam Salis alcalini mineralis, et Terrae alcalinae Tophum formantis corpora injecta incrustantem, aliquam quantitatem Ferri continet.

VIRES. Catharticas, roborantes, solventes et diureticas possident.

USUS. Tam *interne* quam *externe* praecipue in obstructionibus viscerum, nephritide a calculo, contractura, paralysi etc. utiliter adhibentur.

Thermae alcalinae calidae Bohemiae *Töplitz* dictae. *Töplitzer Bad in Böhmen.*

Hae Thermae alcalinae in Bohemia in Circulo Leitmeritzensi urbem *Töplitz* aeque ac suburbium vicinumque *Schönau* inhabitant pagum, in quo tamen ultimo pago Thermae sulphureae sunt et inter sulphureas quaerendae. Thermae alcalinae *Töplitz* proprie dictae constant ex binis scaturginibus 1mo *Scaturigo primaria* reliquarum *mater* in urbe *Töplitz* sita. 2do vulgo das *Steinbad* extra urbem sita.

PRINCIPIA. *Carolinis* similia.

VIRES. *Carolinis* similes.

USUS. *Externe* solummodo adhibentur, etsi ratione similium principiorum *interne* ut *Carolinae* tuto bibi possint; imo phthysicos sudoribus jam deliquescentes hujusce Balnei beneficio ab orci faucibus ereptos fuisse cel. *Mikan* testatur.

Thermae alcalinae Hungariae.

Thermae alcalinae Hungariae *Baldocz* dictae. *Baldocz Bäder in Ungarn.*

Hae Thermae alcalinae in Hungaria cis Tibiscum in Comitatu Zipsiensi milliari cum dimidio a *Leutschau* dissito pago *Baldocz* duplici scaturigine prosiliunt. 1ma Scaturigo in *planitie*, 2da scaturigo sive *Brada* dicta. 2da haec sive *Brada* ob majorem copiam principiorum *primae* scaturigini in *planitie* dictae praefertur.

PRINCIPIA. Eadem, ut Thermarum *Carolinarum*, nisi paululum plus Ferri contineant, etiam Tophum formant corpora injecta incrustantem.

VIRES. *Carolinis* similes.

Thermae alcalinae calidae Hungariae *Raiecz* dictae. *Raiecz Warmbäder in Ungarn.*

Hae Thermae alcalinae in Hungaria in Comitatu Trentschinensi quinque milliaria ab urbe *Trentschin* et una ab oppido *Raiecz* dissitae hora ad radicem vasti montis exoriuntur.

PRINCIPIA. Eadem ut Thermarum *Carolinarum*, nisi quod nihil martialis detegatur.

USUS. *Externus* ut *Carolinarum;* dummodo hae Thermae exactius purgarentur.

Thermae calidae alcalinae Hungariae *Trussbach* dictae. *Trussbach oder Rauschenbacher Warmbad in Ungarn.*
Hae Thermae alcalinae in Hungaria cis Tibiscum in Comitatu Zipsiensi prope arcem *Lublin* profluunt. Hieme calent, aestate frigescunt.

PRINCIPIA. *Carolinis* similia, etiam Terram alcalinam Tophum formantem corpora injecta incrustantem continent.

VIRES. *Carolinis* similes.

Thermae tepidae alcalinae Hungariae *Wudaeka* dictae. *Wudaeka Bad in Ungarn.*
Hae Thermae alcalinae in Hungaria in Comitatu Albaregalensi in urbe *Wudaeka* duabus ab *Alba regali* sejuncta milliaribus oriuntur, et ad radicem montis calvariae innumeris parvis venulis inter arenulas, silicesque prorumpunt, quos rubro, flavo nigroque ornant colore. Hae Thermae tam hyeme quam aestate aequalem tepidum gradum caloris possident, nec gelidissima hyeme congelantur.

PRINCIPIA. Praeter Salem alcalinum, Terram alcalinam, et Sal mirabile, aliquid Ferri continent.

VIRES. Saponaceas, solventes, incidentes et roborantes possident, haemorrhoidariis utiles.

Thermae alcalinae Styriae.

Thermae alcalinae frigidae Styriae *Doppel* dictae. *Doppel Bad in Ungarn.*
Hae Thermae alcalinae in Styria milliari a *Graecio* dimidio scaturiunt.

PRINCIPIA. Terram alcalinam, Sal alcali, Sal mirabile et Martem continent.

VIRES. Saponaceas, solventes, et roborantes possident.

Thermae alcalinae valde frigidae Styriae *Einöd* dictae. *Einöd Bad in Steyermark.*
Hae Thermae alcalinae in Styria prope *Friesach* et *Neumark* in loco deserto exoriuntur, a quo nomen habent.

PRINCIPIA. Praeter Terram alcalinam Marti junctam Tophum formantem, Salem muriaticum continent.

VIRES. Solventes, detergentes, et roborantes possident.

Thermae alcalinae Transylvaniae.

Thermae calidae alcalinae Transylvaniae *Gyogy* dictae. *Gyogy Bad in Siebenbürgen.*

Hae

Hae Thermae alcalinae in Transylvania in Comitatu Huniadensi hora cum dimidia a pago *Gyogy* collis conspiciuntur, scaturiginibus plus minusve calentibus celebres.

PRINCIPIA. Thermis *Carolinis* similes, et Tophum incrustantem generant.

VIRES. *Carolinis* similes.

2.

Thermae hepaticae, seu sulphureae.

Harum *Principia* seu partes constitutivae praecipue sunt Aer fixus et hepaticus, Hepar Sulphuris, Terra calcarea, Terra Magnesia, varia Salia media et etiam Ferrum. Quae solummodo Aerem hepaticum et Hepar Sulphuris continent non adeo efficaces sunt. Noscuntur ex majori aut minori odore et sapore Aeris hepatici, et Auri, Argenti, Cupri ac Auricalci superficiem nigro colore obducunt.

Thermae hepaticae Austriae.

Thermae sulphureae frigidae Austriae *Alstergasse* dictae. *Alstergasse Bad in Niederösterreich.*

Hae Thermae sulphureae in Austria inferiori in platea suburbii Viennensis, nomen praeterfluentis fluvii *Als* mutuante, offenduntur. Tempore hyemali, aut si diu stagnant odorem Lithantracum, aestate vero hepaticum habent.

PRINCIPIA. Praeter Aerem hepaticum, Terram calcaream, Ferrum, Salem glauberi et communem continent.

VIRES. Ad roborandas partes laxas, reseranda obstructa, attenuanda glutinosa utiles.

Thermae sulphureae calidae Austriae *Altenburg* dictae, *Deutsch Altenburg Bad in Niederösterreich.*

Hae Thermae sulphureae in Austria inferiori pago *Altenburg* dicto, quod vetus Romanum *Carnutum* erat, sex milliaribus Vienna remoto inter *Petronel*, et urbem *Haimburg* medio tenente loco variis locis propullulant.

PRINCIPIA. Praeter Aerem hepaticum copiosum, Hepar Sulphuris, Terram calcaream, Salem amarum et insignem copiam Salis communis et Ferri continent, ita ut indusia, lintea, maculis ochraceis tingat.

VIRES. Saponaceas, solventes, detergentes et roborantes possident.

USUS. In scabie aliisque morbis cutaneis, hydrope, ad leniendos dolores a calculo ut et podagricos etc., item vi roborante in variis morbis gaudent.

Thermae sulphureae calidae Austriae *Baaden* dictae. *Baadner Bäder in Niederösterreich.*

Hae Thermae sulphureae in Austra inferiori duobus milliaribus a Vindobona remotae, ob insignes Aquarum mineralium opes, celebri urbe *Baaden* variis locis prorumpunt. Intra urbem occurrunt

1mo Balneum Principis, *2do St. Antonii*, ambo superius septentrionem versus, *3tio* B. V. *Mariae*, inferius magis meridiem versus: Foris vero extra moenia prope Aquarum ut ajunt *Receptaculum*, *1mo* antiqua, *2do* nova scaturigo *pediluviis utraque* inserviens: reliqua in suburbio jacent, ut *4to* Balneum *S. Theresiae*, *5to S. Peregrini* in horto exstructum, quod copia Martis contenti reliqua superat, et hinc prae reliquis vires roborantes possidet. *6to S. Crucis*, *7mo S. Joannis*, *8vo S. Josephi*, *9no S. Petri*, *10mo Balneum novum* dictum, *11mo Mendicorum*, *12mo Balneum Sauerianum.*

PRINCIPIA Receptaculi ipsius seu scaturiginum pediluviis famulantium, Thermarum, nec non *S. Theresiae*, *Principis*, *S. Antonii* sunt Aer fixus et Aer hepaticus fortis, Hepar Sulphuris calcareum, Terra calcarea, Terra Magnesia, Sal amarum, Sal mirabile, selenites, insignis copia Salis communis et parum Ferri.

NOTANDUM Antiquae et novae scaturigini, quas pediluviis servire supra dixi, et Balneo *Principis*, *S. Theresiae*, *S. Antonii*, *Receptaculum* sic dictum prospicere, canaliumque ligneorum ope Aquam exillo in haec Balnea deduci, *reliqua* vero propriis ali scaturiginibus.

VIRES. Calefacientes, irritantes, diaphoreticae, solventes, roborantes.

USUS. Insigni utilitate adhibentur in morbis cutaneis et ulceribus, in scabie retropulsa, debilitate intestinorum aliarumque partium, affectibus nervorum ab acrimonia humorum, passione hysterica, sterilitate, abortu, haemorrhagia uteri, fluore albo, in paralysi praemissis praemittendis, doloribus rheumaticis, arthritide non venerea, doloribus a contusione, vulnere, fracturis ossium ad insignes tempestatis mutationes recurrentibus etc. *nocent* vero plethoricis, siccis, stricti temperamenti subjectis, arthritide venerea laborantibus, haemophthysicis, phthysicis, asthmaticis; qui plura de his Thermis valde celebribus scire cupit, videat egregium opus D. Doctoris *Schenck* Physici hujus urbis *Baaden.* (vide *Abhandlung von den Bädern der landesfürstlichen Stadt Baaden in Niederösterreich etc. Wien bey A. Schmidt* 1791. 8.).

Thermae sulphureae frigidae Austriae *Meidling* dictae. *Meidling Bad in Niederösterreich.*

Hae Thermae sulphureae in Austria inferiori pago *Meidling* dicto, non procul a suburbio Viennensi *Hundsthurn* et Arce *Schönbrunn* remotae oriuntur.

PRINCIPIA. Praeter Aerem fixum et hepaticum, Hepar Sulphuris, Terram calcaream, Terram magnesiam, Sal mirabile, Salem muriaticum et Ferrum continent.

VI-

VIRES. Leniter irritantes, leniter calefacientes, roborantes, solventes et detergentes possident.

USUS. Arte calefiunt hae Thermae et varia parva aedificia commoda pro iis exstructa sunt, qui Balneo uti volunt. In obstructionibus viscerum ictero, fluore albo, arthritide et rheumatismo, scabie etc. egregias vires exserunt.

Thermae sulphureae frigidae Austriae *Pyrawarth* dictae. *Pyrawarther Bad in Niederösterreich.*

Hae Thermae sulphureae in Austria inferiori versus Moraviam quinque milliaribus remoto pago *Pyrawarth* oriuntur.

PRINCIPIA. Praeter Aerem fixum et hepaticum, Hepar Sulphuris calcareum, Terram calcaream, Terram magnesiam, Sal mirabile, et Ferrum exigua copia continent.

VIRES. Thermis Austriae *Baadensibus* similes possident.

USUS. In nimio mensium fluxu, sistendis haemorrhagiis ab acrimonia humorum et laxitate solidorum ortis praecipue celebratas experientia fulcit.

Thermae hepaticae Bohemiae.

Thermae sulphureae frigidae Bohemiae *Auschowiz Fons Mariae* dictae. *Auschowizer Marienbrunn oder Marianischer Tepler Brunn in Böhmen.*

Hae Thermae sulphureae in Bohemia in Circulo Pilsensi prope pagum *Auschowiz* in dominio Teplensi, praeter duos alios Fontes *S. Ambrosii* et *Crucis* dictae, superius magis ex monte prosiliunt.

PRINCIPIA. Praeter copiosum Aerem fixum et hepaticum, Hepar Sulphuris calcareum, Terram calcaream, Sal amarum, alcali minerale et pauxillum Ferri continent. Variis in morbis in usus vocantur.

Thermae sulphureae frigidae Bohemiae *Gemnik* dictae. *Gemnik Bad in Böhmen.*

Hae Thermae sulphureae in Bohemia in Circulo Buntzlaviensi in districtu civitatis *Jungbuntzlau* hora una ab hac civitate sylvam pagi *Gemnik* inhabitant.

PRINCIPIA. Praeter Aerem fixum et hepaticum, Hepar Sulphuris, Terram calcaream, Salia media et Ferrum continent.

USUS. In morbis cutaneis, ulceribus, paralysi, anchylosi etc. utiliter adhibentur.

Thermae sulphureae calidae et frigidae Bohemiae *Töplitzenses Schönau* dictae. *Schwefel - Wasser zu Schönau unweit Töplitz in Böhmen.*

Hae Thermae sulphureae in Bohemia in Circulo Leitmeritzensi prope urbem Töplitz in vicino pago *Schönau* prorumpunt. In *calidas frigidasque* dispertiuntur.

PRIN-

PRINCIPIA. Praeter ingentem copiam Aeris hepatici et fixi eadem principia continent ut Thermae *alcalinae Bohemiae Töplitzenses.*

VIRES. Exserunt solventes, incidentes, detergentes, roborantes.

USUS. In variis morbis ut Thermae sulphureae Austriae *Baadenses* cum fructu adhibentur.

Thermae hepaticae Croatiae.

Thermae calidae sulphureae Croatiae *Töplitz* dictae. *Töpliz Warmbad in Croatien.*

Hae Thermae sulphureae in Croatia tribus milliaribus ab urbe *Varasdin*, in declivi planitie binis sylvestribus intercepta montibus ebulliendo cum strepitu et densis vaporibus odore adeo forti Aeris hepatici prorumpunt, ut hic in distantia mediae horae adhuc percipiatur.

PRINCIPIA. Eadem sunt ut Thermarum *Austriae Baadensium.*

VIRES. Similes Thermis *Austriae Baadensibus* possident, dummodo aedificia commoda adessent, ut viri a foeminis separatim et honeste his egregiis Thermis uti possint, et promiscuus usus vetitus sit.

Thermae hepaticae Hungariae.

Thermae sulphureae Hungariae *Almas* dictae. *Almas Bad in Ungarn.*

Hae Thermae sulphureae aestate frigidae, hyeme tepidae in Comitatu Komaromiensi ab urbe *Gran* quatuor milliaribus, ab urbe Raab septem in pago *Almas* Danubio adjacente propullulant.

PRINCIPIA. Praeter copiam Aeris fixi et Aeris hepatici, Hepar Sulphuris calcareum, Terram calcaream, Sal amarum et aliquid Salis communis continent.

VIRES. Possident detergentes, incidentes, solventes, roborantes.

Thermae sulphureae calidae Hungariae *Budenses* dictae. *Ofner Warmbäder in Ungarn.*

Hae Thermae sulphureae in Hungaria in Comitatibus unitis *Pest*, *Solt* et *Pilis* et horum urbe metropoli *Buda* dicta, *Posonio* viginti novem, *Vienna* triginta sex leucis distante jam multis retro ab annis celebres oriuntur. *1mo* Scaturigo montis *S. Josephi;* ad radicem montis *S. Josephi* prosiliens cisternae influit, Balneisque quatuor caesareis sive regiis dictis prospicit. *2do* Scaturigo montis *S. Gerardi;* ad mox dicti montis radicem oritur. Ex binis dictis scaturiginibus plura Balnea ibidem habentur.

PRINCIPIA. Hae Thermae sunt valde calidae et longe majorem gradum caloris possident, quam Thermae sulphureae *Austriae Baadenses;* praeter ingentem copiam Aeris fixi et hepatici, Hepar Sulphuris calcareum, Terram calcaream copiosam, quae in Tophum concrescit, Sal alcali minerale, Sal amarum, Sal commune et aliquid Ferri continent.

VI-

VIRES. Possident irritantes, calefacientes, diaphoreticas, solventes, attenuantes, et roborantes.

USUS. In rheumatismo, paralysi, fluore albo, abortu et haemorrhagia uteri ab acrimonia humorum et laxitate solidorum ortis, sterilitate et spasmis hystericis a similibus causis ortis, obstructione viscerum, morbis cutaneis et ulceribus etc. utiliter adhibentur.

Thermae sulphureae calidae Hungariae *Glashütter* dictae. *Glashütter Warmbäder in Ungarn..*

Hae Thermae sulphureae in Hungaria in Comitatu *Nagy - et Kishontensi Schemnitzio, Kremnitzio*que interjacentes, a *Schemnitzio* milliare unum distante valle septem scaturiginibus proveniunt, quarum quatuor prope collem occasum versus, tres vero in vicinia colli planitie exoriuntur, triplex constituentes Balneum et quidem

1mo Balneum nobile, vulgo *das adeliche Bad.*
2do — — commune, *das gemeine.*
3tio — — pauperum, *das Armen Bad.*
una cum Balneo Antri sudoriferi signato nomine, *das Schwitzloch.*

PRINCIPIA. Thermae hae Sulphureae praeter copiam Aeris fixi et hepatici, Hepar Sulphuris calcareum, Terram calcaream, Terram Magnesiam, Sal amarum et parum Ferri continent, praeterea copiosum Tophum incrustantem generant.

VIRES. Irritantes, calefacientes, attenuantes, solventes, diaphoreticas et roborantes possident.

USUS. Praecipue in morbis articularibus, paralysi, hemiphlegia, anchylosi, in nephritide a calculo etc.

Praeter has Thermas habetur ibidem

Antrum sudoriferum dictum, das sogenannte Schwitzloch.

In centro dicti collis tot Thermarum genitori, Antrum Topho lapide a natura fornicatum reperitur, ob calorem copiosum cientem sudorem *sudoriferum* dictum, in quo scamna insculpta petrae quindecim, pluribusque hominibus excipiendis capacia continentur; in inferioribus scamnis calor minor, in mediis major et in superioribus adeo vehemens est, ut viri fortissimi hunc calorem vix per quadrantem horae sufferre possint.

VIRES. Irritantes, calefacientes, sudoriferas, solventes et roborantes possidet.

USUS. In hydrope *Anasarca* dicto, in tumoribus lymphaticis et hemiplegia etc. utiliter adhibetur.

Thermae sulphureae calidae Hungariae *Herculanae* dictae. *Herkulische Warmbäder in Ungarn.*

Hae Therma sulphureae in Hungaria trans Tibiscum in Comitatu Themesiensi oriuntur; celebres hae Romanorum Thermae Mehadiens nomine hodie insigniuntur, Banatum Themesiensem agnoscunt matrem, hora una

a

a *Valachia* turcica (*Eflak* aut *Iflak* dicta) quatuor horis ab *Orsova* et triginta sex horis ab urbe *Temeswarino* offenduntur. Sunt

1mo vulgo das *Schindelbad*.
2do das *Rauberbad*.
3tio das *Gliederschwitzbad*.
4to das *Gliederbad*.
5to das *Kalkbad*.
6to, 7mo } die *Augenbäder*.
8vo das *Fieberbad*.
9no das *Franzosenbad*.

Novem hae Thermae enarratae non similem omnes meruere laudem. Quae maximam sibi salubri effectu multifaria comprobato experientia vindicarunt famam, eandemque per tot saecula ad haec usque nostra tempora conservarunt illaesam, quinque numerantur.

1mo das *Schindelbad*.
2do das *Franzosenbad*.
3tio das *Rauberbad*.
4to das *Kalkbad*.
5to das *Gliederbad*.

PRINCIPIA. Hae Thermae sulphureae valde calidae ingentem copiam Aeris fixi et hepatici, Hepar Sulphuris calcareum, Sal amarum, Sal commune, Terram calcaream, Terram Magnesiam, et aliquam quantitatem Ferri continent.

VIRES. Irritantes, calefacientes, diaphoreticas, solventes, attenuantes, detergentes et roborantes possident.

USUS. A longo tempore hae Thermae celebres sunt in morbis articularibus, anchylosi, hemiplegia, hydrope articulorum, nephritide calculosa, morbis cutaneis et ulceribus etc.

Thermae sulphureae valde calidae Hungariae *Piestaner* dictae. *Piestaner Warmbäder in Ungarn*.

Hae Thermae sulphureae in Hungaria in Comitatu Neutrensi oppido hujus Comitatus Piestan aut *Pitschtan* dicto fluvio *Wage* adjacente, nullam principem agnoscentes venam, variis locis propullulant.

PRINCIPIA. Praeter ingentem copiam Aeris fixi et hepatici, Hepar Sulphuris calcareum, Terram calcaream, Terram Magnesiam, Sal mirabile, sat magnam copiam Salis communis et Ferri continent.

VIRES. Thermis Herculanis similes, ob majorem copiam Ferri vero plus roborantes.

USUS. In morbis articulorum, contracturis, paralysi, tremoribus artuum etc.

Ther-

Thermae sulphureae valde calidae Hungariae *Stuben* dictae. *Stuben Warmbäder in Ungarn.*

Hae Thermae sulphureae in Hungaria in Comitatu Thuroziensi inter pagos *Hai* et *Unterstubna* oriuntur. Balneum *mater* unde reliqua Balnea proveniunt calidissimum est, inde *Balneum pedum* dictum, aliud *Bauernbad* vocatur. Prope fluvium *Stuben* alia adhuc prorumpunt Balnea. *1mo Herrenbad*, *2do Spitalbäder*, quorum tria habentur. 1. *Franzosenbad*, 2. *Grünbad*, 3. *Kleinbad.*

PRINCIPIA. Praeter Aerem fixum et hepaticum, Hepar Sulphuris calcareum, Terram calcaream, Terram magnesiam, Sal amarum et pauxillum Ferri continent.

VIRES. *Herculanis* similes.

USUS. In morbis cutaneis, ulceribus, morbis arthriticis et rheumaticis, paralysi, tremoribus artuum et tumoribus lymphaticis etc.

Thermae sulphureae valde calidae Hungariae *Trencsin* dictae. *Trencsin Warmbäder in Ungarn.*

Hae Thermae sulphureae in Comitatu Trentschinensi ortae *Teplitce* dicuntur, cum pagus ejusdem nominis natalem eis praebeat locum. Variis insigniuntur nominibus.

1mo vulgo das *Brünnel*, quod in potum cedit.
2do Balneum *Dominorum*, das *Herrenbad.*
3tio *Officialium*, das *Officierbad.*
4to *Civium*, das *Burger*-oder *Neubad.*
5to *Commune* sive *Rusticorum*, das *gemeine*-oder *Bauernbad.*
6to *Judaeorum*, das *Judenbad.*
7mo *Pauperum*, das *Armenbad.*

PRINCIPIA. Hae Thermae ingentem copiam Aeris hepatici, Hepar Sulphuris calcareum, Sal amarum, Sal commune, Terram calcaream, Terram Magnesiam et pauxillum Ferri continent.

VIRES. *Herculanis* similes.

USUS. A longo tempore celebres sunt hae Thermae et efficacissimae in morbis a laxitate ortis, in tumoribus uteri, mensium suppressione, laxitate uteri, prolapsu vaginae, sterilitate, fluore albo, gonorrhoea a laxitate, nephritide a calculo, arthritide et rheumatismo, in paralysi, contractura, tremore artuum, in morbis cutaneis et ulceribus etc.

Thermae sulphureae calidae Hungariae *Varadynum* dictae. *Grosswardein Warmbäder in Ungarn.*

Hae Thermae sulphureae in Hungaria in Comitatu Bihoriensi leuca a *Varadyno* ad radicem vastorum ibidem montium in Transylvaniam excurrentium usque pluribus occurrunt scaturiginibus. Quae septentrionem respiciunt *Episcopales*, meridiem vero *Felicianae* audiunt.

1. *Episcopales.*

Scaturigo, quae quatuor haecce Balnea alit, ad radicem montis figit sedem.

2. *Felicianae.*

Magis aliquantulum a prioribus remotae, inter montes reconduntur.

PRINCIPIA. Omnes scaturigines similes partes constitutivas possident, et quidem magnam copiam Aeris hepatici, Hepar Sulphuris calcareum, Terram calcaream, Terram Magnesiam, Sal amarum et manifestam copiam Ferri continent.

VIRES. *Herculanis* similes.

USUS. Hae Thermae valde celebres sunt et copiose ac utiliter adhibentur in arthritide, calculo renum et vesicae, paralysi, morbis cutaneis et ulceribus etc.

Thermae sulphureae calidissimae in Hungaria *Vichna* dictae. *Vichna oder Eisenbacher Warmbäder in Ungarn.*

Hae Thermae sulphureae in Hungaria in Comitatu Barschiensi tribus a *Schemnitzio* dissitae milliaribus prope pagum *Vichna* dictum e latere montis densis vestiti sylvis prosiliunt.

PRINCIPIA. Praeter Aerem fixum ingentem copiam Aeris hepatici, Hepar Sulphuris calcareum, Terram calcaream copiosam, Terram Magnesiam, Sal amarum, Sal commune et manifestam quantitatem Ferri continent, praeterea Tophum incrustantem generant.

VIRES. Thermis *Glashütter* dictis similes.

USUS. In morbis a laxitate ortis, paralysi, fluore albo, sterilitate, arthritide, rheumatismo, morbis cutaneis et ulceribus etc. maximo cum fructu adhibentur.

Thermae sulphureae frigidae Hungariae *Wolfs* dictae. *Wolfsbad in Ungarn.*

Hae Thermae sulphureae in Hungaria trans Danubiana in Comitatu Edenburgensi Lacui Neisidlensi adjacente pago *Wolfs* una ab *Edenburgo* dissito hora oriuntur.

PRINCIPIA. Praeter Aerem fixum, ingentem copiam Aeris hepatici, Hepar Sulphuris calcareum, Terram calcaream, Sal amarum, Alcali minerale, Sal commune cum pauxillo Ferri continent.

VIRES. Possident irritantes, calefacientes, diaphoreticas, solventes, antacidas, et roborantes.

USUS. In morbis pituitosis, in morbis a laxitate solidorum ortis, in arthritide, nephritide a calculo, morbis uteri ab obstructione, obstructionibus viscerum abdominalium et glandularum, in morbis cutaneis et ulceribus etc. utiliter adhibentur.

In-

Ingens copia variarum Thermarum habetur in Bohemia et Hungaria, quae nondum exacto Examini Chemico subjectae erant.

Thermae hepaticae Moraviae.

Thermae sulphureae frigidae Moraviae *Voitsbrunn* dictae. *Voitsbrunn Bad in Mähren.*

Hae Thermae sulphureae frigidae in Moravia pago *Voitsbrunn* Dominii serenissimi Principis a *Dietrichstein* horae intervallo a *Nicolsburg* proveniunt.

PRINCIPIA. Praeter Aerem fixum, copiosum Aerem hepaticum, Hepar Sulphuris calcareum, Terram calcaream, Sal mirabile, copiosum Salem communem et Martem continent.

VIRES. Irritantes, calefacientes, diaphoreticae, solventes, incidentes, detergentes, et roborantes possident.

USUS. In paralysi, ulceribus, scabie, obstructionibus viscerum, fluore albo, defectu mensium, chlorosi etc. utiliter adhibentur.

Thermae hepaticae Sclavoniae.

Thermae sulphureae calidae Sclavoniae *Lipick* dictae. *Lipick Warmbäder in Sklavonien.*

Hae Thermae sulphureae in Sclavonia prope pagum *Lipick* quinque milliaribus a *Pesóga* remotum in lato planoque loco quatuor prorumpunt scaturiginibus.

PRINCIPIA. Praeter Aerem fixum, copiosum Aerem hepaticum, Hepar Sulphuris, Terram calcaream, Terram Magnesiam, Sal alcali minerale, Sal amarum, Sal commune et pauxillum Ferri continent.

VIRES. Thermis Moraviae *Voitsbrunn* dictis similes.

USUS. In obstructionibus viscerum, rheumatismo, anchylosi, tumoribus leucophlegmaticis, morbis cutaneis et ulceribus etc. utiliter adhibentur.

Thermae hepaticae Transylvaniae.

Thermae sulphureae Transylvaniae *Rupes* dictae. *Rupes Schwefelbrunn in Siebenbürgen.*

Hae Thermae sulphureae in Transylvania in Ditione Saxonica *Steinklippen* sive *Rupes* dicta sex horis ab *Udvarhelly* remota urbe *Rupes* seu *Reps* dicta e radice montis scaturiunt.

PRINCIPIA. Praeter Aerem fixum, copiosum Aerem hepaticum, Hepar sulphuris calcareum, Sal amarum, Sal commune, Terram calcaream et Martem continent.

VIRES et USUS. Thermis Moraviae *Voitsbrunn* dictis similes.

Thermae hepaticae Tyrolis.

Thermae sulphureae frigidae Tyrolis *Brax* dictae. *Brax Bad in Tyrol.*
Hae Thermae sulphureae in Tyroli in Episcopatu *Brixen* prope urbem *Innichen* cum strepitu e petra prosiliunt.

PRINCIPIA. Continent omnia ea, ex quibus Aquae Sulphureae solent oriri, nempe praeter Aerem fixum, Aerem hepaticum, Terram calcaream, Terram Magnesiam, Salem amarum et pauxillum Martis.

VIRES. Thermis *Austriae Baadensibus* similes.

USUS. Idem.

Thermae sulphureae Tyrolis *Innichen* dictae. *Innichen Schwefelbad in Tyrol.*
Hae Thermae sulphureae in Tyroli exiguo ab urbe *Innichen* intervallo triplici scaturigine proveniunt. *1mo* est Aqua *sulphurea*, *2da cuprea*; *3tiò stomachica*. Prima scaturigo *sulphurea* proprie huc pertinet et virtute reliquas duas superat.

PRINCIPIA, VIRES et USUS ut Thermarum *Brax*.

3.

Thermae ferratae, seu martiales.

Thermae ferratae seu martiales Bohemiae.

Thermae ferratae Bohemiae *Bechin* dictae. *Bechiner Bad in Böhmen.*
Hae Thermae ferratae in Bohemia in Circulo Bechinensi in urbe *Bechin* prope fluvium *Lizmitz* quatuor scaturiginibus prosiliunt.

PRINCIPIA. Praeter Aerem fixum et vitriolicum, Sal mirabile, Sal commune, Terram calcaream et copiosum Ferrum continent.

VIRES. Possident solventes et roborantes.

USUS. In morbis a laxitate solidorum, in paralysi, tremore artuum, tumoribus lymphaticis, arthritide, scorbuto, hypochondriasi, hysteria et variis morbis uteri frigidis utiliter adhibentur.

Thermae ferratae Bohemiae *Miletin* dictae. *Miletin Bad in Böhmen.*
Hae Thermae ferratae in Bohemia in Circulo Bitschoviensi milliari cum dimidio ab urbe *Königgratz* in Dominio *Miletin* proveniunt.

PRINCIPIA. Praeter Aerem fixum et sulphureum seu vitriolicum, Sal mirabile, Terram calcaream, Picem montanam et copiosum Ferrum continent, ita ut Aqua harum Thermarum cum Tinctura seu Infuso Gallarum illico atramenti colorem nigrum induat.

VIRES. Solventes et roborantes possident.

USUS.

USUS. In morbis nervorum, melancholia, hypochondriasi, hysteria, chlorosi, paralysi, contractura, arthritide etc. laudantur.

Thermae ferratae, seu martiales Hungariae.

Thermae ferratae calidae Hungariae *Lutski* dictae. *Lutski Warmbäder in Ungarn.*
Hae Thermae ferratae in Hungaria in Comitatu Liptoviensi supra pagum *Lutski* ad radicem montium carpaticorum *Hocs* dictorum, in planitie collibus coronata proveniunt.

PRINCIPIA. Praeter Aerem fixum et vitriolicum, Terram calcaream, Sal amarum, Sal alcali minerale et ingentem copiam Ferri continent.

VIRES. Solventes et roborantes possident.

USUS. Ut Thermarum Bohemiae *Miletin* dictarum.

Thermae ferratae Hungariae *Kaschovia* dictae. *Kaschau Bad in Ungarn.*
Hae Thermae ferratae in Hungaria in Comitatu *Abawiwariensi* hujusce Comitatus metropoli *Kaschovia* dicta pluribus scaturiginibus prorumpunt.

1mo habetur Balneum vulgo *Mühlbad* dictum; Fons urbem inter suburbiaque promanans huic Balneo prospicit.

2do habetur Balneum inter moenia reconditum.

PRINCIPIA. Diversarum scaturiginum sunt aequales; praeter Aerem fixum et vitriolicum, Terram calcaream, Sal mirabile, Sal alcali minerale, Sal commune et copiosum Ferrum continent.

VIRES. Solventes, incidentes et roborantes possident.

III.

DE EXAMINE AQUARUM MINERALIUM.

Ad rite examinandas Aquas minerales requiritur, ut in ipso loco scaturiginis ad *septem* sequentes praecipuas *Regulas* attendamus.

Primo examinanda vicinia scaturiginis, quomodo solum proxime adjacens constitutum sit, quaenam mineralia in vicinia adsint, exinde enim ad principia constitutiva Aquarum mineralium concludere licet.

Secundo in loco scaturiginis examinanda claritas, odor et sapor Aquarum mineralium, inde enim principia quaedam suspicari et majorem aut minorem copiam Aeris fixi contenti detegere possumus.

Tertio in loco scaturiginis examinandum, an Aquae minerales sive in superficie, sive in fundo, sive in canalibus aut in vitro in quiete repositae, sedimentum deponant.

Quar-

Quarto Gravitas absoluta et *specifica* Aquarum mineralium in loco scaturiginis sequenti modo determinatur.

1mo *Gravitas absoluta*, seu *pondus absolutum* detegitur, determinando copiam aut massam corporis examinandi, et hoc fit, si exempli gratia corpus volumine, seu massa *unius* pollicis cubici *unciam unam* ponderat, idem corpus, si *duas uncias* ponderat, volumine seu massa erit aequale volumini *duorum* pollicum cubicorum. Tamen vera idea magnitudinis cujusdam corporis non pateret, nisi quaedam corpora ponderis determinati tanquam nota reciperemus, et dein illorum cum his comparationem institueremus. Haec corpora nota, sunt pondera, quae ratione diversitatis illorum gravitatis, librae, unciae, drachmae etc. nominantur. Verum, quum haec pondera non ubique locorum aequalia sint, et hinc determinando pondus cujusdam corporis juxta haec, error oriretur, praeterea in Examine Chemico non tam ad pondus absolutum corporum, quam ad proportionem partium constitutivarum respiciatur, melius est, si pondus arbitraria gravitate recipiatur, et hoc in centum partes aequales dividatur, unde quilibet proportionem diversarum substantiarum inter se sine difficultate inveniet.

2do *Gravitas specifica.*

Densitas corporum etiam ponderando exploratur. Corpus, cujus partes laxe cohaerent et quae magnam copiam interstitiorum in se continent, majus spatium occupat, hoc est majus volumen habet sine quod majorem possideat gravitatem, quam aliud corpus, cujus partes firmius inter se uniuntur et hinc minus spatium occupat, hoc est minus volumen habet. Cum nunc ratione densitatis omnia corpora inter se multum differant, haec differentia vero in propria natura cujucunque corporis quaerenda sit, haec ex densitate nata gravitas *propria* et *specifica gravitas* nominari solet. Haec gravitas specifica alicujus corporis quoque non aliter, nisi ex comparatione cum gravitate alterius corporis detegi poterit. Ex omnibus substantiis AQUA DESTILLATA COMMUNIS pura ad hoc commodissima inventa fuit, partim quia in omnibus locis sine labore et ejusdem qualitatis obtineri potest, partim quia per se specifice levior est, quam plurima reliqua corpora, quorum gravitas specifica quaerenda. Si corpus ponderandum levius esset Aqua, illi innataret et hujus gravitas specifica detegi non posset. In hoc casu loco Aquae levior substantia adhibenda esset, ut e g. ALCOHOL, AETHER etc. Si corpus magnitudine pollicis cubici in Aquam projicitur, si levius est, pollici cubici Aquae, Aquae innatabit: si vero idem corpus eandem gravitatem possidet, ut Aqua ejusdem dimensionis, nec fundum Aquae petet, nec illi ininnatabit, sed directe in eodem situ super Aquam manebit, in quo immissum fuit, quia Aqua illud ex omni parte aequabiliter premit: si vero Aquae gravius est, quam aequabilis copia Aquae ejusdem dimensionis aut voluminis, ob superfluum suae gravitatis Aquae fundum petet.

Nunc

Nunc ad detegendum quantum sit hoc superfluum, et quantum gravius sit quoddam corpus, quam aequabiliter magna quantitas Aquae sequenti modo procedendum: frustum massae vitreae gravitate plurium unciarum Bilanci A mediante pilo equino vel alio alligatur seu suspenditur, ita ut frustum hoc distantia manus transversae a Lance remotum sit, nunc Lanci B tantum ponderis imponitur, quantum requiritur, ut Ailanx in aequilibrio sit, dein frustum vitri Lanci A suspensum immergitur in vitrum AQUA DESTILLATA plenum ut Aquae submersum sit, illico aequilibrium Bilancis erit sublatum, et Lanx B inclinabitur deorsum; Lanx A vero ita erit mutata, ut frustum vitri suspensum AQUAE DESTILLATAE innatare appareat, et verosimiliter minus ponderabit quam antea: nunc Lanci A cui frustum vitri fuit suspensum tam diu pondera imponuntur, donec frustum vitri AQUAE DESTILLATAE iterum immersum sit et ligula Bilancis exacte medium occupet. Pondus, quod nunc Lanci A impositum fuit ad aequilibrium Bilancis obtinendum, denotat, quantum haec AQUA DESTILLATA minus ponderat, quam spatium, quod corpus occupat. Notatur haec differentia ponderis diminuti vitri suspensi, vitri frustum Bilanci suspensum siccatur perfecte, et eodem modo vitro Aqua minerali examinanda pleno immergitur et dicto modo ulterius proceditur. Iterum differentia ponderis frusti vitri suspensi diminuti notatur: nunc arithmetice dividitur hoc diminutum pondus in Aqua minerali per divisorem ponderis diminuti in AQUA DESTILLATA, obtinetur propria gravitas Aquae mineralis expressa per numeros decimales. Ex. gr. frusti vitri suspensi in AQUA DESTILLATA pondus diminutum erat 496 grana, in Aqua minerali examinanda vero 502 grana, sic erit gravitas specifica Aquae mineralis ad gravitatem AQUAE DESTILLATAE ut 1,0012 ad 1,0000, nam $502 : 496 = 1{,}0012$.

Vel parvum vitrum cum epistomio vitreo exacte ponderatur, AQUA DESTILLATA COMMUNI penitus repletur, epistomio rite clauditur, siccatur, et iterum ponderatur, patebit pondus AQUAE DESTILLATAE, quae sufficit ad penitus replendum spatium internum vitri: postea idem hoc vitrum Aqua minerali examinanda repletur, et quoque exacte ponderatur. Nunc dividatur pondus AQUAE DESTILLATAE, habebitur pondus specificum Aquae mineralis examinandae. Habentur etiam propria Instrumenta, quorum ope simplici et facili methodo gravitas specifica corporum detegitur. Inter haec eminet illud celeb. WILLIAM NICHOLSON in 2do Tomo *physical. Abhandlungen der Gesellsch. zu Manchester* descriptum cum Tabula aenea.

Hoc Instrumentum est Hydrometrum et simul species Thermometri, quod forte longe magis utile ad dimetiendam extensionem corporum ope caloris, quam illud consuetum. Sicut liquidum in Thermometro communi per auctam extensionem liquoris supra expansionem tubi vitrei elevatur, ita hoc Instrumentum descendit, ratione augmenti ejusdem expansionis supra expansionem materiarum, ex quibus hoc Instrumentum confectum sit.

Ma-

co turbidus fit. Similem sed leviorem mutationem Acidum purum Tartari quoque producit et Acidum Phosphori.

8. SAL ALCALI FIXUM omnes Terras et Metalla praecipitat.

9. SAL ALCALI VOLATILE idem facit. Praecipue vero Cuprum inde detegitur, quod colore laete coeruleo prodit.

10. AQUA CALCIS VIVAE ab Aquis Aere fixo valde saturatis, et ab Acido Vitrioli, alcali fixo aut volatili contentis praecipitatur.

11. SOLUTIO TERRAE PONDEROSAE SALITAE minimam quantitatem Acidi Vitrioli contenti detegit; si e. g. in 5 aut pluribus libris Aquae tantum tria grana Salis mirabilis Glauberi contenta sunt, gutta unica solutionis Terrae ponderosae salitae, reddendo liquorem turbidum, prodit Acidum Vitrioli.

12. TERRA CALCAREA IN ACIDO SALIS SOLUTA, ab alcali fixo et volatili, ab Acido Vitrioli et Sale amaro soluto turbatur, hinc incertum *Reagens*.

13. SOLUTIO ARGENTI IN ACIDO NITRI minimam quantitatem Acidi Salis latentis prodit. Etiam Acidum Vitrioli inde detegitur, verum tam subita mutatio tunc non contingit, ut ab Acido Salis. Si Aqua quaedam partes phlogisticas aut sulphureas continet, solutio haec Argenti turbida colorem fuscum induit. Haec solutio Argenti quoque a minima quantitate Salis alcalini, aut Terrae calcareae aut Magnesiae ab Acido aereo solutae turbida fit.

14. SOLUTIO MERCURII IN ACIDO NITRI minimam copiam Salis Acidi prodit, unde colore albo et forma materiei caseosae Mercurius praecipitatur. Granum unum Salis communis in 5 aut 6 libris Aquae solutum, facile inde detegitur. Acidum Vitrioli non tam celeriter hoc manifestat: quia copia Salis mirabilis sexies aut octies major esse debet in simili quantitate Aquae, antequam praecipitatio aequali celeritate fiat. Solutio haec Mercurii quoque etiam nullo Acido praesente per Salia alcalina, Aquam Calcis, Terram calcaream aut Magnesiam Aere fixo solutam praecipitatur. Ratione coloris notandum, quod solutio Mercurii ab alcali communi et ab Aqua Calcis colorem ex fusco rubrum, ab alcali crystallisato vero ab initio ex fusco flavo colore praecipitetur, brevi vero postea colorem flavicantem induat. Hoc quoque fit a puro Sale Sodae. Ab alcali volatili griseus color, ab Acido Vitrioli dilute flavus, ab Acido Salis albus, et partibus phlogisticis aut sulphureis nigricans color in solutione Mercurii oritur, quem ultimum colorem etiam partes metallicae generant.

15. MERCURIUS SUBLIMATUS CORROSIVUS in Aqua destillata communi solutus non ad latens Acidum Salis adhiberi potest, sed Terram calcaream et alcali fixum prodit per colorem ex rubro fuscum, quem Solutio illius induit.

16. SACCHARUM SATURNI in Aqua destillata solutum adhibetur proprie ad detegendum latens Acidum Vitrioli, quia praecipitatum inde ortum a nullo Acido amplius solvitur, quod tamen in alio casu contingit. Partes sulphureas latentes prodit colore fusco aut nigro.

17. VITRIOLUM MARTIS ARTIFICIALE in AQUA DESTILLATA COMMUNI solutum ab omnibus Salibus alcalinis in quodam liquido contentis praecipitatur. Si Aqua quaedam mineralis copiosum Aerem fixum continet, etiam inde jam pro parte Terra martialis separatur. Partes vegetabilium adstringentes solutae inde colorem nigrum induunt.

18. ETIAM SAPO adhiberi poterit, nam ab Aquis duris, in quibus variae Terrae Acidis junctae continentur, Sapo decomponitur. Hinc in hunc scopum optime adhibetur Sapo in Spiritu Vini solutus et solutio haec aequali copia Aquae destillatae communis diluitur. Si talis soluti Saponis gutta una librae Aquae instillatur, in qua tantum granum unum Aluminis, Salis amari aut Terrae calcareae Acido Salis junctae continetur, illico turbatur.

19. HEPAR SULPHURIS minimam copiam Acidi in liquido contentam indicat per odorem sulphureum Ovorum putridorum ortum.

Sexto. Partes volatiles et elasticae Aquarum mineralium Examini subjiciuntur, et separantur ab his Aquis, quae separatio sequenti modo instituenda. Ad hanc autem necessaria sunt quaedam Instrumenta.

1. Retorta parva ex vitro viridi cum collo tenui, quod 1½ pedis longitudine et instar litterae S inflexum. Retorta praeterea in parte fornicata parvo nodo donata sit. Vacuum spatium globi 18 ad 20, collum vero 4 ad 6 pollices cubicos Aquae capiat.

2. Vas cylindricum longum, ex albo sed forti vitro confectum cujus collum sit longitudine 1½ pollicis. Diameter hujus vasis sit 2½ pollicum, diameter colli hujus 1½ pollicis. Accurate hoc vas in pollices cubicos dividatur et contineat horum 34 ad 38.

3. Aliud vas simile vitreum ejusdem formae, quod 18 pollices cubicos contineat.

4. Vasculum vitreum aut e Terra porcellanea altitudine 4—5 pollicum, latitudine 9—10 pollicum: simile vasculum parumper minus latitudine 3 pollicum et altitudine 3 pollicum.

5. Infundibulum parvum vitreum, quod levi negotio Retortae orificio intromitti potest.

6. Duo asseres altitudine 2 pedum, 1 pedis latitudine, et crassitie 2 pollicum; hi juxta longitudinem ad angulum rectum conjunguntur et parvis pedibus instruuntur, qui versus anteriora et posteriora ad 2 pollices promineant, ne concidant dum eriguntur. Superius per tingum transversarium conjunguntur, ita ut hoc ab extremitate unius cujusque asseris distantia duorum pollicum his immersum sit; in hoc tin-

tingum forte brachium erigitur, quod pede dimidio altius est quam asseres ipsi, et ad tres pedes promineat.

7. Copia asserum, figura quadrata, quorum quadratura 12 pollices aequat, crassitie unius, aut etiam dimidii pollicis.

Si omnia haec Requisita adsunt, nodo Retortae forte filum lineum alligatur, et haec in anteriori parte brachii erecti suspenditur; dein vas cylindricum majus, cui circa circum firma funicula affiguntur, Mercurio repletur, et etiam vasculum majus. Vasculum asseribus imponitur, ita, ut fundus hujus 1½ pollicem magis profunde jaceat, quam collum Retortae. Nunc vas cylindricum majus Mercurio repletum supra volam manus invertitur, manus vasculo Mercurio repleto immergitur una cum orificio vasis cylindrici, immersa manus infra orificium vasis cylindrici ex vasculo Mercurio repleto dexterrime extrahitur, et vas cylindricum in tingo transversario firmis funiculis suspenditur, ita ut orificium hujus pollicem unum infra superficiem Mercurii in vasculo contenti immersum maneat. Nunc Infundibulum parvum vitreum orificio Retortae immittitur, cylindro 18 pollicum, 16 pollices Aquae recentis examinandae infunduntur; infunde hanc caute in Retortam, claude illico orificium hujus pollice digiti, immerge collum Retortae in vasculum Mercurio repletum, sine quod pollex digiti removeatur, et collum Retortae celeriter vasi cylindrico inferas. Si haec rite peracta sint, vasculum parvum cum prunis cineribus tectis infra Retortam ponitur: sicut Aqua in Retorta calefit, bullulae aereae nascuntur, quae in vas cylindricum transeunt, et Mercurium expellunt. Ignis augetur sensim usque ad gradum ebullitionis Aquae, et sustinetur hic gradus tamdiu, donec nullae bullulae aereae in Mercurio appareant. Tunc Retorta illico ex vase cylindrico educitur et per aliquod tempus omnia frigescant. Ex copia fluidi elastici, quod vas cylindricum tunc continet, copia materiei elasticae in Aqua examinata determinari potest. Ex. g. si Retorta, quae antea mensurata fuit, in toto spatio interno tubo simul numerato, sit capax 24 pollicum cubicorum, sic post infusionem 16 pollicum cubicorum Aquae, remanent 8 pollices cubici pro Aere communi. Nunc, si vas cylindricum, absoluto labore, contineret 28 pollices cubicos fluidi elastici, hoc, abstractis 8 pollicibus cubicis Aeris communis, qui reliquum spatium Retortae explebant, facit 20 pollices cubicos pro illa parte, quam Aqua continebat.

Nunc ut experiamur, an hoc fluidum elasticum sit *Aer fixus*, *dephlogisticatus*, aut *hepaticus*, (haec interea ex odore, sapore, et corporibus sive mediis *Reagentibus* nota erunt) sumitur vasculum minus, immergitur vasculo majori Mercurio repleto, ut etiam Mercurio repleatur, et collum cylindri in hoc vasculum nunc Mercurio repletum imponitur: dein cylinder antea ligatus, resolvitur, et in vas AQUA CALCIS plenum portatur, ita tamen, ut orificium illius semper Mercurio immersum maneat. Nunc cylinder in AQUAM CALCIS positus parumper in altum elevatur; Mercurius ex cylindro excidet, et

AQUA CALCIS spatium illius occupabit. Si nunc *Aer fixus* adfuerit, hic disparebit, quia hic cum Terra calcarea unitur in Sal indissolubile.

Cylinder maneat in hoc statu per 4 horas, de tempore ad tempus hunc concutiendo, ut resorptio *Aeris fixi* promoveatur. Defectus nunc observabilis copiam *Aeris fixi* denotet.

Superius adsumsimus, quod 16 pollices cubici Aquae, 20 pollices cubicos fluidi elastici dederint. Si hoc fluidum elasticum ab AQUA CALCIS sine residuo resorbetur, est signum totum fuisse *Aerem fixum*, si vero solummodo 16 pollices cubici resorbentur, remanent 4 pollices cubici pro *Aere puro*, aut *hepatico*, quae Aqua continebat. Ex his binis fluidis elasticis unum solummodo esse potest, ambo nunquam simul adsunt. *Aer purus* ratione puritatis examinatur per *Aerem nitrosum; hepaticum* odor prodit.

Si pondus *Aeris fixi* determinare volumus, qui in data copia ex. gr. in libra una Aquae continetur, sumitur vitrum album forte, quod parumper plus recipere potest, quam libram unam Aquae, subere exacte claudente claude, ita tamen ut per medium suberis tubus ex Auricalco transeat longitudine $3\frac{1}{2}$ pollicum, cujus orificium superius sit diametri $\frac{1}{2}$ lineae. Nunc ponderatur vitrum, suber, et tubus ex Auricalco exactissime, et libra una Aquae mineralis examinandae, infunditur vitro. Hoc facto subere orificium vitri clauditur una cum tubo transmisso, ponatur vitrum supra calorem 80 — 100 graduum Fahrenh. per horam. Per angustum tubum ferme nihil evaporabit, quam pars elastica Aquae et finito labore defectus ponderis totius, quem Bilanx indicabit, quantitatem materiei elasticae satis accurate per numeros denotet, imo longe exactius, quam si pondus materiei elasticae per Experimentum cum Aqua Calcis determinare velimus.

Hoc Experimentum et prius descriptum, ut rationes illatae desuper fundatae exactae sint, necesse est, ut haec in ipso *Loco Scaturiginis* instituantur; nam solum in *hoc Loco* possibile est determinatu quantitas materiei elasticae in Aquis mineralibus contentae.

Aer hepaticus Aquarum mineralium pertinet ad fluida subtilissima hucusque nota; indagatori saepe avolat, antequam illum capere possit. Hinc difficultas patet, praesentiam hujus demonstrandi.

In *Loco Scaturiginis* Aquae mineralis, quae solummodo levia indicia *Aeris hepatici* ex odore et sapore exhibet, et qui nullo alio modo demonstrari aut separari potest, 4 pura vitra libras duas capacia AQUA DESTILLATA purissima replentur, et Aqua ex singulo vitro prope superficiem Scaturiginis et quidem in Athmosphera exhalationis illius, usque ad residuam semunciam in aliud vas effunditur, quod quantitatem horum capere potest, lagenae illico subere clauduntur et collum harum in vas Aqua repletum ponitur. Dein in alterutrum horum Solutio TERRAE PONDEROSAE SALITAE instillatur, si *principium sulphureum* continet, praecipitatum erit fusci coloris; in aliud pauxillum *Arsenici* ingeritur, et color flavus apparebit. In tertium

vi-

vitrum instillatur parumper *Aceti*- aut solutio SATURNI NITROSA; orietur praecipitatum fuscum; et in quartum vitrum Solutio MERCURII NITROSA calide vel frigide parata. Color praecipitati, qui oriri debet, si *Aer hepaticus* realiter in Aqua aut in illius Athmosphaera sit, indicabit, an hoc fluidum elasticum contentum fuerit. Si nullum orietur praecipitatum, aut hoc excolor sit, etiam tunc nullus *Aer hepaticus* aut *Sulphur* in Aqua minerali aut sua Atmosphaera continetur, sed illud, quod videtur esse *Aerem hepaticum*, est verus *Aer inflammabilis* seu *mephiticus*, et hunc Aerem nulla solutio metallica decomponit aut colore imbuit; decomposito tunc forte observata oritur in *Aere fixo*. Quantitas *Aeris hepatici* in Experimentis felicissimis quoque non determinari potest.

Septimo. Nunc Examinibus Aquarum mineralium dicto ordine absolutis, instituitur *Examen partium fixarum*, quas Aquae minerales continent.

Ad *partes fixas* contentas detegendas requiritur, ut Aquae mineralis examinandae librae decem ad viginti in vasis vitreis puris ad siccitatem evaporentur. *Residuum* vero ponderatur, et ulterius modo mox dicendo examinatur. Primo examinatur hoc *Residuum* evaporatione obtentum an *Salia neutra* vel *media* contineat, secundo *partes metallicae* et *Terrae variae* contentae examinantur.

1. Examen *Salium neutrorum* instituitur.

Si Examinibus prioribus suspicio nata fuerit, *Salia neutra* contenta esse, ponderatur hoc *Residuum*, seu *partes fixae* et inde 500 ad 1000 grana sumta separatim ponderantur, coquuntur octupla copia AQUAE DESTILLATAE. Aqua filtratur, *filtrum vero sit ex charta typographica confectum, et ante usum bene exsiccatum ponderatur. Et cum partes a filtratione residuae et in filtro remanentes non adeo exacte ab hoc separari possint, filtrum ipsum inter multipliciter convolutam chartam bibulam Aere siccatur, dein per horam hae partes residuae filtro adhaerentes una cum filtro per horam in vitro calori* 180 *graduum Fahrenh. exponuntur, dein ponderantur et pondus filtri abstrahitur.* Cocta ergo Aqua examinanda et filtrata, evaporatur ad siccitatem. *In singula evaporatione vas vitreum evaporatorium charta typographica tegitur et funiculo alligato firmatur, ne pulvis aut alia impuritas illabi possint, et ne forte cum vaporibus aqueis aliquid partium fixarum avolare possit. Residuum siccatum* vitro ingeritur, superaffunditur huic SPIRITUS VINI RECTIFICATISSIMUS, et vas saepius agitando relinquitur in quiete per 24 horas. Postea liquor filtratur, qui omnia *Salia media*, vitriolica excepta, in se continet, residuum a filtratione edulcoratur Spiritu Vini, et hoc residuum ex Salibus vitriolicis constabit, exsiccatur et ponderatur. *Hoc Residuum sequenti modo resolvitur; in loco frigidiusculo cum octupla quantitate* AQUAE DESTILLATAE *digeratur, liquor filtratur, residuum a filtratione siccatur et ponderatur.* (constat communiter ex Terris absorbentibus, Selenite et Ferro: uti haec a se invicem separanda sint ex sequentibus patebit.). *Liquor filtratus leni calore evaporatur, et si durante evaporatione crystalli Selenitidis appareant,*

reant, separantur, siccantur, et ponderantur. Si vero nullae crystalli Selenitidis appareant, admiscetur dupla quantitas ratione ponderis SPIRITUS VINI RECTIFICATISSIMI *antequam cuticula oriatur et liquor calefiat valide. Si nullus Tartarus vitriolatus aut Nitrum in lixivio continetur omnia soluta erunt. Si vero talis adest, lixivium celeriter inde per decantationem separatur, et in utroque casu frigescat lixivium. In frigore omnia Salia vitriolica crystallisentur; hae iterum solvuntur et solutio leni calore crystallisetur. Crystalli obtentae constant ex Sale mirabili et Sale amaro aut ambobus simul; colliguntur haec et siccantur et crystallus una Aquae Calci injicitur. Si inde praecipitatum album oritur, denotat fuisse Salem amarum, si vero nullum oritur praecipitatum erit Sal mirabile Glauberi. Nunc ad detegendum in primo casu, quantum sit Salis amari, solvitur omne ac singulum Sal in* AQUA DESTILLATA, *incalescat haec solutio usque ad gradum ebullitionis, et Terra Magnesia ope lixivii fervidi cinerum clavellatorum depuratorum praecipitatur.* 19 *partes hujus praecipitati largiuntur* 100 *partes Salis amari crystallisati. Dein rationibus infertur quantitas Salis amari, et haec ab integra quantitate Salium subtrahitur. Residuum ab abstractione Salis amari denotat quantitatem Salis mirabilis Glauberi.*

Praeter Salem amarum et Glauberi etiam simul Vitriolum Ferri vel Cupri crystallisari possunt, quae ratione coloris facile ab aliis Salibus distingui possunt.

Salibus vitriolicis nunc hac methodo ex solutione spirituoso-aquosa separatis, evaporatur haec solutio et obtinentur inde Crystalli Salis communis. Si lixivium remaneret non amplius crystallisabile est signum Salem esse alcalinum seu lixiviosum (res, quae solum accidit, ubi nulla inveniuntur Salia media terrestria, sed vera Salia neutra). Evaporatur ad siccitatem, sicci residui hujus quantitas aliqua in AQUA *solvitur* DESTILLATA, *et adfunditur aliquid solutionis* SALIS ESSENTIALIS TARTARI. *Si inde Cremor Tartari oriatur, lixivium continuit Salem alcalinum vegetabilem — si nullus, alcali minerale erat. Etiam Sal alcali Acido Vitrioli saturari poterit, liquor Salem medium nunc continens evaporari et crystallisari; et ex figura crystallorum inde natorum et ex harum persistentia aut mutatione in Aere libero, in igne et in miscela ex* 1 *parte Aquae et* 2 *Alcoholis natura Salis alcalini determinari et nosci poterit.*

Solutio spirituosa nunc iterum ad siccitatem evaporatur. Salia inde obtenta possunt esse Vitriolum Martis dephlogisticatum, Nitrum calcareum aut magnesiacum, Sal commune calcareum aut magnesiacum; superaffunditur his OLEI VITRIOLI RECTIFICATI ⅛ illorum ponderis. Vapores, qui tunc evolvuntur, denotant, an ab Acido Salis aut Nitri orti fuerint: quod ultimum raro casu contingit. Si nimis parva quantitas esset, ut ex odore nosci possint, super vapores tenetur charta liquore alcalino volatili aut mera Aqua madefacta. Si charta alcali volatili impraegnata sursum tenetur Acidum Nitri per vapores apparebit, si vero charta sola Aqua impraegnata fuit, Acidum Salis ex vaporibus apparebit. Vas dein iterum in Balneum

are-

arenae ponitur ad exhalanda Acida, et evaporatur solutio usque ad siccitatem. Sal residuum AQUA DESTILLATA solvitur et evaporatur ad cuticulam. *Durante hac operatione ex Aquis mineralibus substantia nigra floccorum adinstar separatur, quae in filtro colligi, edulcorari, siccari et ponderari debet. Est haec principium resinosum, quod Aqua in se continebat.* Si durante evaporatione solutionis crystalli omnes oriantur figura longitudinales, tenues et splendentes, erit Selenites, et Spiritu Vini extractum corpus erat Sal commune calcareum, aut Nitrum calcareum. Si crystalli pauci aut nullae oriantur, hae vero sint crystalli longitudinales, columnares, aut saporis amari, erit hoc Sal amarum: et corpus dictum constabat in primo casu, dum Selenites apparebat ex Sale communi calcareo et Sale communi magnesiaco, aut ex Nitro calcareo, aut magnesiaco, et in ultimo casu, ubi nil quam Sal amarum obtentum fuit, ex mero Sale communi magnesiaco et Nitro magnesiaco. Si, dum nullae Crystalli amplius nascuntur, residuum maneat *Magma* flavicans, quod saporem atramenti exhibet, denotat etiam Vitriolum Martis dephlogisticatum aut Sal commune Ferro junctum contentum fuisse in solutione. Solvitur hoc in AQUA DESTILLATA et separatur Ferrum per alcali causticum. Granum unum hujus praecipitati siccati et edulcorati indicat iere grana duo Vitrioli et eandem quantitatem Salis communis Ferro juncti.

2. *Partes metallicae* et *Terrae* examinantur.

Residuum seu *partes fixae* ab evaporatione Aquae mineralis examinandae nunc sequenti modo examinantur. Sumuntur hujus *Residui* pulverati grana 25, ad 50, injiciuntur in AQUAM REGIAM, quae ex aequalibus partibus Acidi Nitri et Salis composita fuit. AQUA REGIA *ideo ad hunc laborem aliis Acidis mineralibus praefertur, quia, si Terra calcarea contenta, cum Acido Vitrioli Gypsum formaret, quod difficulter solvitur, et hinc magnam copiam Acidi et Aquae ad solutionem posceret. Acidum vero Nitri aut Salis per se plures substantias plane non aut non penitus solvunt, quas tamen juncta optime solvunt.* Si solutio *Residui* examinandi cum effervescentia fit, sine quod aliquid indissolutum remaneat, indicat illud constare ex Terra calcarea, Terra Magnesia aut ambabus simul. Etiam ex Terra ponderosa aut aluminosa Aere fixo solutis constare potest, quod tamen raro contingit.

Si solutio colorem flavum induit, indicat Ferrum contentum.
Si viridem, continet Ferrum metallicum.
Si coeruleo-viridem — Cuprum.
Si fuscum — Magnesiam nigram seu vitrariorum.
Si haec solutio odorem fortem Acidi Salis dephlogisticati cum impetu reddat, certius adhuc indicat Magnesiam nigram.
Si in frigore aliquid remaneat, poterit esse Terra silicea aut argillacea — aut etiam Spatum ponderosum. Hinc miscela ebulliendo effervescat. Si pars remanens quantitate non diminuitur, Terram siliceam aut Spatum ponderosum suspicari licet.

Si

Si *Residuum* examinandum cum Acidis non effervescit, nec calore ebullitionis nec frigore solubilis erit, aut si diuturna coctione *Residuum* coloratum et parum mutatum sit, sequenti modo praeparandum erit.

1. *Residui* ex Aqua minerali seu *partium fixarum* grana 100, aut maxime 200 in pulverem tritarum cum dupla aut tripla copia Salis alcalilini mineralis, quod Aere in pulverem fatiscebat exacte miscetur, miscela crucibulo ingeritur, cujus capacitas sit tanta ut duplam copiam materiei capere possit. Crucibulum hoc statumini imponitur in furno, et alio majori crucibulo tegitur. Nunc ignis accenditur et massa candescat, ita ut crucibulum externe colore cerasino rubro ignitum sit. Cautela vero adhibenda ne massa fluere incipiat, nec crucibulo adglutinetur, alias enim difficulter ex crucibulo eximitur et etiam materia ipsius crucibuli corrumpitur et Terra aliena admiscetur. Crucibula ex Terra porcellana aut vitrescibili meliora sunt, nam non tam facile ab alcalibus corroduntur.

   Si crucibulum frigefactum, massa effunditur. Si coloris sit penitus albi, paucam copiam substantiae metallicae continebit. Si rubri sit coloris, Ferrum continet. Si viridis, Cuprum, et in quibusdam casibus, praecipue, si color plus ruber quam viridis sit, Ferrum valde phlogisticatum, coloris vero coerulei aliquid Magnesiae nigrae suspicari licet.

2. Massa tenuiter conteritur et Aqua superfunditur: si haec Aqua colorem viridem, rubrum, amethystinum aut coeruleum induit, denotat magnam copiam Magnesiae nigrae contentam esse. Aqua decantari potest, et praecipitatum fuscum sensim natum separari, et separatim per Acidum Salis in Magnesiam nigram et Terram siliceam resolvi.

   In omni casu interea optimum erit, ut integrae massae tantum ex aequali parte Acidi Nitri et Salis paratae AQUAE REGIAE addatur, ut non solum alcali saturetur, sed et partes solubiles extrahantur. Miscela nunc calefiat, et ratione majoris aut minoris solubilitatis partium terrestrium diutius et majori gradu ad ebullitionem usque. Acidum de novo tam diu adfunditur, donec nihil amplius solvatur. Dein omnia filtro infunduntur, et *Residuum* a filtratione edulcoratur. Filtrum siccatur et ponderatur; pondus hujus determinat copiam soluti.

3. Si *Residuum* hoc non sit penitus album, sed plus vel minus griseum aut fuscum, denotat illud nondum satis resolutum fuisse, hinc adhuc semel colligendum et 2 partibus alcali mixtum optime candescat. Recens Acidum adfusum hoc certe nunc penitus aut usque ad Terram siliceam dissolvet. Optimum erit, si ad collectionem *Residui* a filtratione primum filtrum iterum adhibeatur. Cum Terra silicea, tamdiu, quamdiu ad partem constitutivam alicujus corporis pertinet, nunquam Aerem aut Aquam contineat, haec post collectionem, edulcorationem et siccationem per horam optime candescat, ut pondus hujus exactum pateat.

Si

Si solutio maxima copia Aquae diluta, aut nimium Acidi contineat, tunc primo in vase porcellaneo evaporatur et dein per destillationem ab Acido abundanti liberatur. Durante hoc labore saepe Ferrum forma Calcis praecipitatur, in fine destillationis vero iterum solvitur. Si hoc non contingit, Acidum Salis addendum, si *Residuum* Aqua solvitur. Oritur vero sedimentum paucum fuscum, adhuc aliquid Sacchari addendum, ut haec Calx metallica dephlogisticata phlogiston necessarium ad ejus solutionem obtineat.

Separatio Ferri.

Solutio vitro infunditur, et si colorata sit, et quidem etiam diluti coloris, injicitur Sal alcali phlogisticatum contritum in parvis portionibus, semper longiori intervallo, donec nullum praecipitatum coloratum amplius appareat. Attentio omnis adhibenda, ut punctum rectum attingamus. Pondus Salis alcalini adhibiti notatur et rationibus infertur Ferrum contentum, ut hoc dein ab integro praecipitato abstrahere possimus. Si Sal alcali phlogisticatum materia colorante penitus saturatum fuerit, non metuendum erit, ut Terras praecipitet et si ab Acido vitriolico liberum, nec Terram ponderosam praecipitet. Cavendum tamen, ne nimium hujus Salis alcalini addatur, ne rationes dein illatae per partem Ferri contentam, quam hoc Sal non resolutum continet, sint fallaces.

Nunc miscela per 3 aut 4 dies quiescat, donec praecipitatum coloratum penitus fundum petat. Si hoc non recte contingeret, solutio calefiat, et ad aliquot uncias evaporetur. Hoc conducit ad plures casus, quia praecipitatum inde magis corporeum fit et non tam facile per filtrum transit. Si hoc ultimum contingeret, illud filtratum ad siccitatem evaporetur, residuum in Aqua dissolvatur et iterum filtretur. Si praecipitatum fundum petiit, in filtro colligitur, Aqua calida bene edulcoratur, siccatur, ponderatur, et nunc cum filtro ipso in crucibulo antea per candescentiam exsiccato et ponderato per aliquot horas candescat, iterum ponderatur, et de hujus pondere pondus Ferri contenti, Salis alcalini phlogisticati et pondus cinerum chartae abstrahitur.

5 grana Ferri metallici 7 grana largiuntur Ferri attractilis.
4 grana Ferri metallici largiuntur 9 grana Ferri Acido aereo soluti.
100 grana chartae communiter granum unum cinerum largiuntur.

Si supra dictum praecipitatum coeruleum una per filtrum transivit, tunc miscela nimis acida deprehenditur et penitus evitari potest, si solutio calefiat antequam evaporetur et antequam misceatur cum alcali phlogisticato, et si superfluum Acidum alcali minerali fere saturetur. His enim omnis casus adversus et etiam secundum infortunium evitatur, nempe Acidum Salis nunc nihil de Ferro, Cupro aut Magnesia nigra secum abripit.

Etiam Ferrum per alcali causticum praecipitari potest, sed solummodo in hoc casu, si corpus examinandum nullam Terram aluminosam conti-

tineat, nam haec simul cum Ferro praecipitatur. Sed in praecipitatione Ferri cautissime procedendum, et solutio, si Acidum liberum non contineat, cum aliqua quantitate Acidi supersaturanda, et guttatim solummodo alcali volatile instillandum, alias enim semper pars Terrae Magnesiae simul cum Ferro praecipitetur. An error talis in hac re commissus fuerit, noscitur, quod solutio in hoc casu odorem alcali volatilis exhalet. Nunc ergo necesse erit, ut aliquid Acidi addatur, et praecipitatio de novo et majori cautela repetenda.

Terra Magnesia per alcali causticum nunquam penitus, tamen autem pro parte, et ut in plurimis praecipitationibus contingit, per superfluum medii praecipitantis, praecipitatur, Ferrum vero solummodo per illam quantitatem alcali volatilis, quae exacte requiritur, ad menstruum saturandum.

Terra calcarea nunquam per alcali causticum perfectum praecipitatur. Cum autem superflua quantitas, quae ad eam copiam Terrae Magnesiae praecipitandam, addi debet, quae per alcali causticum praecipitari potest, aut saepe casu in praecipitatione Ferri ex solutionibus Terrae calcareae additur, facile aliquid Acidi Aerei ex Athmosphaera attrahit, sic hoc superfluum etiam tunc Terram calcaream praecipitat, et Ferrum aut Terram Magnesiam alieno corpore conspurcat. Ad hoc autem evitandum, praecipitatum illico separandum, quamprimum praecipitatio peracta fuerit. Si haec omnia exacte observantur, corpus examinandum, quod solummodo Ferrum, Terram Magnesiam, et calcaream continet, per Acida, alcali volatile mite et causticum resolvi poterit, si nempe primo Ferrum, dein praecipitabilis pars Terrae Magnesiae per alcali volatile causticum, Terra calcarea nunc per Acidum Vitrioli et residuum Terrae Magnesiae tandem per alcali volatile praecipitatur. Cum interim haec methodus summam cautelam requirat, non consultum erit, ut semper adhibeatur.

Est adhuc alius casus, ubi separatio Ferri ab aliis principiis nunquam adeo bene per alcali causticum perfici poterit. Si nempe corpus examinandum et decomponendum, Ferrum forma proprie metallica aut fere metallica contineat. Nam tunc Ferrum quidem separatur, sed sensim et sensim, uti majorem copiam phlogisti perdit. Si miscela talis illico post praecipitationem filtratur, dein adhuc major portio Ferri praecipitatur, et una cum hoc Terra Magnesia et calcarea. Si corpus examinandum, quod Ferrum in hac forma in se continet, solutio hujus Acido Nitri supersaturanda, et hoc calore abigendum, ut Ferrum dephlogisticetur. Ferrum alcali volatili praecipitatum pariter candefiat, et rationibus illatis vera quantitas Ferri metallici aut Aere fixo soluti quaerenda.

Examen Ferri an Cuprum contentum sit.

Si suspicio sit in Calce Ferri candefacta Cuprum contineri: haec cum alcali volatili miti superfunditur et per aliquot horas digeritur; coeruleus liquor decantatur, et de novo alcali adfunditur, tamdiu donec color coeru-

ruleus non amplius appareat. Residuum edulcoratur et candescat: defectus ponderis hujus diminuti indicat pondus Calcis Cupri extracti.

Examen Calcis Ferri an Magnesia nigra contenta sit.

Si suspicio sit Magnesiae nigrae, tunc Calx Ferri, extracto prius Cupro et iterum candefacta, saturato lixivio Salis alcalini vegetabilis caustici superfunditur, calore ebullitionis digeritur, lixivium filtratur, residuum a filtratione edulcoratur, siccatur, candefiat et ponderatur, ut pondus extractae Magnesiae nigrae patescat. Solutio Magnesiae nigrae alcalina in vitro tecto seponitur, ut Magnesia nigra sensim et sensim fundum petere possit. Praecipitatum hoc eodem modo colligitur, edulcoratur, siccatur, candefiat et ponderetur.

Separatio Terrae ponderosae.

Si nunc *Residuum*, seu *partes fixae* Aquarum mineralium examinandae solutae, ab omnibus partibus metallicis liberatae fuerint, tunc una Terra post alteram exinde separatur. Si solutio harum partium fixarum valde diluta sit, illico quaedam guttae Acidi vitriolici instillari possunt, ut patescat, an Terram ponderosam contineat. Si non sit diluta, solutio aliquot libris Aquae diluenda erit. Si Terra ponderosa praecipitatur, tamdiu additur Acidum Vitrioli, quamdiu praecipitatum appareat. Hoc praecipitatum colligitur, edulcoratur, siccatur et ponderatur, et nunc cum alcali minerali miti miscetur in proportione ut 1 : 4, et per plures horas in Aqua destillata coquitur, quo facto Terra ponderosa aerata debite edulcoratur et sic porro.

Separatio Terrae calcareae.

Dein solutio evaporatur usque ad remanentiam unciae semis, miscetur cum quarta parte Spiritus Vini depurati, et nunc Acidum Vitrioli dilutum ex aequalibus partibus Olei Vitrioli rectificati et Aquae destillatae compositum guttatim instillatur, donec nihil amplius praecipitetur. Postea miscela infunditur filtro, et Selenites cum una parte Alcoholis et tribus partibus Aquae destillatae mixtis edulcoratur. Haec miscela omnia Salia solvit, excepto Selenitide et Tartaro vitriolato. Selenites nunc coctione cum lixivio alcali mineralis decomponitur, solutio spirituoso-aquosa primo per destillationem a Spiritu Vini liberatur, dein vero, ut qualiscunque solutio Terrae Magnesiae et Aluminosae, in Aqua regia tractatur.

Acidum Sacchari ad praecipitationem Terrae calcareae nihil valet, nam hanc ex superfluo Acido Nitri et Salis plane non praecipitat. Ex penitus saturatis et calefactis solutionibus in Acido Nitri, Salis aut Aceti hanc quidem praecipitat Acidum Sacchari, verum simul etiam Terra Magnesia et Aluminosa.

Separatio Terrae Aluminosae.

Solutio a Terra ponderosa et calcarea nunc liberata in vasculo porcellaneo usque ad ¼ librae evaporatur et dein alcali volatile causticum tam diu admiscetur, donec nihil amplius praecipitetur. Hoc Praecipitatum continet Terram aluminosam, Terram Magnesiam, et saepe pauxillum Terrae siliceae, edulcoratur, non autem siccatur, sed madidum adhuc in parumper superflua quantitate Acidi Vitrioli solvitur. Si aliquid remaneret in fundo indissolutum, erit Terra silicea, quae ab Acidis pro parte soluta fuit, et quae nunc per filtrationem separatur et edulcoratur.

Solutio nunc usque ad remanentiam unciae unius inspissatur, et si sapor aluminosus sit, tamdiu Terra Magnesia, quae brevi ante usum valde exsiccata fuit, additur, donec solutio, cum charta coerulea inter *Reagentia* descripta, nulla signa Acidi exhibeat.

In hac separatione Terrae aluminosae per Terram Magnesiam summa cautela adhibenda et miscela usque ad ebullitionem incalescat, antequam ultima quantitas Terrae Magnesiae additur. Praecipue vero versus finem praecipitationis Terra Magnesia solummodo per portiones grani dimidii aut quartae partis grani additur. Si haec omnia negliguntur, si gutta solutionis examinatur, sine praegressa calefactione cum Tinctura Lackmus aut charta simili, Aer fixus residuus utramque substantiam colore rubro tinget, et periculum imminet ut nimium Terrae Magnesiae addatur. Dein obtinetur plus Aluminis indissolubilis, et saepe nullam aut minorem quantitatem Terrae Magnesiae, quam obtinuissemus, si observatio harum cautellarum non fuisset neglecta.

Cum interea omni adhibita circumspectione fieri possit ut nimium Terrae Magnesiae addatur, consultius erit, ut miscelae calefactae mediocriter forte Acetum instilletur. Effervescentia, quae ad primam guttam Aceti instillatam oritur aut non oritur, dummodo Terrae Magnesiae sit nimium aut non sit nimium, operatori indicabit, quid ulterius faciendum.

Praecipitatum, quod hic oritur, edulcoratur, siccatur, ponderatur et in proportione ut 4 : 1 cum alcali et Aqua coquitur. Terra argillacea quae nunc apparet, iterum colligitur, edulcoratur, siccatur et ponderatur.

Separatio Terrae Magnesiae.

Solutio cum Acido Vitriolico facta, a qua Terra aluminosa per Terram Magnesiam separata fuit, nunc ulterius per alcali minerale mite decomponitur. Summa cautela hic requiritur, ne nimium, verum ne etiam nimis parum Salis alcalini admisceatur. Optimum est, praecipue versus finem operationis, ut lixivii alcalini valde diluti gutta una instilletur. Nunc, si praecipitatio finita sit, omne liquidum evaporatur, Terra praecipitata edulcoratur, solutio salina vero et Aqua ad edulcorationem adhibita non abjicitur, sed adhuc semel evaporatur, ne minima quantitas Terrae perdatur.

tur. Haec per iteratam solutionem Salium, filtrationem, et edulcorationem obtinetur. Terra siccatur, ponderatur et de pondere hujus, illa ad praecipitationem Aluminis cum Terra aluminosa supersaturati adhibita copia Terrae Magnesiae subtrahitur.

Documentum exactae Analysis.

Si methodo mox descripta singula quinque Terrarum simplicium separatim obtenta fuerit: singula per se in Acido Vitrioli diluto solvitur. Hic Ferrum, (*Calx Ferri ante solutionem cum pauca copia Picis candefieri potest, ut magis solubilis evadat*), si purum erat, merum Vitriolum, Terra calcarea merum Selenitidem, Terra Magnesia merum Sal amarum, Terra ponderosa reductum Spatum ponderosum, Terra aluminosa Alumen dabit, et Terra silicea penitus solubilis fit, si cum quadrupla quantitate Salis alcalini liquatur et dein Aquae injicitur. Si haec omnia non contingunt, operatio Examinis male instituta fuit. Notandum adhuc, nullam Aquam ad edulcorationem adhibitam abjiciendam esse, nisi coctione usque ad siccationem examinata fuerit. Alias enim saepe pars Terrae calcareae et Terrae Magnesiae, imo ipsius Terrae aluminosae deperderetur, quia etiam haec pro parte in Aqua frigida solubilis esse videtur.

Tandem omnes Terrae, singula per se — nisi *partes constitutivae* Aquarum examinatae proportionatam copiam *Aeris fixi* contineant, fortiter candescant, ut ab Aqua et Aere liberentur et verum harum pondus innotescat.

Analysis Selenitidis.

Cum Terra calcarea et ponderosa, si Acido Vitrioli juncta sint, valde indissolubiles evadant, Selenites et Spathum ponderosum propriam tractationem requirunt, si in quodam corpore examinando inveniuntur.

Si ergo suspicio adsit praesentis in tali corpore Selenitidis, nullo modo hoc cum alcali candefiat, si pondus Selenitidis detegere volumus. Solus Selenites per se cum Aqua regia tunc extrahitur, dummodo in hac non sit penitus indissolubilis, Selenites indissolubilis in hac, Aqua destillata per Aquam regiam acida reddita abluitur, omnes liquores obtenti ad siccitatem evaporantur, et Salia facile solubilia per Spiritum Vini separantur. Haec solutio spirituosa dein a Spiritu Vini mediante calore liberatur, AQUA miscetur DESTILLATA et ulterius decomponitur seu Analysis instituitur. Selenites in fundo vasis invenitur.

Si *partes fixae* Aquarum mineralium sine fusione cum alcali non fuerint solubiles in Acidis, nihil nocet in quibusdam casibus. Sal mirabile aut Tartarus vitriolatus, qui oritur, si dein cum alcali candescant, iterum Selenitidem generant, si nunc liberata Terra calcarea in Aqua regia solvitur. Etiam hic Selenites per Aquam destillatam acidam redditam separatur, et uti dictum proceditur.

Ana-

Analysis Spati ponderosi.

Spatum ponderosum Acidis non solvitur. Corpus, in quo continetur, prius cum alcali candescat. Vel enim cum Aqua nunc alcali aufertur, aut proceditur ut supra de separatione Terrae ponderosae dictum, sic in solutione iterum Spatum ponderosum ex Acido Vitrioli oritur, quod alcali attraxit et ex Terra, quam Aqua regia solvebat. Detegitur hoc, si Terra alba indissolubilis, quae a corpore examinando remanet, cum tribus partibus alcali adhuc semel candefiat. Si haec Terra nunc in Aqua non sit penitus solubilis, tunc residuum edulcoratum ab hac solutione cum Acido Salis aut Nitri extrahitur; quod hic remanet, iterum cum alcali candescat, Aqua edulcoratur et Acido Salis extrahitur. Nunc probabiliter — Terra silicea in Aqua — Terra ponderosa in Acido soluta erit. Haec per alcali minerale mite, Terra Silicea vero per Acidum Vitrioli separatur, si solutio prius ad remanentiam quartae partis librae unius evaporata fuerit. Plura vide in celeb. (F. A. HOCHHEIMER *Handbuch zur chemischen Praxis etc. Leipzig* 1792.) et aliis celeb. Chemicis, qui de *Examine Aquarum mineralium* scripserunt et has juxta recentissimas Chemiae observationes Examini chemico subjecerunt.

FINIS PARTIS PRIMAE.

DIS-

DISPENSATORIUM

UNIVERSALE.

PARS II.

DISPENSATORII UNIVERSALIS

PARS II.

MEDICAMENTA

PRAEPARATA ET COMPOSITA,

TAM

OFFICINALIA QUAM EXTEMPORANEA,

EORUMQUE MODUM PRAEPARANDI

EXHIBENS.

PARTIS SECUNDAE

SECTIO I.

MEDICAMENTA PRAEPARATA ET COMPOSITA
OFFICINALIA.

SECTIO II.

MEDICAMENTA PRAEPARATA ET COMPOSITA
EXTEMPORANEA CONTINENS.

S E C T I O I.

MEDICAMENTA PRAEPARATA ET COMPOSITA *OFFICINALIA*, QUAE IN PHARMACOPOLIIS ASSERVANTUR UT OMNI TEMPORE SINT IN PROMPTU.

V. ACETUM ASAE FOETIDAE.

Rec. Asae foetidae unciae octo,
Aceti Vini praeparati librae quatuor,
misce, stent in digestione lenissimo calore per 4 dies, dein filtrentur.

V. ⊙ ACETUM LITHARGYRII DILUTUM.

Rec. Lithargyrii pulverati libra una,
Aceti Vini optimi librae sex,
coquatur miscela in vase figulino vitreato, sub crebra agitatione cum bacillo ligneo, et coctio super leni igne ita moderetur, ut liquidum semper ebullire solummodo incipiat, et tam diu continuanda, donec vitrum unciae unius Aquae destillatae capax, Aceti hujus decocti drachmas capere potuerit decem; tunc ab igne vas remotum ad subsidentiam reponatur, humor denique clarus et pellucidus per chartam filtretur bibulam et in vitro servetur clauso.

NOTAE PROBITATIS. Sit limpidum, saporis dulcis constringentis, et ponderis supra determinati, chartam coeruleam sive Tincturam Laccae coeruleae minime decoloret et aeri expositum sedimentum album deponat.

V. ⊙ ACETUM LITHARGYRII CONCENTRATUM, seu EXTRACTUM SATURNI.

Rec. Aceti Lithargyrii diluti librae duae,
in vase terreo vitreato super prunis, ac sub continua agitatione cum bacillo ligneo, evaporentur eo usque dum mensura unciae unius pependerit uncias duas.

V. ACETUM MORORUM.

Rec. Baccarum Mororum nigrorum maturorum quantum satis, exprimatur Succus et praeparetur ulterius ut *Acetum Rubi Idaei.*

V. ACETUM PROPHYLACTICUM, seu CARDIACUM, seu ANTISEPTICUM.

Rec. Radicis Angelicae uncia una cum semisse,
Herbarum recentium leniter sicatarum
Scordii
Rutae
Salviae
Menthae piperitae ana uncia una,
Baccarum Juniperi uncia semis,
Corticum Citri drachmae sex,
minutim incisis affundantur Aceti Vini praeparati librae sex, macerentur invicem in vase vitreo clauso per quadriduum, postea exprimantur, et expresso, antea autem per chartam bibulam filtrato, addantur Spiritus Vini rectificati unciae tres, servetur in vitro clauso.

V. ACETUM FLORUM ROSARUM.

Rec. Florum Rosarum rubrarum seu damascenarum recentium siccatorum unciae sex,
superaffunde in lagena vitrea Aceti Vini praeparati libras sex,
macerentur per 24 horas, dein exprimantur, expressum filtretur per chartam bibulam et servetur in vitro clauso.

V. ⊙ ACETUM BACCARUM RUBI IDAEI.

Rec. Succi expressi Baccarum maturarum Rubi Idaei librae quatuor,
filtrentur per chartam bibulam, dein adde filtrato Succo Aceti Vini praeparati libras duas, misce servetur in vitro clauso.

V. ACETUM HERBAE RUTAE.

Paratur ut *Acetum Florum Rosarum.*

V. ⊙ ACETUM FLORUM SAMBUCI.

Paratur ut *Acetum Florum Rosarum.*

⊙ ACETUM SQUILLITICUM.

Rec. Radicis Squillae siccatae minutim concisae libra una,

Aceti

Aceti Vini concentrati loco destillati librae sex,
mixta digerantur leni calore et sub crebra agitatione in vase vitreo per 3 dies, exprimatur tunc liquor et per diem ad subsidentiam repositus, denique filtretur et in vase vitreo clauso asservetur.

V. ⊙ ACETUM VINI CONCENTRATUM LOCO DESTILLATI.

Rec. Aceti Vini praeparati librae duodecim,
evaporentur in vase vitreo in balneo mariae usque ad remanentiam dimidiae partis, dein per diem ad subsidentiam repositum, denique filtretur et in vase vitreo clauso servetur.

V. ⊙. ACETUM VINI COMMUNE PRAEPARATUM.

Rec. Aceti communis Vini optimi quantum volueris,
reple cum illo plures lagueas vitreas, quae in vas amplum Aqua repletum, quod super ignem positum, imponuntur; coquitur per horam unam, dein lagenas exime et obtura. Hoc modo Acetum commune Vini praeparatum per plures annos incorruptibile manet.

⊙ AETHIOPS ANTIMONIALIS.

Rec. Antimonii crudi praeparati uncia una,
Florum Sulphuris lotorum uncia semis,
in mortario vitreo vel marmoreo antea calefacto, mixtis, sub continua et per tempus longum protrahenda trituratione successive addatur
Mercurii vivi revivificati uncia una,
adspergendo interdum aliquot guttulas Aquae fervidae, probe terantur ad perfectissimam unionem, ita ut globuli mercuriales penitus et oculo armato dispareant. Servetur in vitro clauso.

N. P. Sit pulvis niger, omnimode opacus, nec Microscopii ope globulos mercuriales monstrans, ponderosus. In crucibulo ignito Sulphur et Mercurius avolent, cinis antimonialis vero remaneat.

DOSIS. Infantibus unius ad 4 annos a grano dimidio ad tria. Infantibus 4 aut 10 annorum grana quatuor ad sex. Adultis grana decem ad viginti.

⊙ AETHIOPS MINERALIS.

Rec. Cinerum clavellatorum depuratorum unciae duae,
Florum Sulphuris lotorum unciae quatuor,
Aquae Calcis vivae recenter paratae librae duae,
cucurbitae vitreae colli longioris immittantur et in balneo arenae, cucurbita clausa, ad optimam Florum Sulphuris solutionem coquantur; lixivium refrigeratum et ova putrida redolens per chartam bibulam filtretur in vas porcellaneum vel vitreum. Tunc

Rec.

Rec. Mercurii vivi depurati seu revivificati unciae duae,
his vasi vitreo immissis, affundantur sensim et repetitis vicibus
Spiritus Nitri fortis seu Aquae fortis duplicis unciae quatuor,
sive quantum satis ad solutionem Mercurii plenariam.

Haec solutio Mercurii nitrosa caute et guttatim instilletur lixivio supra dicto sulphuroso, vasi porcellaneo vel vitreo immisso, quae instillatio tam diu protrahatur, quam gutta instillata effervescentiam effecerit; qua non amplius exoriente, miscela quieti committatur, ut omnis pulvis praecipitari et liquor supernatans penitus clarus evadere possit. Quo facto liquor provide decantetur et sedimentum pluries Aqua communi destillata edulcoretur, usque dum Aqua affusa sine omni sapore salino defluxerit. Sedimentum nigrum edulcoratum chartae albae typographicae impositum, denique lenissimo calore exsiccetur et dein in mortario vitreo in pulverem redigatur finissimum, qui in vase vitreo clauso servandus est.

N. P. Sit pulvis tenuissimus, nigredinis sammetinae obscurioris, quodammodo in ruborem profundum vergentis. In cochleari super prunis candente in totum avolet.

ALUMEN KINOSATUM.

Rec. Auminis Romani unciae duae,
Gummi Kino subtilissime pulverati uncia una,
solve in Aquae calidae pluvialis sufficienti quantitate,
dein liquor filtretur; evaporetur ad cuticulam, ut in crystallos coeat, crystalli siccatae serventur; repetatur haec operatio, donec nihil amplius crystallisetur, collectae crystalli siccatae serventur in vase vitreo clauso.

DOSIS. Est a granis 5 ad 20; est remedium egregium in haemorrhagiis a laxitate et debilitate vasorum ortis.

V. ⊙ ALUMEN USTUM.

Rec. Aluminis Romani quantum volueris,
immittatur crucibulo hassiaco, ita capaci, ut ad tertiam partem solummodo repleatur; inter prunas calcinetur Alumen, donec in massam spongiosam elevetur et nullam amplius spumam emiserit; expulsa sic omni crystallisationis Aqua, amoveatur ab igne, ne etiam acidum difletur, et massa levis, sicca, porosa et alba evaserit.

V. ⊙ ANTIMONIUM CRUDUM ALCOHOLISATUM seu PRAEPARATUM.

Rec. Antimonii crudi selecti quantum libet,
contundatur in mortario ferreo in pulverem aequabilem, hic pulvis dein in mortario lapideo tamdiu teratur, donec in pulverem subtilissimum ex nigro

gro griseum, vix splendentem redactus fuerit, et in vitro optime clauso servetur.

⊙ ANTIMONII BUTYRUM.

Rec. Hepatis Antimonii recenter parati libra una,
redigatur in pulverem et immitte in cucurbitam vitream amplam, huic paulatim et caute affundatur miscela antea separatim facta ex tribus libris Aquae communis destillatae et Olei Vitrioli rectificati albi concentrati unciis quindecim, quibus adhuc Salis communis depurati et in pulverem triti unciae quindecim additae erant. Cucurbita ponitur leni calore in digestionem per 12 horas, dein liquor seu solutio obtenta frigefacta filtretur. Residuo in cucurbita adhuc semel affunditur tertia pars menstrui praedicti, digeritur et filtratur. Est Butyrum Antimonii via humida juxta celeb. SCHEELE facillima et longe leviori pretio paratum. Si hoc Butyrum obtentum multa Aqua communi destillata ebullienti miscetur et huic instillatur, praecipitatur pulvis albus, vocatur *Pulvis Algarotti,* qui caute Aqua communi destillata calida edulcoratur, siccatur, et in vitro clauso servatur.

⊙ ANTIMONII HEPAR.

Rec. Antimonii crudi pulverati libra una,
Nitri prismatici depurati sicci et pulverati libra una cum semisse,
invicem misceantur, miscela crucibulo hassiaco frigido ingeratur, tecto crucibulo ponantur inter prunas et crucibulum sensim et sensim leni calore incalescat, donec miscela optime et instar Aquae fluat, postea in crucibulo ex igne demto refrigerationi committatur. Crucibulum denique diffringatur et massa inferior fusca a superiori cinerea salina, mediante malleolo, separetur, serveturque massa inferior fusca in vase vitreo clauso.

AQUAE DESTILLATAE SIMPLICES.

V. AQUA DESTILLATA FLORUM ACACIAE.

Rec. Florum Acaciae recentium integrorum et lenissime siccatorum librae duae,
Aquae communis librae duodecim,
immittantur vesicae intus Stanno puro probe obductae, alembico stanneo et vase frigidario amplo instructae, applicata recipiente et commissuris rite obturatis, instituatur igne ita moderato, ut fluidum solummodo guttatim transeat, destillatio eo usque protrahenda, donec librae sex Aquae elicitae fuerint. Aqua destillata in vase vitreo charta clauso, et in loco frigido servetur.

V.

V. AQUA DESTILLATA SEMINUM AMOMI, seu PIPERIS JAMAICENSIS SIMPLEX.

Paratur ut *Aqua destillata Castorei simplex.*

V. AQUA DESTILLATA SEMINUM ANISI.

Paratur ut *Aqua destillata Seminum Carvi.*

V. AQUA DESTILLATA CORTICUM AURANTIORUM.

Rec. Corticum Aurantiorum recentium concisorum librae duae,
Cinerum clavellatorum depuratorum pulveratorum siccatorum et leniter calefactorum unciae sex,

exacte mista includantur sacco linteo satis capaci, ne cortices comprimantur sed leviter solummodo inter se cohaereant; sacculus in vesica satis ampla, cui prius infusae sunt

Aquae communis librae duodecim,

ita suspendatur, ut inter Aquae superficiem et sacci fundum intercedat spatium trium pollicum et solummodo vapores aquosi sub destillatione assurgentes, minime vero Aqua ebulliens ipsa, saccum attingere possint; quo facto capitello stanneo, vase refrigeratorio et recipiente applicato debite instituatur destillatio, leni calore, ita ut Aqua in excipulum transiens tenue filum formet et excipulum non incalescat; si hoc accidit ignis gradus minuitur; abstrahantur sic lege artis librae sex, dicto modo servandae.

V. AQUA DESTILLATA FLORUM AURANTIORUM, seu AQUA NAPHAE.

Paratur ut *Aqua destillata Corticum Aurantiorum ex Floribus recentibus Aurantiorum.*

V. ⊙ AQUA DESTILLATA SEMINUM CARVI.

Rec. Seminis Carvi leviter contusi libra una,
Cinerum clavellatorum depuratorum unciae tres,
Aquae communis librae duodecim,

mista in vase vitreo clauso stent in infusione frigida per 12 horas saepius agitando, tunc ex vesica debite instructa, lege artis abstrahantur librae sex, in vitro servandae charta clauso et in loco frigido.

V. ⊙ AQUA DESTILLATA FLORUM CASSIAE SIMPLEX.

Paratur ut *Aqua destillata Seminum Carvi.*

V.

V. AQUA DESTILLATA CASTOREI SIMPLEX.

Rec. Castorei Russici in minuta frusta discissi libra una,
Cinerum clavellatorum depuratorum unciae tres,
Aquae fontanae librae duodecim,
mista digerantur in vase vitreo clauso per 24 horas, dein destillentur ad medietatem ex vesica debite instructa, serventur in vase vitreo clauso et loco frigido.

V. ⊙ AQUA CERASORUM NIGRORUM.

Rec. Cerasorum nigrorum antea succo suo expressione destitutorum librae tres,
contusis in mortario lapideo nucleis affundantur Aquae communis librae sedecim,
post unius diei macerationem ex vesica debite instructa, igne moderato, destillentur librae octo, dicto more asservandae.

V. ⊙ AQUA FLORUM CHAMOMILLAE NOSTRATIS, seu VULGARIS.

Rec. Florum Chamomillae nostratis seu vulgaris recentium leniter siccatorum librae duae,
Cinerum clavellatorum depuratorum, pulveratorum, siccatorum et leniter calefactorum unciae sex,
exacte mista includantur sacco linteo satis capaci, ne Flores comprimantur, sed leviter solummodo inter se cohaereant; saccus in vesica satis ampla, cui prius infusae sunt
Aquae communis librae duodecim,
ita suspendatur, ut inter Aquae superficiem et sacci fundum intercedat spatium trium pollicum et solummodo vapores aquosi sub destillatione assurgentes, minime vero Aqua ebulliens ipsa, saccum attingere possint; quo facto capitello stanneo, vase refrigeratorio et recipiente applicato, instituatur leni igne destillatio, ita ut Aqua forma fili tenuioris in excipulum transeat, nec excipulum incalescat, si hoc accidit, ignis gradus minuitur; continuatur destillatio, donec librae sex elicitae fuerint, in vaseo vitreo charta clauso et in loco frigido asservandae.

V. AQUA HERBAE COCHLEARIAE.

Paratur ex Herba recenti ut *Aqua Florum Chamomillae nostratis seu vulgaris.*

V ⊙ AQUA DESTILLATA COMMUNIS.

Rec. Aquae communis librae viginti quatuor,
destillentur lege artis ex vesica probo Stanno optime obducta et libra una primum transgressa ob particulas volatiles heterogeneas forsan simul tran-

sitas abjiciatur, continuetur tunc destillatio moderato igne ad quartae partis remanentiam vel eo usque, dum guttulae decidentes Aquam jam destillatam turbaverint. Servetur in lagenis vitreis epistomio clausis in loco frigido.

N. P. Sit limpidissima, nec ab instillatione Lixivii Salis alcalini vegetabilis nec Aquae Calcis vivae turbetur; ab instillata solutione Salis Acetosellae aquosa vel Terrae ponderosae salitae, vel Argenti in Acido Nitri minime turbida reddatur, nec Tincturam Laccae coeruleae decoloret.

V. AQUA DESTILLATA FOLIORUM DICTAMNI CRETICI.

Paratur ut *Aqua destillata Florum Chamomillae vulgaris.*

V. ⊙ AQUA DESTILLATA SEMINIS FOENICULI ITALICI, seu DULCIS.

Paratur ut *Aqua destillata Seminum Carvi.*

V. AQUA DESTILLATA HERBAE HYSSOPI.

Paratur ut *Aqua destillata Florum Chamomillae nostratis, seu vulgaris.*

V. AQUA RADICIS IRIDIS FLORENTINAE.

Paratur ut *Aqua destillata Castorei simplex.*

V. ⊙ AQUA DESTILLATA BACCARUM JUNIPERI.

Paratur ut *Aqua destillata Seminum Carvi.*

Aqua destillata Foliorum Laurocerasi.

Rec. Foliorum Laurocerasi recentium libra una,
Aquae communis librae duae,
mista digerantur in vase vitreo per 24 horas, dein ex cucurbita vitrea destilletur moderato igne libra una et servetur in lagena vitrea probe clausa.

V. AQUA DESTILLATA HERBAE MELISSAE SIMPLEX.

Paratur ut *Aqua destillata Florum Chamomillae nostratis seu vulgaris.*

V. ⊙ AQUA DESTILLATA HERBAE MENTHAE CRISPAE SIMPLEX.

Paratur ut *Aqua destillata Florum Chamomillae nostratis seu vulgaris.*

V.

V. AQUA DESTILLATA HERBAE MENTHAE PIPERITAE SIMPLEX.

Paratur ut *Aqua destillata Florum Chamomillae nostratis seu vulgaris.*

V. AQUA DESTILLATA SEMINIS OREOSELINI.

Paratur ut *Aqua destillata Seminum Carvi.*

V. ⊙ AQUA DESTILLATA SEMINUM PETROSELINI.

Paratur ut *Aqua destillata Seminum Carvi.*

V. ⊙ AQUA DESTILLATA FLORUM ROSARUM PALLIDARUM.

Paratur ut *Aqua destillata Florum Chamomillae nostratis seu vulgaris.*

V. AQUA DESTILLATA BACCARUM RUBI IDAEI.

Paratur ut *Aqua destillata Cerasorum nigrorum.*

V. AQUA DESTILLATA HERBAE RUTAE.

Paratur ut *Aqua destillata Florum Chamomillae nostratis seu vulgaris.*

V. ⊙ AQUA DESTILLATA HERBAE SALVIAE.

Paratur ut *Aqua destillata Florum Acaciae.*

V. ⊙ AQUA DESTILLATA FLORUM SAMBUCI.

Paratur ut *Aqua destillata Florum Chamomillae nostratis seu vulgaris.*

V. AQUA DESTILLATA RADICIS VALERIANAE.

Paratur ut *Aqua destillata Florum Chamomillae nostratis seu vulgaris.*

V. AQUA DESTILLATA VANILLAE SIMPLEX.

Paratur ut *Aqua destillata castorei simplex.*

V. AQUA DESTILLATA HERBAE VULVARIAE, seu ATRIPLICIS FOETIDAE.

Paratur ut *Aqua destillata Florum Chamomillae nostratis seu vulgaris.*

AQUAE DESTILLATAE COMPOSITAE.

AQUA DESTILLATA AROMATICA.

Rec. Pulveris aromatici libra una,
Cinerum clavellatorum depuratorum unciae tres,
Aquae fontanae librae duodecim,
mista stent in vase vitreo clauso in digestione calida leni calore per 24 horas, dein ex vesica debite constituta destillentur inde librae sex, serventur in vase vitreo clauso loco frigido.

V. ⊙ AQUA DESTILLATA VULNERARIA SPIRITUOSA, seu VULGARIS.

Rec. Herbarum recentium leniter siccatarum
Scordii
Rutae
Salviae
Roris marini
Hyssopi
Florum Lavandulae ana uncia una cum semisse,
Herbarum recentium leniter siccatarum
Majoranae
Menthae crispae ana uncia una,
conscissis affundantur Spiritus Vini rectificatissimi unciae decem,
Aquae communis librae duodecim,
digerantur in vase vitreo leni calore vase clauso per 24 horas, dein ex vesica debite constituta destillentur inde librae decem, serventur in vitro clauso loco frigido pro usu externo.

AQUAE SINE DESTILLATIONE PARANDAE.

V. AQUA CALCIS OSTREARUM.

Rec. Ostrearum depuratarum quantum vis,
candescant et calcinentur in vase terreo vel intra carbones per aliquot horas, donec penitus albescant et friabiles sint, dein paratur inde Aqua Calcis pro usu interno, ut infra descripta Calcis vivae, quae potius externe adhibetur.

DOSIS. *Interne*, unciae duae vel tres.

V. AQUA CALCIS VIVAE.

Rec. Calcis vivae recenter ustae partem unam,
immittatur vasi terreo vel ligneo ac desuper affundantur successive
Aquae

Aquae communis partes sex,

seponantur per 8 horas et saepe spatula lignea agitentur, tunc per aliquot horas quiescant et simulac Calx subsederit et Aquae cuticula innatarit, Aqua decantetur, filtretur, et in vitro epistomio vitreo probe clauso servetur.

NOTA. Quamprimum Aqua Calcis in lagena sedimentum deposuerit, vires perdit et de novo paranda est. Aqua Calcis adhuc efficax ex admixtione solutionis Mercurii sublimati corrosivi statim aurantio tingitur colore.

⊙ *Aqua caustica nigra, seu mitior.*

Rec. Mercurii vivi revivificati
Aquae fortis duplicis ana libra una,

misce, stent in vase vitreo in loco tepido per 24 horas, reponatur solutio peracta dein in locum frigidum ad crystallisandum; liquor supernatans crystallis, instilletur in Aquam Calcis vivae recentem usque ad nigrum colorem, servetur in vitro clauso.

Aqua caustica, seu Solutio Mercurii sublimati composita.

Rec. Mercurii sublimati corrosivi pulverati unciae duae,
Aluminis crudi pulverati
Camphorae
Pulveris Cerussae ana uncia una,
Aceti concentrati
Spiritus Vini rectificati ana librae duae,

misceantur, serventur.

NOTA. Condylomata ope penicilli hac Aqua bis de die illiniantur et dein unguento mercuriali tegantur. Condylomata sic brevi ac sensim evanescunt; cutis sana, condylomatibus intermedia, ab hac Aqua non exulceratur.

⊙ *Aqua Phagedaenica, seu Solutio Mercurii sublimati simplex.*

Rec. Mercurii sublimati corrosivi grana viginti quatuor,
Aquae communis destillatae libra una cum semisse,

misceantur et serventur in vase vitreo clauso.

NO-

N. P. Sit limpida, alba et cum Aquae Calcis vivae parte aequali mixta, sedimentum deponat paucum aurantii coloris. Pro ratione circumstantiarum addendo Aquam destillatam communem minus caustica reddi poterit.

V. ⊙ AQUA STYPTICA VULNERARIA, LOCO AQUAE THEDIANAE.

Rec. Vitrioli Martis uncia una cum semisse,
Cinerum clavellatorum depuratorum drachmae tres,
Salis Ammoniaci crudi uncia semis,
Aceti Vini concentrati libra una,

stent leni calore in digestione per 6 dies, materiam saepius agitando, addatur dein Spiritus Vini rectificati libra una, stent iterum per 6 dies in digestione, saepius materiam agitando, dein filtretur liquor et servetur in vitro exacte clauso.

NOTA. Haec Aqua egregias vires possidet in vulneribus recentibus cum aut sine contusione brevi tempore consolidantes, et ad haemorrhagias in vulneribus ortas cohibendas utiliter adhibetur. Ceterum in vulneribus et ulceribus vasorum lymphaticorum tanquam unicum et efficacissimum remedium commendatur; praeterea ad ambusta et sugillationes valet, in luxationibus cum tumore partium adjacentium optime adhibetur cum Aqua vegeto-minerali mixta. Haec Aqua styptica etiam *Aquae Thedenii* praeferenda, cum in ejus Formula Saccharum brevi temporis spatio forma flocculorum alborum ex ea praecipitetur et in fomentationibus ex Sacchari cum Vitrioli acidi mixtione, linteamina tam crassa et dura crusta obducantur, ut in contusionum, luxationum et fracturarum curationibus praeter dolores a compressione et duritie in parte affecta excitatos, maximis incommodis ansam praebeat.

V. ⊙ ARCANUM DUPLICATUM DEPURATUM.

Rec. Arcani duplicati quantum libet,
solvatur in Aquae communis partibus sedecim,

huic solutioni instilletur solutio Salis alcalini fixi vegetabilis depurati, usque dum nulla amplius exorta fuerit turbatio; dein relinque parum in quiete, decantatus liquor a sedimento filtretur et leni calore in vasis vitreis vel porcellaneis ad cuticulam evaporetur ac lege artis crystallisetur; crystalli siccatae serventur in vitro clauso.

N. P. Crystalli sint vitreae, albissimae et in Aqua communi destillata solutae ab admixto Spiritu Salis Ammoniaci non coerulescant, nec a Tinctura Laccae coeruleae rubescant, et ab instillato Lixivio Salis alcalini vegetabilis fixi minime praecipitentur.

DOSIS. Est a scrupulo uno ad duos.

V. ⊙ AXUNGIA PORCI DEPURATA.

Rec. Axungiae Porci quantum vis;
Adeps a membranis, venulis et fibris purgata tamdiu Aqua lavetur, donec incruenta et limpida defluxerit; deinde in frustula concisa, in Aqua calida super leni igne in vase fictili optime vitreato liquetur, et Aqua per evaporationem lentam consumta, Axungia coletur et ad refrigerationem seponatur. Servetur in vase porcellaneo clauso.

N. P. Sit alba, saporis blandi, minime amarisculi et acris, odoris pinguis nec rancidi.

V. ⊙ BOLUS RUBRA PRAEPARATA.

Praeparatur ut *Cinnabaris factitia praeparata*.

V. BOTRYOMEL, seu SYRUPUS COMMUNIS.

Rec. Musti purioris a Torculari recenter depluentis quantum vis, coque leviter et evaporetur leni igne in vase terreo vitreato ad remanentiam quartae partis, frigescat, dein filtratus liquor servetur in vase vitreo clauso in loco frigido.

NOTA. Botryomel habet saporem dulcem et longe gratiorem quam Mel Apum, virtute quoque eximia saponacea praeditum; aequabiliter enim cum Aqua et ipso Spiritu ardente misceri potest; oleosa et resinosa corpora aquosis miscibilia reddit. Hinc Botryomel tanquam medicamentum indigenum virtute et levi pretio omni commendatione dignum, ita ut loco Sacchari ad Syrupos praeparandos et ad alia medicamenta dulcificanda adhiberi possit.

V. ⊙ CACAO TABULATA, seu PRAEPARATA, seu CHOCOLATA MEDICA.

Rec. Nucum Cacao librae quatuor,
ingestae in Aquam ebullientem leniter coquantur, donec cortices ita mollescant, ut flexiles evadant, tunc ex Aqua demantur et sacco linteo inclusae vel super cribro sparsae, in loco calido sive prope fornacem calefactum ad exsiccationem reponantur, et siccae redditae decorticentur. Postea nuclei, nulla tostione praevia, in mortario lapideo vel ferreo in pulverem contundantur grossiusculum; qui pulvis in aheno vel mortario ferreo vel super lamina ferrea, vel in propria machina lapidea, quolibet vase autem prunis imposito et in eo caloris gradu conservato, quem manus sustinere potest, ope clavae ferreae vel cylindri ferrei vel lapidei, tamdiu conteratur et agitetur, usque dum in massam coiverit pultaceam, quae gustata et cum lingua ad palatum pressa nil amplius duriusculi exhibet, aut parva portio hujus in Aquam calidam immissa sine sedimento perfecte solvitur. Massae, dum adhuc coeat, forma placens vel tabulata vel cylindriaca detur. N.

N. P. Sit odoris ac saporis nucleorum Cacao, et coloris minime obscure brunei, sed dilute fusci vel badii.

V. ⊙ CARBONES VEGETABILES TILIAE PRAEPARATI, seu PULVIS CARBONUM.

Rec. Carbones Tiliae aut Fagi quantum libet,
contundantur in pulverem, quem trajice per cribrum tenue, dein immitte in crucibulum hassiacum, quem penitus repletum et operculo clausum pone in furnum anemium, candescat tamdiu, donec operculo ablato carbonum pulvis flagrare cesset et nulla flamma supra pulverem carbonum observetur. Frigescant dein omnia sensim in furno, quibus refrigeratis et operculo crucibuli ablato stratum superius carbonum crassitie dimidii pollicis aufertur. Pulvis carbonum infra hoc stratum eximitur et in vitris siccis 3 aut 4 unciarum capacitate, penitus hoc pulvere carbonum repletis, epistomio et vesica exacte clausis servetur.

N. P. Carbonum praeparatorum partes duae, Spiritus frumenti partibus octo admixtae, saepe et fortiter invicem agitando, odorem Spiritus notum et ingratum exstinguant. Ex Aqua Calcis vivae omnes separent particulas calcareas, ita ut insipida evadat et ab Acido Sacchari vel Acetosellae minime turbetur. Carbones praeparati Aquae aeratae admixti, lenem excitent effervescentiam. Cepae rasae per admixtionem carbonum praeparatorum odorem amittant volatilem.

V. ⊙ CERATUM ALBUM, seu SIMPLEX.

Rec. Olei Been unciae sex,
Sevi Vervecini depurati unciae tres,
Cerae albae unciae duae cum semisse,
mixta leni igne in vase fictili vitreato liquescant et ab igne remota, assiduo spatula lignea agitentur, donec refrixerint. Servetur Ceratum in vase porcellaneo vel vitreo clauso.

V. CERATUM LABIALE, seu CERATUM EX UVIS.

R. Butyri recentis non saliti librae duae,
Vini austriaci montani libra una,
in vase vitreato terreo leni igne sub continua agitatione coquantur, usque dum omne aquosum exhalatum fuerit, tunc addantur et liquescant
Cerae citrinae unciae octo,
liquata agitentur et exacte mixta adhuc calide per linteum colentur, parum refrigerato Cerato adde
Olei Corticum Aurantiorum *Bergamottae* dicti guttas quinquaginta.
Misce, effunde denique in capsulas papyraceas quadratae figurae Oleo Amygdalarum illitas, serventur in vase porcellaneo. Vel etiam cum Cera alba, addendo Karmini sufficientem quantitatem ad rubedinem, parari et etiam in pyxide dari potest. V. ⊙

V. ⊙ CERATUM DEFENSIVUM, seu CEROMEL.

Rec. Cerae albae
Cerae flavae ana partem unam,
Mellis communis crudi non adulterati partes quatuor,
leni igne in vase terreo vitreato liquescant, his immergitur linteum et pistillo vitreo politur ac in frusta quadrangularia discinditur.

V. ⊙ CERATUM SATURNI, seu BALSAMUS SATURNI.

Rec. Olei Olivarum recentis unciae viginti,
Cerae flavae unciae quatuor,
in vase fictili vitreato, super leni igne simul liquefactis et postea colatis, adhuc calidis admisceantur sensim et sub perpetua agitatione
Aceti Lithargyrii diluti unciae quinque,
servetur in vase porcellaneo clauso.

V. CERATUM VIRIDE, seu AERUGINIS.

Rec. Cerae flavae unciae sex,
Resinae albae unciae tres,
Terebinthinae unciae duae,
Viridis aeris electi et pulverati uncia semis,
liquentur invicem in vase cupreo, perfecte soluta colentur per pannum laneum et effundantur in papyraceas capsulas quadratae figurae Oleo illitas.

V. CEREOLI EXPLORATORII, seu CANDELAE CEREAE.

Rec. Emplastri diachyli simplicis unciae quatuor,
in vase fictili lenissimo igne liquefiant, quo facto debite admisceantur
Cerae purissimae albae virgineae uncia una cum semisse,
Olei Olivarum virginei unciae tres,
antea etiam in vase alio liquefacta et probe mixta; miscela, sub agitatione crebra, perfecte unita ab igne removeatur et simulac sine spuma et quiete fluxerit, lintei subtilissimi jam gestati quidem, adhuc autem solidi immergantur panniculi, decem circiter pollicum longitudine, curaque adhibeatur, ut massa, ope spatulae calidae, in panniculis aequaliter extendatur. Panniculi massae immersi, simulac sufficienter refrigerati fuerint, ope cultri cuspide acuta ad amussim in segmenta dissecentur quinque octantium lata, ita tamen ut pollicem unum versus finem angustiora vel in pyramidatam formam terminentur. Qui panniculi segmenta primo digitis mundissimis et denique super marmor laevigatum, ope cujusdam corporis duri et laevi v. c. laminae metallicae politae vel tesserae vitreae crassae, in cylindros convolvantur laevissimos et perfecte complanatos, qui Sapone fricati in vase clauso serventur.

V. ⊙ CINERES CLAVELLATI DEPURATI, seu SAL ALCALI VEGETABILE FIXUM PURUM.

Rec. Cinerum clavellatorum pulveratorum partes octo, calcinentur per horam, dein adde

Aquae communis destillatae frigidae partes octo,

misce stent in vase vitreo in loco frigido per 24 horas, crebra autem sub agitatione cum spatula lignea vel vitrea. Tunc liquor per chartam albam bibulam duplicatam filtretur, liquidum filtratum in vase vitreo vel probe porcellaneo leni igne evaporetur et in locum frigidum ad crystallisandum reponitur, nascentur crystalli verus *Tartarus vitriolatus;* haec evaporatio et crystallisatio tamdiu repetitur, donec nihil amplius de *Tartaro vitriolato crystallisato* appareat in refrigerato lixivio; dein *lixivium non* amplius *crystallisabile* evaporatur ad siccitatem, parumper calcinatur, solvitur de novo in Aqua destillata, filtratur et evaporatur ad siccitatem. Sal obtentus adhuc calidus vasi vitreo, antea calefacto et optime claudendo immittatur, ac in loco sicco calidoque servetur. *Residuum* post filtrationes mixtum cum *Crystallis Tartari vitriolati* in sufficiente quantitate Aquae calidae solutum ac denuo filtratum, saturetur Spiritu Vitrioli et ad cuticulam evaporatum committatur in loco frigido crystallisationi debitae, et Sal obtentus est *Tartarus vitriolatus.*

N. P. Cineres clavellati depurati, seu Sal alcali vegetabile fixum purum sit albissimum, saporis acris, amari, urinosi, odoris nullius, ac in dupla quantitate Aquae destillatae communis frigidae penitus et limpide solubile, et Aeri libero expositum liquescat. Ejus solutio in Aqua communi destillata ex instillatione Spiritus Vitrioli neque gelatinosa evadat, neque aliquid terrei deponat, et cum Spiritu Nitri saturata solutionem Argenti nitrosam minime turbet. *Cineres clavellati* bonae notae in centenario octoginta libras Salis alcalini vegetabilis puri continent, et tunc ad saturationem centum hujus partium, centum et nonaginta partes Acidi Nitri requiruntur, cujus gravitas specifica se habet ad Aquam ut 1235 ad 1000; hinc Acidum Nitri, hujus qualitatis mox descriptae, est verum criterium ad examinandam qualitatem Cinerum clavellatorum vide GÖTTLING *Taschenbuch de anno 1796. p. 110.*

V. ⊙ CINNABARIS FACTITIA.

Rec. Sulphuris citrini libra una,
in crucibulo majori et ferreo liquefac, Sulphuri liquescenti ab igne remoto sensim adjice

Mercurii vivi per alutam transpressi prius calefacti libras septem.

agitando continuo massam spatula ferrea, donec omnis Mercurius penitus dispareat et omnia in massam nigram mutentur. Sub hac commixtione massa saepissime flammam dat, quae post unum vel alterum temporis minutum operculo vasi imposito exstinguenda. Massa nigra nondum penitus refrigerata cito teritur in pulverem, cucurbitae vitreae cum collo angustiori, aut phialae angusti colli immittendum, cujus orificium charta

aut

aut epistomio argillaceo leviter clauditur. Ponatur cucurbita aut phiala in furno, ita ut fundum cupellae fere attingat, tunc obruitur arena paulo altius quam massa est sublimanda, subjicitur ignis illico fortis ad summum gradum augendus, ut fundus cucurbitae aut phialae rubicunde candescat, validus hic ignis gradus etiam finita sublimatione per aliquot tempus sustinendus; hoc modo jam prima sublimatione sat pulchra Cinnabaris obtinetur. Primo ascendit paucum phlegmatis, dein Flores albidi, in superiori parte haeret pars Sulphuris instar levioris Fuliginis forma Florum nigrorum, et tandem parum inferius haeret *Cinnabaris factitia* seu *artificialis*, quae omnibus refrigeratis, ab adhaerente nigredine separatur et servatur.

V. ⊙ CINNABARIS FACTITIA PRAEPARATA.

Rec. Cinnabaris factitiae quantum libet,
contundatur in mortario ferreo in pulverem, postea super porphyritem cum paulula Aqua laevigandum, usque dum particulae micantes disparuerint; qui pulvis vasi idoneo immittatur et Aqua multa affusa optime agitetur, Aqua polline tenuissimo permixta in aliud vas idoneum decantatione transfundatur et ad subsidentiam seponatur, residuus adhuc crassior pulvis denuo laevigetur et iterum Aqua multa affusa agitetur, quae pulvere finissimo rursus impraegnata priori admisceatur. Qui labor eo usque protrahatur, donec ferme omnis Cinnabaris pulverisata cum Aqua mixta et decantata sit. Ex Aqua collecta subsiduus pulvis decantatione ab Aqua separetur, super charta alba exsiccetur et in vitro clauso adservetur.

V. CONFECTIO SEMINIS CINAE, seu SANTONICI.

Rec. Seminis Cinae integri electi unciae duae,
immittantur Cacabo aheneo super lenissimum ignem suspenso, ut Semina, simul agitanda, leniter calefiant, tunc paulatim affundantur
Sacchari clarificati ad consistentiam tabulati cocti unciae quatuor,
agitetur Cacabus assiduo et Semina bacillo ligneo saepissime intermisceantur, donec omnia sicca apparuerint; Semina Saccharo nondum incrustata et partes saccharinae grumosae ab incrustatis Seminibus separentur; illa serventur in vase idoneo, haec autem, mundato prius Cacabo, denuo sufficiente Sacchari tabulati quantitate superinfusa, uti dictum incrustentur. Quae incrustatio toties repetenda est, quoties Semina nondum Saccharo obducta relicta maneant.

N. P. In solutione per Aquam fervidam quilibet globulus Semen suum in lucem edat.

CONSERVA HERBAE ACETOSELLAE.

Rec. Herbae Acetosellae recentis libra una,
abluatur velociter Aqua frigida, minutimque concisa contundatur in mortario lapideo, mediante pistillo ligneo in pastam tenuem, per cribrum capil-

 latum

latum adhuc transmittendam; massae transmissae sub continua agitatione in mortario vitreo vel lapideo admisceantur

Sacchari albi subtilissime pulverati librae tres,

Conserva tunc servetur in vase vitreo vel porcellaneo et in loco frigido.

CONSERVA RADICIS ARI.

Rec. Radicis Ari recentis libra semis,

velociter et frigide abluta minutimque concisa contundatur in mortario lapideo cum pistillo ligneo, pasta terendo per cribrum transmittatur capillatum et sub continua agitatione in mortario vitreo vel lapideo commisceatur cum

Sacchari albi subtilissime pulverati libra una cum semisse,

servetur in vase vitreo vel porcellaneo et in loco frigido.

V. ⊙ CONSERVA HERBAE COCHLEARIAE.

Paratur ut *Conserva Herbae Acetosellae.*

V. ⊙ CONSERVA HERBAE FUMARIAE.

Paratur ut *Conserva Herbae Acetosellae.*

CONSERVA HERBAE HEDERAE TERRESTRIS.

Paratur ut *Conserva Herbae Acetosellae.*

CONSERVA HERBAE MENTHAE PIPERITAE.

Paratur ut *Conserva Herbae Acetosellae.*

CONSERVA MILLEPEDUM.

Rec. Millepedum vivorum libra una,
Sacchari Canariensis subtilissime pulverati librae duae cum semisse,

contundantur invicem in mortario lapideo cum pistillo ligneo, donec in massam conversa fuerint aequalem et optime inter se mixtam. Servetur in vase vitreo vel porcellaneo optime claudendo et in loco frigido.

CONSERVA HERBAE NASTURTII AQUATICI.

Paratur ut *Conserva Herbae Acetosellae.*

CONSERVA FLORUM ROSARUM RUBRARUM, seu DAMASCENARUM.

Paratur ut *Conserva Herbae Acetosellae.*

CONSERVA HERBAE VULVARIAE, seu ATRIPLICIS FOETIDAE.

Paratur ut *Conserva Herbae Acetosellae.*

V. ☉ CREMOR TARTARI SOLUBILIS.

Rec. Boracis pulveratae libra una;
Aquae communis destillatae librae duodecim,
Cremoris Tartari quantum satis,
solvitur Borax in Aquae praescripta quantitate, ingerantur Cacabo stanneo et coquantur; sub ebullitione vehementi et continuo agitando inspergatur cochleatim pulveris Cremoris Tartari tantum, quantum sponte solvitur, donec pars in fundo indissoluta maneat et lixivium turbari inceperit, tunc adduntur plures librae Aquae communis destillatae ebullientis, donec lixivium rursus limpidum fiat et inclarescat, quae Cremoris Tartari inspersio et Aquae affusio sub continua ebullitione tamdiu repetatur, donec
Cremoris Tartari librae quatuor,
penitus solutae fuerint. Postea lixivium adhuc ebulliens per linteum tenue sed compactum colatur, colatura per duodecim horas quiescat, liquor clarus decantetur et in Cacabo stanneo usque ad lactescentiam coquatur, quo facto ignis diminuitur et lixivium sub continua agitatione cum spatula lignea ad massam pultaceam evaporet. Quae massa aheno ingeratur ferreo minime denigranti et lenissimo igne et sub perpetua agitatione sic inspissetur, ut nulla adhaerescat crusta, et portio massae adhuc fervidae manibus non amplius inhaereat. Tunc pasta haec salina in frustula plana extenuetur, loco calido lente exsiccetur et postea in pulverem redigatur, arctissime in vitro contra accessum Aeris servandum.

N. P. Sit coloris albidi, saporis salini refrigerantis, minime acidi, nec Tincturam Laccae coeruleae nec Ligni Fernambuci decolorans, et facillime in Aqua solubilis.

NOTA. *Cremor Tartari solubilis* non ex quatuor speciebus Salium constat, ut quidam putarunt, sed duplici affinitate oritur conjunctio Acidi Tartari cum Soda et Acidi Boracis cum alcali vegetabili Tartari, a quorum ultima conjunctione solubilitas hujus Salis dependet. Vide BUCHOLZ *Versuche über den* Cremor Tartari solubilis *in Journal der Pharmacie für Aerzte, Apotheker und Chemisten von* JOH. BARTH. TROMSDORFF, *zweyten Band. Leipzig 1794, und 1795.*

V. ☉

V. ⊙ CRETA ALBA PRAEPARATA.

Rec. Cretae albae librae duae,
in mortario lapideo redigantur in pulverem, qui pulvis in Cacabo stanneo vel Stanno puro obducto coquatur cum
Aquae pluvialis libris duodecim,
per semihoram, postea Cacabus ab igne remotus ad subsidentiam Cretae plenariam reponatur, Aqua defundatur, et Creta remanens supra charta bibula alba, leni calore exsiccetur, tunc super porphyrite in pulverem subtilissimum laevigetur. Servetur in vase clauso.

CRYSTALLI ARGENTI, sive LUNAE, seu ARGENTUM NITRATUM.

Rec. Spiritus Nitri fortis, seu Aquae fortis duplicis unciae tres, immittantur cucurbitae vitreae, balneo arenae imponendae et ingeratur
Argenti cupellati et limati quantitas sufficiens,
vel usque dum portio ultimo ingesta insoluta remanserit, tunc solutio decantetur et adhuc calida per chartam bibulam filtretur, filtrata solutio in patella porcellanea ad duas tertias evaporetur, tunc ad crystallisationem frigori committatur. Crystalli exortae a lixivio remanenti debite separentur et in vitro optime clauso serventur.

N. P. Sint albae, nitidae, pellucidae, tenues et tabellatae, saporis caustici amari; in Aere minime humescentes ast splendorem et pelluciditatem amittentes, ac a luce et vaporibus inflammabilibus nigrescentes.

NOTA. Solummodo ut *Reagens* adhibendum *Argentum nitratum.*

CUPRUM AMMONIACUM, seu SAL AMMONIACUM CUPRI.

Rec. Vitrioli coerulei vel de Cypro unciae duae,
Aquae communis bullientis unciae sex,
solvantur exacte et filtrentur, postea sensim et successive solutioni filtratae instilletur
Spiritus Salis Ammoniaci aquosi quantum satis,
usque dum omnis Calx Cupri prius praecipitata rursus soluta fuerit et liquorem praebuerit limpidum et laete coeruleum, qui in vase vitreo plano et lenissimo calore ad siccitatem evaporetur; massa sicca, adhuc calida redigatur in mortario vitreo in pulverem, statimque in vitrum immittatur optime et assidue claudendum.

N. P. Sit cyanei coloris, saporis caustici, adstringentis, nauseosi. Color viridis denotat Salis volatilis dispersionem et in Calcem Cupri aeratam degenerationem. Tractu temporis Cuprum Ammoniacale in pulverem fatiscit album et tunc rejiciendum.

NOTA.

NOTA. Cuprum Ammoniacum huic *Dispensatorio* non ut Medicamentum, sed solummodo tanquam *Reagens* inserere volui; et si Tentamen quis instituere velit, magna circumspectione fieri debet. Exhibetur optime a grani octava parte cum Sacharo, aut forma liquida solvendo granum dimidium vel unum in Aquae unciis quatuor et sic omni hora cochlear unum exhibetur.

⊙ ELECTUARIUM ANODYNUM, seu THERIACA VIENNENSIS CUM OPIO.

Paratur, si ad singulam drachmam Electuarii roborantis, seu Theriacae Viennensis sine Opio, addatur granum unum Opii.

V. ⊙ ELECTUARIUM ROBORANS, seu THERIACA VIENNENSIS SINE OPIO.

Rec. Pulveris Radicis Angelicae sativae unciae tres,
Gentianae rubrae unciae duae,
Calami aromatici uncia una cum semisse,
Myrrhae rubrae uncia una,
Baccarum Lauri unciae duae,
Roob Baccarum Juniperi unciae quatuor,
Sacchari liquidi, seu Syrupi Saccharini unciae viginti quatuor,

misceantur omnia et servetur Theriaca in pixide lapidea vel vase porcellaneo optime claudendo et in loco frigido.

V. ELECTUARIUM E SENNA, seu LENITIVUM.

Rec. Pulpae Prunorum siccatorum librae tres,
Roob Baccarum Sambuci libra una,
Pulveris simplicis Foliorum Sennae Alexandrinae
Cremoris Tartari pulverati ana libra semis,
Mellis depurati quantum satis,

misceantur in mortario vitreo, trituratione exacta ut fiat Electuarium molle, mixta serventur in pyxide lapidea seu vasa porcellaneo clauso in loco frigido.

ELEOSACCHARA.

Parantur terendo Saccharum, cujus cuilibet unciae semis Olei ejusdem aetherei, a quo Eleosaccharum praescriptum nomen suum accepit, guttae duodecim instillatae sunt. Eleosaccharum autem *Corticum Aurantiorum* vel *Citri* sequenti modo parantur.

ELEO-

ELOSACCHARUM CORTICUM AURANTIORUM.

Rec. Frustum Sacchari albi, affricetur Cortici Aurantiorum recenti;
stratum hocce Sacchari Oleo impraegnatum cultro separatur, et ampullis vitreis inditur, quae optime obturantur; sic impune per annum servari potest.

ELEOSACCHARUM CORTICUM CITRI.

Paratur ut *Eleosaccharum Corticum Aurantiorum.*

⊙ ELIXIRIUM APERITIVUM, LOCO PROPRIETATIS.

Rec. Salis alcali vegetabilis fixi depurati
Salis Ammoniaci ana uncia una,
Aquae destillatae Florum Chamomillae libra una,
mixtis et solutis in phiala vitrea, admisceantur
Extracti Aloes aquosi
Extracti Myrrhae aquosi ana uncia semis,
Croci austriaci pulverati drachmae duae,
mixta per duos dies digerantur, postea filtrentur et filtratum servetur in vitro bene clauso.

DOSIS. Est a guttis triginta ad octoginta.

ELIXIRIUM AROMATICUM.

Rec. Florum Cassiae pulveratorum
Radicis Calami aromatici concisae
Radicis Galangae minoris concisae ana uncia una,
Herbae Menthae Piperitae concisae
Flavedinis Corticum Citri recentis ana uncia una cum semisse,
Cardamomi minoris pulverati
Radicis Zingiberis pulveratae ana drachmae duae,
Vini Austriaci montani generosi librae tres,
in lagena vitrea capaci clausa stent in infusione frigida ast cum creberrima agitatione per 6 dies, dein colentur, residuum fortiter exprimatur, expressumque colato mixtum, filtretur per chartam bibulam. Servetur Elixirium in vitro optime clauso.

V. ⊙ ELIXIRIUM STOMACHICUM.

Rec. Extracti Herbae Absynthii
Herbae Centaurii minoris
Herbae Cardui Benedicti
Radicis Gentianae rubrae ana uncia una,

Fla-

Flavedinis Corticum Aurantiorum amarorum unciae quatuor,
Salis Tartari uncia semis,
concisa mixta infundantur in
Vini Austriaci montani libris quatuor,
stent in infusione frigida per 2 dies, facta dein forti expressione, filtretur, et servetur Elixirium in vitro optime clauso.

V. EMPLASTRUM ADHAESIVUM COMPOSITUM, seu STYPTICUM.

Rec. Picis nigrae, seu navalis unciae tres,
Resinae Pini libra una cum unciis quatuor,
Gummi Elemi unciae duae,
Cerae citrinae unciae tres,
Olei Olivarum
Terebinthinae communis ana uncia una cum semisse,
leni igne in vase fictili liquatis, probe mixtis et fervide per pannum colatis, adde
Pulveris Mastichis
Pulveris Olibani ana uncia semis,
in fine addantur
Pulveris Gummi Kino drachmae duae,
exacte mixta et post refrigerationem in magdaleones formata serventur.

NOTA. Hoc Emplastrum adeo fortiter adhaeret, ut saepe optimo effectu in vulneribus recentibus loco suturae sanguinolentae applicatum fuerit.

V. ⊙ EMPLASTRUM ADHAESIVUM SIMPLEX, seu CEREUM.

Rec. Resinae albae communis libra una,
Cerae flavae unciae octo,
Sevi Vervecini unciae quatuor,
Terebinthinae communis unciae duae,
leni igne in vase fictili vitreato liquefacta, adhuc calida et fluida per pannum laneum antea calefactum colentur, et ad debitam consistentiam evaporata, ex massa magdaleones formentur et serventur.

NOTA. Virtus ex nomine patet; praeterea ad vulnera et ulcera digerenda commendatur. Suppurationem ulceris vesicatorio facti auget et promovet.

V. EMPLASTRUM ALBUM, seu ALBUM COCTUM, seu DE CERUSSA.

Rec. Axungiae Porci depuratae librae quindecim,
Axungia immittatur liquata et per linteum colata, aheno cupreo optime Stanno incrustato, fundi ventricosi et duarum urnarum amplitudinis, supra

furnum anemium validissime incalescat, ita ut spuma inter agitandum appareat, dein successivis portionibus

Cerussae in laminis subtilissime pulveratae librae viginti,

injiciuntur, continuo magno agitaculo ligneo globo inferius donato agitando massam; haec massa Aerem cum sonitu explodit, nunc injiciuntur

Aceti Vini communis praeparati inter continuam agitationem librae quinque;

sed ita, ut semper expectando parumper, solummodo pauca quantitas injiciatur; si tota haec quantitas Aceti injecta est, tunc Aquae communis calidae tantum affunditur sequenti modo, ita ut toties drachma una ex vitro altera manu retento admisceatur, quoties altera manus massam semper agitans, quater circumduxerit agitaculum, donec tota massa debitam consistentiam aquisiverit; haec autem determinari potest, si Aquae frigidae pauca quantitas massae emplasticae injicitur, et tunc digitis tangendo consistentiam non quidem solidam sed solidae similem habuerit; nihil amplius tunc consistentia debita obtenta Aquae injicitur, sed vas ab igne remotum, versus portam ubi Aer frigidus materiam allambere potest, terrae imponitur, et ibi inter continuam agitationem tam diu, modo antea dicto, Aqua communis calida sensim affunditur, donec nullus vapor ascendens observetur; agitatio vero tamdiu continuatur, donec massa refrigerata consistentiam Emplastri habuerit, tunc ex hac magdaleones formentur et serventur. Hac methodo saepe intra dimidiam horam totus labor finitur.

V. EMPLASTRUM ANGLICANUM, seu ADHAESIVUM WODSTOOKII.

Rec. Ichthyocollae finissimae conquassatae et minutim incisae uncia una,
Resinae Benzoes
Styracis vulgaris depurati ana drachma una,
Spiritus Vini rectificati libra una,

misce et solve leni digestione in cucurbita vitrea per 24 horas, quae refrigerata dein cola. Tunc Holosericum nigrum vel alterius coloris et tenue, quod tamen densioris est texturae, supra Regulam netricis fortius extenditur. Massa Emplastri in catinum, et hic in Aquam ferventem, immittitur, ut gelatinosa massa diffluat. Haec nunc penicillo magno et molli in Holosericum expansum, quantum fieri potest, parcissime transferatur, idque probe antea semper siccata, ter, quaterve, eousque nimirum repetatur, donec Holosericum speculi polituram induerit. Hoc facto, Emplastrum probe siccatum, et dein ex Regula exemtum, in frustula secatur.

Praescripta quantitas ad Holosericum trium ulnarum obducendum sufficit; si gelatinosa massa arefacta fuerit, Spiritu Vini mollior redditur.

NOTA. Hoc Emplastrum parvis vulneribus carnosis dicatum est.

EMPLASTRUM CICUTAE.

Rec. Olei Olivarum libra una,
Cerae citrinae librae duae, Te-

Terebinthinae communis unciae tres,
in vase fictili leni igne liquatis et per pannum laneum colatis addantur
Extracti Herbae Cicutae unciae tres,
Pulveris Herbae Cicutae libra semis,
exacte mixtis ex massa magdaleones formentur et serventur in vase clauso.

V. ⊙ EMPLASTRUM CONSOLIDANS SATURNINUM.

Rec. Olei Olivarum librae tres,
coquantur in vase terreo vitreato fortiter ad humiditatis consumtionem, ita, ut Oleum jam evaporare incipiat, dein addantur
Cerae flavae unciae tres,
liquata et calidissima ab igne removeantur, addantur
Pulveris subtilissimi Minii genuini librae duae,
perpetuo agitando, ubi valde intumescit, habebit tandem consistentiam Emplastri, formentur magdaleones et serventur.

V. EMPLASTRUM CONSOLIDANS VEGETABILE.

Rec. Gummi Kino seu Gambiensis in sufficienti quantitate
Aquae calidae soluti libra una,
Olei Olivarum libra una,
evaporentur leni igne ad consumtionem humidi, addatur tunc
Cerae flavae libra una cum semisse,
misce fiat lege artis Emplastrum.

V. ⊙ EMPLASTRUM DIACHYLON SIMPLEX, seu EMPLASTRUM LITHARGYRII.

Rec. Cerae citrinae
Sevi Vervecini ana unciae octo,
Olei Olivarnm unciae quatuor,
leni igne liquatis et paululum refrigeratis, sub perpetua agitatione admisceantur
Extracti Saturni unciae sex,
misce fiat Emplastrum molle.

NOTA. Virtute gaudet demulcente, relaxante, refrigerante.

V. ⊙ EMPLASTRUM DIACHYLON COMPOSITUM.

Rec. Emplastri Diachyli simplicis librae duae,
Pulveris Gummi Galbani depurati
Pulveris Gummi Ammoniaci electi ana uncia una cum semisse,
Terebinthinae larignae uncia una,
Cerae citrinae unciae quatuor,
Resinae Pinae unciae duae,

 Pul-

Pulveribus Gummatum et Resina cum Terebinthina in vase fictili lento igne liquefactis, et adhuc calide per pannum trajectis, admisceatur sub perpetua agitatione et sensim Cera et Emplastrum Diachylon simplex separatim liquefacta, mixtione exactissime peracta formentur ex massa magdaleones et serventur in vase clauso.

NOTA. Virtutem possidet emollientem, stimulantem, resolventem, suppurantem.

V. ⊙ EMPLASTRUM EMOLLIENS.

Rec. Cerae citrinae libra una,
Sevi Vervecini libra semis,
Pulveris Gummi Ammoniaci electi unciae tres,

Cerae et Sevo in vase fictili vitreato super leni igne liquefactis et adhuc calide per pannum laneum colatis addatur

Mucilaginis Seminis Lini libra una cum semisse,

dein admisceatur pulvis Gummi Ammoniaci; mixtione exacte peracta, sub igne lenissimo ad Emplastri consistentiam inspissentur, et ex massa, consistentiam debitam obtenta, fomentur magdaleones et serventur in vase clauso.

V. EMPLASTRUM AD FONTICULOS.

Rec. Cerae flavae libra una,
Sevi Vervecini unciae quatuor,
Terebinthinae communis
Olei Olivarum ana unciae tres,

omnia leni igne in vase fictili liquescant, his immergitur charta aut linteum, quod post refrigerationem in frusta quadrangularia dissecatur.

V. EMPLASTRUM DE GALBANO CROCATUM.

Rec. Cerae citrinae unciae octo,
Sevi Vervecini unciae quatuor,
Olei Olivarum unciae quatuor,
Pulveris Gummi Galbani depurati libra una,

Cerae, Sevo et Oleo in vase fictili leni calore liquatis addatur Pulvis Galbani, exacte mixta, calide adhuc per pannum trajiciantur, Emplastro fere frigefacto admisceantur Croci austriaci in

Spiritu Vini soluti et colati drachmae duodecim,

perfectissime mixtis formentur magdaleones et serventur in vitro clauso.

NOTA. Virtute gaudet emolliente, resolvente, anodyna.

V. EMPLASTRUM MELILOTHI.

Rec. Emplastri Cerei, seu Adhaesivi simplicis libra una cum semisse,
in vase fictili vitreato lento igne liquatis, sub continua agitatione admisceantur

Pulveris Florum Melilothi unciae sex,
Pulveris Gummi Ammoniaci uncia una,

exacte mixta in magdaleones formentur et serventur.

⊙ EMPLASTRUM MERCURIALE.

Rec. Emplastri emollientis libra una,
lento igne in vase fictili vitreato liquefiat, postea sensim sub continua agitatione admisceantur

Mercurii vivi depurati unciae tres,
prius cum Sacchari Candi flavi unciis sex,

in mortario vitreo vel lapideo trituratione tam diu exactissime subactae, usque dum omnes globuli mercuriales omnino disparuerint, mixtione penitus peraota, Emplastrum in magdaleones formatum servetur in vase clauso.

NOTA. Virtutem possidet emollientem, discutientem, resolventem, antisyphiliticam. Ad ulcera venerea curanda, et tumores atque tophos venereos resolvendos adhibetur. Longior ejus usus subinde salivam movet.

EMPLASTRUM RESOLVENS GUMMOSUM.

Rec. Pulveris Gummi Ammoniaci electi
Pulveri Gummi Galbani depurati ana unciae quatuor,
Terebinthinae communis uncia una,

lento igne liquefactis et adhuc calide per pannum laneum trajectis, admisceantur sub perpetua agitatione et sensim

Cerae citrinae libra una,
Sevi Vervecini libra semis,
Olei Olivarum unciae tres,

separatim in alio vase antea liquefacta et colata, mixtione exactissime peracta, formentur ex massa magdaleones et serventur in vase clauso.

V. ⊙ EMPLASTRUM RESOLVENS SAPONATUM, seu SAPONCEO CAMPHORATUM.

Rec. Emplastri emollientis libra una,
in vase fictili vitreato lento igne liquefactae, sub continua agtatione admisceantur

Saponis Alicantini rasi unciae quatuor,

in sufficiente quantitate Olei Olivarum antea soluti et colati, perfecte mixtis et massae fere frigefactae addatur

Cam-

Camphorae uncia semis,
in sufficienti quantitate Spiritus Vini solutae, exactissime mixta formentur in magdaleones et serventur in vase clauso.

V. EMPLASTRUM STOMACHICUM, sive AROMATICUM.

Rec. Cerae citrinae librae duae,
Olei Olivarum libra semis,
Terebinthinae unciae duae,
lento igne liquefactis et adhuc calide colatis sub continua agitatione admisceantur sensim
Pulveris Mastichis unciae tres,
Pulveris Nucis Moschatae drachmae tres,
mixtis et fere refrigeratis addantur
Balsami Peruviani drachmae tres,
Olei Baccarum Lauri drachmae duae,
perfectissime mixta in magdaleones formentur et serventur in vitro clauso.

NOTA. Virtute gaudet stimulante, discutiente et roborante. Forma Scuti stomachici sperato cum successu adhibetur in singultu et vomitu; in Tetano maxillae a vulnere vel alia causa externa orto, ad collum, nucham, etc. praecipue si Opium et Camphora adduntur.

EMPLASTRUM SULPHURATUM.

Rec. Cerae flavae unciae quinque,
Olei Olivarum unciae octo,
lento igne liquefactis adde sub continua agitatione sensim
Pulveris Colophonii uncias sex,
Pulveris Myrrhae rubrae libram unam,
exactissime mixtis et adhuc calide per pannum laneum trajectis admisceantur
Florum Sulphuris loti unciae duae,
perfectissime mixta in magdaleones formentur et serventur in vase clauso.

NOTA. Ad ulcera scrophulosa et antiqua sananda laudatur.

ESSENTIAE videantur sub appellatione TINCTURAE.

E X T R A C T A.

Aquosa, vinosa, spirituosa.

⊙ EXTRACTUM HERBAE ABSYNTHII.

Rec. Herbae seu Summitatum Absynthii recentium
leniter siccatorum et minutim concisorum librae duae,
his

his superaffundantur in lagena vitrea capaci
Vini Austriaci montani librae duodecim,
in lagena clausa stent in infusione frigida crebra autem sub agitatione per 6 dies, dein liquor decantetur, et interim in alia lagena clausa servetur, residuum sacco linteo forti inclusum prelo ligneo exprimatur; massae ab expressione residuae affunde aliquid Vini ut iterum pultacea fiat, ac de novo exprimatur; hacque affusione et expressione eo usque continuetur, donec liquor expressus neque colorem, neque saporem Absynthii amplius habeat. Confundantur tunc liquores expressi et cum decantato interim asservato liquore commixti stent per 24 horas, ut spissum a claro separetur, et dein per linteum colentur; liquor clarus in vasis vitreis evâporatoriis planis continua sub agitatione in balneo mariae evaporetur in consistentiam Mellis crudi. Extractum more in *Praenoscendorum Sectione octava numero secundo* dicto servandum.

⊙ *Extractum Herbae Aconiti.*

Rec. Herbae Aconiti napelli recentissimae ante efflorescentiam et tempore matutino ante aestum solis abscissae librae duae,
partibus emarciatis vel mucidis optime separatis, Herba velociter in Aqua frigida abluta concidatur et contundatur in mortario ligneo vel lapideo in massam pultaceam, quae statim sacco linteo forti inclusa, prelo ligneo fortiter et pluries exprimatur, et Succus expressus per duas horas ad subsidentiam sepositus et postea provide a sedimento fibroso decantatus, sine mora vasis evaporatoriis planis immittatur, apparatui balnei maris committendis, et ibi continua cum agitatione sub Aqua ebulliente ad consistentiam Syrupi spissioris inspissetur. Denique Succus inspissatus, refrigeratus et ex evaporatorio demtus, dicto more servetur.

⊙ EXTRACTUM ALOES AQUOSUM.

Rec. Aloes Succotrinae pulveratae libra una,
Aquae communis fervidae librae quatuor,
digerantur in vase vitreo clauso per biduum, tunc liquor a partibus resinosis provide decatetur, per chartam bibulam filtratus, in vasis evaporatoriis planis balneo maris committatur, ac ad consistentiam Mellis spissioris continua sub agitatione evaporetur. Extractum dicto modo servetur.

⊙ EXTRACTUM ALOES COMPOSITUM, seu PURGANS.

Rec. Extracti Hellebori nigri drachmae sex,
Aloes aquosi uncia una,
Radicis Jalappae gummoso-resinosi
Radicis Saponariae ana uncia una cum semisse,
misceantur in vase evaporatorio vitreo balneo maris commisso, addita

Aquae

Aquae communis destillatae parva quantitate, et exactissime mixta ac massae pilularis consistentiam nacta, serventur in vase clauso.

EXTRACTUM CORTICIS ANGUSTURAE.

Paratur ut *Extractum Corticis Chinae, seu Peruviani humidum.*

EXTRACTUM CORTICUM AURANTIORUM.

Paratur ut *Extractum Absynthii.*

⊙ EXTRACTUM FLORUM ARNICAE.

Rec. Florum Arnicae recentium leniter siccatorum et concisorum libra una,
Aquae communis librae octo,

coquantur per horam unam, dein colentur per linteum, residuum a decoctione seu massam illam pulposam include in sacculum ex linteo firmiori confectum, exprimatur Succus in prelo, postea iterum ad hanc massam expressam Aquam frigidam affunde, ut pulposa fiat et iterum exprime; haec operatio nempe affusio Aquae et expressio tamdiu continuetur, donec expressum liquidum nullum amplius saporem nec colorem habeat. Liquores per expressiones obtenti cum colato a prima decoctione commixti ad subsidentiam partium crassiorum quiescant per 12 horas, dein liquor supernatans coletur per linteum et clarus nunc in vasis evaporatoriis planis continua sub agitatione et ita ut nullo modo ebulliat, evaporetur leni calore et inspissetur in consistentiam Mellis crudi. Extractum more in *Praenoscendorum Sectione octava numero secundo* dicto servandum.

EXTRACTUM RADICIS CALAMI AROMATICI GUMMOSO - RESINOSUM.

Paratur ut *Extractum Radicis Jalappae gummoso - resinosum.*

Extractum Herbae Belladonnae.

Paratur ut *Extractum Aconiti.*

⊙ EXTRACTUM HERBAE CARDUI BENEDICTI.

Paratur ut *Extractum Herbae Absynthii.*

EXTRACTUM HERBAE CARDUI TOMENTOSI.

Paratur ut *Extractum Aconiti.*

EXTRACTUM CORTICIS CASCARILLAE.

Paratur ut *Extractum Corticis Peruviani humidum.*

EXTRACTUM HERBAE CENTAURII MINORIS.

Paratur ut *Extractum Herbae Absynthii.*

EXTRACTUM FLORUM CHAMOMILLAE NOSTRATIS.

Paratur ut *Extractum Herbae Absynthii.*

⊙ EXTRACTUM RADICIS CHELIDONII MAJORIS.

Rec. Radicis Chelidonii majoris
Herbae Chelidonii majoris ana libra una cum semisse,
ambo sint recentes et concisae, contundantur in mortario lapideo in massam pultaceam et ad Extracti laborationem ulterius progrediatur, uti in praeparando *Extracto Aconiti* praescriptum est.

⊙ EXTRACTUM CORTICIS CHINAE, seu PERUVIANI *HUMIDUM.*

Rec. Pulveris Corticis Peruviani lutei electi librae duae,
his in lagena vitrea capaci superaffundantur
Vini Austriaci montani librae decem,
stent lagena clausa in infusione frigida in loco frigido crebra autem sub agitatione per 6 dies, postea liquor provide decantetur et interim in vitro clauso servetur; residuo a decantatione dimidia quantitas Vini iterum affundatur, stent eodem modo in infusione frigida per 2 dies, liquor dein decantetur et residuum sacculo inclusum fortiter exprimatur prelo ligneo; massae ab expressione residuae affunde aliquid Vini ut pultacea fiat, ac de novo exprimatur; hacque affusione et expressione eo usque continuetur, donec liquor neque colorem neque saporem Corticis Peruviani amplius habeat. Tunc liquores decantati et expressi invicem mixti stent per 24 horas, ut spissum a claro separetur, dein per linteum colentur, et in vasis evaporatoriis planis continua sub agitatione in balneo mariae evaporentur in consistentiam Mellis crudi. Servetur ut *Extractum Herbae Absynthii.*

EXTRACTUM CORTICIS CHINAE, seu PERUVIANI *SICCUM*, seu SAL ESSENTIALE CHINAE.

Rec. Pulveris Corticis Peruviani lutei electissimi, subtilissimi librae duae,
his in lagena vitrea capaci affunde
Vini austriaci montani mensuras quindecim,
in lagena clausa stent in infusione frigida in loco frigido crebra autem sub agitatione per 6 dies, dein liquor filtretur et in balneo mariae evaporetur

ad remanentiam mensurarum trium; nunc liquor iterum filtratur et filtratus in plures patinas ex Terra porcellana divisus supra fornacem calidum cubiculi evaporetur lente, donec Extractum siccum in plura tenuia foliola diaphana dissiliat. Servetur in vitro epistomio vitreo et vesica exacte clauso. Humidum enim Aeris attrahit. Obtinentur sic unciae duae et semis aut ultra Extracti sicci.

Extractum Herbae Cicutae.

Paratur ut *Extractum Herbae Aconiti.*

⊙ EXTRACTUM RADICIS DAUCI SATIVI, seu CAROTAE.

Rec. Radicis Dauci recentis quantum placet,
radendo auferatur cuticula exterior, dein in minora frusta dissectam immitte in Sartaginem aut Cacabum Stanno obductum, superaffunde tantum Aquae communis, ut altitudine manus transversae haec super Radicem emineat; coquantur invicem tamdiu, donec superfices Radicis super Aquam eminere incipiat. Auferatur ab igne, liquidum a decoctione trajicitur per linteum, Radici residuae iterum de novo Aqua superaffunditur, et de novo coquitur, ita tamen ut solummodo aliquoties ebulliat. Iterum ab igne aufertur, ponitur in quiete, donec fere frigescat, et dein exprimitur per linteum. Liquida colata miscentur et in balneo mariae evaporantur in consistentiam Syrupi, servetur Extractum ut *Extractum Herbae Absynthii.*

Extractum Herbae Daturae, sive Stramonii.

Paratur ut *Extractum Herbae Aconiti.*

EXTRACTUM RADICIS ENULAE.

Paratur ut *Extractum Corticis Peruviani humidum.*

⊙ EXTRACTUM HERBAE FUMARIAE.

Paratur ut *Extractum Herbae Aconiti.*

EXTRACTUM RADICIS GENTIANAE RUBRAE.

Paratur ut *Extractum Herbae Absynthii.*

⊙

⊙ EXTRACTUM RADICIS GRAMINIS.

Rec. Radicis Graminis recentis et succulenti librae sex,
minutim concisae, sacco includantur linteo et exprimantur prelo ligneo fortiter et pluries, residuum ab expressione in vase fictili vel Cacabo probe stanneo, sub continua agitatione, coquatur per horam cum
Aquae communis libris octo,
decoctum refrigeratum decantetur, residuum exprimatur, expressum et decantatum Succo prius expresso admisceatur; liquores mixti ad subsidentiam per duodecim horas repositi per linteum colentur, Cacabo probe stanneo infusi, leni calore et sub continua agitatione ad consistentiam Syrupi inspissentur et in vase optime clauso vitreo et loco frigido serventur.

⊙ EXTRACTUM HERBAE GRATIOLAE AQUOSUM CALIDE PARATUM.

Paratur ut *Extractum Radicis Hellebori nigri aquosum.*

EXTRACTUM HERBAE GRATIOLAE VINOSUM FRIGIDE PARATUM.

Rec. Herbae Gratiolae recentis leniter siccatae concisae librae duae,
his in lagena vitrea capaci affundantur
Vini Austriaci montani librae duodecim,
progrediatur ulterius ad Extracti laborationem, ut in praeparando *Extracto Herbae Absynthii*, servetur eodem modo.

EXTRACTUM LIGNI GUAJACI GUMMOSO - RESINOSUM.

Paratur ut *Extractum Radicis Jalappae gummoso - resinosum.*

EXTRACTUM RADICIS HELLEBORI NIGRI AQUOSUM.

Rec. Fibrillarum Hellebori nigri recentium leniter siccatarum et grosso modo concisarum libra una,
Aquae communis ebullientis librae octo,
in vase porcellaneo vel vitreo clauso digerantur lenissimo calore, crebra autem cum versatione, per 24 horas; postea in Cacabo stanneo bis per momentum leniter ebulliant, tunc liquor provide decantetur, et residuum fortiter exprimatur prelo ligneo; liquor decantatus et expressus invicem mixtus ad subsidentiam partium crassiorum per 12 horas repositus decantetur et per linteum coletur, ac denique in vasis evaporatoriis sub continua agitatione ad crassitiem Mellis crudi inspissetur et postea rite servetur ut *Extractum Absynthii.*

EXTRACTUM RADICIS HELLEBORI NIGRI GUMMOSO-RESINOSUM.

Paratur ut *Extractum Radicis Jalappae gummoso-resinosum.*

Extractum Herbae Hyosciami.

Paratur ut *Extractum Herbae Aconiti.*

⊙ EXTRACTUM RADICIS JALAPPAE GUMMOSO-RESINOSUM.

Rec. Radicis Jalappae pulveratae libra una cum semisse,
Spiritus Vini rectificati librae sex,
digerantur in cucurbita clausa, leni calore, per biduum sub crebra versatione, deinde Tinctura decantetur et residuum exprimatur et filtretur. Hujus Extractionis spirituosae residuo, vasi vitreo vel lapideo immisso, infundantur
Aquae communis bullientis librae novem,
stent per 24 horas, crebra sub agitatione, in digestione leniter calida; qua peracta, liquor supernatans decantetur, et residuum etiam exprimatur, expressum liquidum cum decantato mixtum filtretur; tunc priori spirituoso commisceatur, miscela retortae immittatur et lege artis Spiritus abstrahatur; liquor in retorta remanens in vasis evaporatoriis planis, sub continua agitatione, ad consistentiam Mellis crudi inspissetur. Servetur ut *Extractum Herbae Absynthii.*

EXTRACTUM NUCUM JUGLANDUM IMMATURORUM.

Rec. Fructuum Juglandum immaturorum libra una,
incisis et contusis superinfundantur
Aqua communis librae quatuor,
coquantur in Cacabo stanneo per dimidiam horam, et sub crebra agitatione, decoctum refrigeratum decantetur, residuum exprimatur, expressum decantato addatur, et ad subsidentiam partium crassarum per 12 horas reponatur, liquor decantatus coletur per linteum et in vasis evaporatoriis ad consistentiam Mellis crudi evaporetur.

V. ⊙ EXTRACTUM RADICIS LIQUIRITIAE, seu SUCCUS LIQUIRITIAE INSPISSATUS.

Rec. Radicis Liquiritiae librae tres,
minutim concisis et contusis, vasique vitreo vel porcellaneo immissis superinfundantur
Aquae communis ebullientis librae novem,
per duodecim horas digesta ebulliant semel leniter, sub continua agitatione, et illico postea ab igne removeantur, post refrigerationem decantentur, residuum exprimatur, expressum decantato addatur et per 6 horas ad subsiden-

dentiam partium grossiorum seponantur, postea liquor decantatus, coletur per linteum et vasis evaporatoriis immissus, in balneo mariae sub continua agitatione ad consistentiam Massae pilularis inspissetur, servetur in vitro clauso.

EXTRACTUM CONORUM LUPULI.

Paratur ex *Conis Lupuli* non concisis sed adhuc integris ut *Extractum Radicis Liquiritiae.*

EXTRACTUM HERBAE MARRUBII ALBI.

Paratur ut *Extractum Herbae Absynthii.*

⊙ EXTRACTUM MARTIS.

Rec. Limaturae Martis purae unciae quatuor,
Aceti Vini libra una,
cucurbitae vitreae immissa digerantur sub crebra versatione per 3 dies et infusum filtretur, residuo iterum adfundatur Aceti Vini eadem quantitas, et post digestionem per triduum et filtrationem, infusum priori addatur. Sic infusio Aceti repetatur usque dum omnis Limatura Martis soluta fuerit. Singula infusa obtenta mixta filtrentur, et in vase ferreo plano, sub perpetua cum spatula agitatione et lenissimo igne, evaporentur ad Mellis crudi consistentiam. Servetur Extractum in vase vitreo optime clauso.

NOTA. Exhibetur a granis decem ad grana quadraginta.

EXTRACTUM HERBAE MILLEFOLII.

Paratur ut *Extractum Herbae Absynthii.*

⊙ EXTRACTUM MYRRHAE AQUOSUM.

Rec. Myrrhae electae pulveratae unciae octo,
Aquae communis bullientis librae tres,
digerantur in cucurbita per triduum, sub crebra versatione, postea solutio decantetur et vasi evaporatorio vitreo immissa, in balneo maris sub perpetua agitatione, in Massam inspissetur pilularem, servetur in vitro clauso.

EXTRACTUM NICOTIANAE, seu TABACI.

Rec. Herbae Nicotianae integrae et exsiccatae libra semis,
maceretur per noctem in
Aquae communis libris tribus,
mane Aqua omnis decantetur et Herba macerata in Cacabo stanneo coquatur cum
Aquae communis libris quinque.

ad

⊙ EXTRACTUM RADICIS SQUILLAE AQUOSUM.

Rec. Radicis Squillae recentis cultro eburneo concisae unciae duae,
Aquae fontanae libra una,
digerantur in cucurbita vitrea clausa leni calore ad solutionem, dein colatura expressa evaporetur in vasis evaporatoriis vitreis lenissimo calore in balneo maris in consistentiam Mellis crudi, servetur ut *Extractum Herbae Absynthii.*

EXTRACTUM HERBAE TANACETI.

Paratur ut *Extractum Herbae Absynthii.*

V. ⊙ EXTRACTUM TARAXACI.

Paratur ex aequali quantitate Radicis et Herbae recentium in mortario lapideo cum pistillo ligneo in massam pultaceam antea contusis, ceterum paratur ut *Extractum Radicis Graminis.*

⊙ EXTRACTUM RADICIS TORMENTILLAE.

Paratur ut *Extractum Radicis Saponariae,* sed inspissetur ad consistentiam Boli.

⊙ EXTRACTUM HERBAE TRIFOLII FIBRINI.

Paratur ut *Extractum Herbae Absynthii.*

EXTRACTUM RADICIS VALERIANAE.

Paratur ut *Extractum Corticis Peruviani humidum.*

V. ⊙ FEL TAURI INSPISSATUM.

Rec. Fellis Tauri recentis, quantum volueris,
trajice per linteum, dein vasi evaporatorio vitreo immissum sub continua agitatione in balneo mariae evaporetur in consistentiam Massae pilularis, servetur in vase vitreo probe clauso.

FLORES BENZOES.

Rec. Benzoes electae grosso modo contritae quantum placet,
in cucurbita terrea vitreata humili, orificio ampliori praedita, quae in balneum arenae aut immediate intra carbones ponitur, vel quod melius in patina vitrea, quae in balneum arenae ponitur, superimposito cucullo chartaceo alto, ex charta duplici bibula aut typographica confecto, supra perforato, leni calore, ut Benzoe solummodo fluat, sublimentur *Flores argentei* co-

coloris, cucullo per temporis distantias varias, e. c. una aut una et dimidia hora elapsa, mutato, saepius eximendi, donec fusescere incipiant; finitur tunc operatio et separatis *Floribus*, massa in cucurbita remanens refrigerata et pulverata destilletur ex retorta vitrea in balneo arenae, prodit initio Oleum tenue cum liquore acido, his ablatis et alio Excipulo apposito, destillatio continuetur et prodibunt *Flores* adhuc et *Oleum Butyraceum* spissum fragrantis odoris instar Balsami Peruviani. Hoc *Oleum* seorsim servetur in vitro optime epistomio vitreo clauso et *Flores* ultimo prodeuntes Oleo inquinati, addito pulvere Carbonum vegetabilium praeparatorum iterata sublimatione in cucurbita vitrea et cucullo chartaceo superimposito, aut alembico applicato instar Florum Salis Ammoniaci forma placentae depurati cum prioribus serventur in vitro optime clauso. Sic ex Libra Benzoes uncia una et dimidia vel duae Florum emergunt, verum ultimi Flores Oleo inquinati sunt. Methodo hac seu *via sicca* seu sublimatione non quidem tanta copia Florum obtinetur, ut *via humida* juxta celeb. GÖTTLING, sed primi Flores nempe drachmae octo aut octo cum dimidia sublimatione obtenti puritate et pulchritudine illos *via humida* paratos crystallisatos multum superant, nam nihil hic additur *via sicca*, sed *via humida* Flores facile addito Sale alcalino et Acido Vitrioli non exactissime edulcorati inquinari possunt, imo Flores *via humida* postremi excocti tantum ad *Suffimigia* inserviunt. *Via sicca* levi labore et sine magnis circumstantiis praeter *Flores* primo prodeuntes et sine depuratione jam purissimos et pulchritudine omnes reliquos qualicunque methodo obtentos superantes, simul *Massa Benzoes* in cucurbita nondum decomposita aut mutata remanet, ex qua dein levi negotio *Oleum Butyraceum Benzoes* destillatione obtinetur. Hinc methodum vetustiorem via sicca illo recentiori via humida praetuli.

N. P. Sint argentei, leves, tenues, ad tactum saponacei, odoris debilis Benzoini, saporis subacidi in faucibus irritantis, in Aere invariabiles, in Aqua destillata multo minus solubiles, quam in Alcohole Vini et in lixivio alcalino, Tincturam Laccae coeruleae rubescentes et in igne inflammabiles, in cochleari candenti avolantes. Cretae trituratione admixti, eam, Aqua affusa cum effervescentia solvant, ab affusione autem cujusvis acidi, in spumam albam superficiei Aquae innatantem abeant.

⊙ FLORES SALIS AMMONIACI MARTIALES, seu FERRUM AMMONIACALE.

Rec. Limaturae Martis purae drachmae duae,
cucurbitae vitreae immissae, solvantur exactissime in
Spiritus Salis acidi depurati quantitate sufficiente;
solutis admisceantur
Salis Ammoniaci depurati unciae quatuor,
in Aquae communis destillatae unciis sedecim solutae,
miscela in vase evaporatorio plano et vitreo, super igne moderato et cum agitatione perpetua, mediante spatula ferrea, ad siccitatem evaporetur; tunc massa cucurbitae vitreae immissa, lege artis sublimetur. Sublimatum in

in pulverem teratur et in vitro optime clauso servetur; Residuum a sublimatione, patinae vitreae immissum et in cella repositum, in liquorem diffluit flavum et acrem, qui *Oleum Martis*, *Liquamen Martis*, *Ferrum salitum* nuncupatur. Residuum hoc a sublimatione siccum ad praeparationem *Tincturae Martis aperitivae* adhibetur et constat ex Sale Ammoniaco, Acido Salis et Marte.

N. P. Sint aequaliter colore aurantio imbuti, odoris crocei, saporis acris salini, adstringentis, in Aere humescentes, in Aqua penitus cum colore flavo solubiles, et Alcohol Vini colore aurantio tingentes, super prunis in cochleari candenti in totum avolantes.

V. ☉ FLORES SULPHURIS LOTI.

Rec. Sulphuris citrini ruditer contusi quantum placet,
sublimetur ex cucurbita terrea in balneo arenae impositis aludulis igne moderato. Floribus Sulphuris sublimatione obtensis vasi vitreo vel terreo probe vitreato immissis affundatur Aquae communis bullientis quantitas sufficiens et creberrime agitentur, postea ad subsidentiam reponantur, et Aqua supernatante decantata et abjecta, Flores subsessi colatorio committantur et Aqua communi calida repetitis vicibus edulcorentur, donec Aqua defluens nullum praebuerit amplius saporem, nec Tincturam Laccae coeruleae rubefecerit. Quo facto Flores abluti, super charta typographica alba extensi, in loco calido provide exsiccentur et postea in vase clauso serventur.

N. P. Cum pattibus anaticis Nitri depurati nullum spargant odorem, nec Tincturam Laccae coeruleae rubefaciant.

☉ FLORES ZINCI.

Rec. Zinci purissimi orientalis in frusta minora redacti libra una, immittatur in crucibulum capax, suboblique cum orificio laboratorem respiciente in furno anemio positum, circumdandum carbonibus et orificium ejus operculo tegendum; quo facto carbones accendantur et ignitio sustineatur donec crucibulum candescendo albescat. Tunc operculum dematur, accedente, Aere, inprimis vero tangendo superficiem Metalli fusi spatula ferrea, Zincum cum fumo albo inflammabitur, qui fumus lateribus crucibuli Flores sive flocculos albos adjunget, simulque superficiem Zinci fusi tela obducet tenuissima, alba, ulteriorem Florum impediens ascensionem; quae pellicula ergo ope spatulae ferreae caute auferatur et prope ad orificium crucibuli congeratur, cujus si quaedam portio collecta sit, e crucibulo auferenda. Flores autem partibus superioribus adhaerentes, mediante cochleari ferreo eximantur et laminae metallicae refrigerationis causa committendi. Quae Zinci, ope spatulae, in superficie tactio, telae albae remotio, Florum exemtio et super laminas eductio, eousque continuetur, donec omne Zincum deflagratum fuerit, et nulli amplius apparuerint Flores. Durante autem labore Pharmacopoeus fumum summopere evitet, stupefacit enim et

in pulmones attractus haemopthysin saepe progenerat. Flores omnes collecti, ad ablutionem Aquae sufficienti quantitati immittantur, ubi Zincum forte adhuc incombustum commixtum in fundo vasis remanebit, dum interim Flores cum Aqua agitati et in ea haerentes colatorio laneo infundantur, et Aqua per pannum laneum defluxa, in superficie colatorii colligantur et chartae typographicae albae immissi, in calore leni exsiccentur, postea in vase clauso servandi.

N. P. Sint albissimi, levissimi, tenuissimi, sine ullo sapore ac odore, in Acidis solubiles, ac si recentes et arctissime clausi fuerint sine effervescentia, Aeri vero expositi, vel minus rite servati, cum effervescentia solvantur. In igne maxime fixi, et in crucibulo igniti flavescant, refrigerati vero iterum albescant. In Aqua minime solvantur. Creta, Gypso vel Conchis adulterati, cum Acido vitriolico semper effervescunt, sedimentumque album deponunt, et per affusionem Salis Acetosellae in Aqua soluti, ex solutione Florum Zinci saturata hoc modo adulteratorum in Spiritu Nitri, sedimentum album praecipitatur.

V. ⊙ FUNGUS QUERNUS, seu AGARICUS CHIRURGORUM PRAEPARATUS.

Rec. Fungi Quercini quantum volueris,
superior pars, durior ac albidior, nec non inferior fistulosa cultri ope removeantur, pars media tenuior, in frusta discindatur diversae magnitudinis, in loco calido caute exsiccanda; tunc quodlibet frustum tam diu malleo ligneo percutiatur, donec pellis Rupicaprae instar vel uti lana deduci inter digitos poterit. Serventur deinde in vase clauso et loco sicco.

FUNGUS SALICIS PRAEPARATUS.

Rec. Fungi Salicis recentis exeunte Autumno vel Hyeme collecti et a particulis Corticis, Ramusculorum vel Foliorum saepe cum ipso concretis purgati libra semis,
radula comminuatur et in mortario ferreo pistillo ligneo contundatur
cum Mucilaginis Gummi Tragacanthae unciis tribus,
in pastam sicciorem, quae deinde leni calore exsiccanda, et trituratione diuturna in mortario lapideo in pulverem redigatur postea per cribrum subtilissimum e pilis confectum trajiciendum. Servetur pulvis in vitro clauso.

⊙ GALBANUM DEPURATUM.

Rec. Galbani ruditer contriti quantum volueris,
immitte in vesicam bubulam, quae Aquae ebullienti tamdiu immergitur, donec Galbanum mollescat et fere liquescat, dein in sacco ex linteo confecto inclusum exprimitur fortiter et servatur in vase clauso. Hoc modo nec Oleum aethereum contentum, nec alia principia maxime efficacia avolant, quod alias coctione cum Aceto semper contingit.

V. ⊙

V. ⊙ GLANDES QUERCINAE TOSTAE.

Rec. Glandum Quercus quantum volueris,
a corticibus externis ope cultri deglubantur, et nuclei in quatuor partes dissecentur; postea super fornace calida cribro impositae, probe exsiccentur et ab arillis liberentur. Tunc vasi clauso ferreo, super prunas versando vel agitando, immissae, tam diu ustulentur, donec fusco colore tinctae fuerint, probe tamen cavendo, ne in Carbones comburantur; sic tosti nuclei in mortario vel ope molae coffeaticae in pulverem redigantur, qui pulvis in vase fictili et clauso probe compressus servetur.

V. GLOBULI MARTIALES, seu VULNERARII.

Rec. Limaturae Martis purae in pulverem subtilissimum tritae libra semis,
Crystallorum Tartari pulveratorum libra una,
misceantur in vase ferreo sensim affundendo
Aquae fontanae fervidae quantum satis,
ut acquirat consistentiam pultis, haec puls sine omni calore relinquitur in loco frigido per plures dies saepius agitando, donec spissa evadat et dein exsiccetur; tunc huic massae iterum affunditur Aqua, et iterum exsiccatur, et repetitur haec operatio saepius, donec haec massa naturam quasi resinosam acquirat; inde globuli formentur ponderis unciae semis, qui leni calore exsiccandi et in vitro clauso et loco sicco servandi sunt.

NOTA. Si hi globuli in pulverem subtilissimum rediguntur, sistunt medicamentum omnium sane medicamentorum martialium praestantissimum. Solvitur talis pulvis in AQUA RUBI IDAEI, CERASORUM NIGRORUM aut FLORUM CASSIAE et addito Syrupo grato pulcherrima efficacissimaque Tinctura Martis promptissime et *ex tempore* paranda venit; a primis viis melius quoque perferri potest Mars Tartaro solutus.

V. GLOBULI MOSCHATI.

Rec. Sacchari albi subtilissime pulverati unciae sex,
Amyli
Radicis Ireos florentinae pulveratae ana drachmae duae,
Moschi pulverati grana tria,
Mucilaginis Gummi Tragacanthae quantitas sufficiens ut fiat massa consistentiae debitae, ex qua formentur globuli a magnitudine pisi majoris ad globi sclopetarii magnitudinem.

V. ⊙ HEPAR SULPHURIS CALCAREUM.

Rec. Ostracodermatum praeparatorum
Florum Sulphuris lotorum ana unciae duae,
exacte mixta crucibulo hassiaco immittantur, quod operculo tegendum, ig-

ni jam forti imponatur, tunc miscela in crucibulo candescat per quindecim minuta albo colore, quo facto crucibulum ab igne removeatur et massa refrigerata eximatur, in mortario vitreo sicco in pulverem redigatur, in vitro exactissime clauso servandum.

NOTA. Est egregium et fere optimum remedium ad sistendam salivationem ab Hydrargyro ortam; reliquas vires *vide P. I.*

INFUSUM BACCARUM VITIS IDAEAE.

Rec. Baccarum recentium Vitis Idaeae partem unam,
Aquae fontanae frigidae partes tres,
indantur mixta in cadum, seu dolium, stent in cella per 3 menses, colatura dein expressa servetur in lagenis vitreis, in quibus semper in officinis praesto esse debet.

KERMES MINERALE.

Rec. Antimonii crudi in frustula contusi libra una,
Lixivii caustici vegetabilis librae duae,
coquantur in vase ferreo per horam et sub perpetua agitatione, deinde addantur
Aquae communis fervidae librae duae,
et solutio adhuc calida per chartam bibulam filtretur. Liquor filtratus, vasi vitreo immissus et Aquae communis frigidae unciis circiter octo adhuc dilutus, per duodecim horas in loco frigido, ad praecipitandum per refrigerationem pulverem Kermesinum, reponatur, quo facto lixivium decantetur. Lixivio huic decantato iterum
Lixivii caustici vegetabilis libra una,
admisceatur, eique ingeratur Antimonium post primam coctionem et filtrationem remanens, quae miscela denuo in vase ferreo sub continua agitatione coquatur et porro uti supra dictum tractetur, quo facto iterum Kermes liquori refrigerato excidet, qui labor et tertia vice eodem modo repeti potest. Lixivium quoque ex quo Kermes praecipitatum est, per affusionem Spiritus Vitrioli adhuc *Sulphur Antimonii auratum* largitur. Denique omne *Kermes minerale* praecipitatum obtentum toties in sufficiente quantitate Aquae communis decoquendum est, donec Aqua, post quamlibet coctionem decantanda, nullum amplius exhibuerit saporem et cum Sale Ammoniaco tritum nullum spargat odorem volatilem. Tunc Kermes hoc modo exacte edulcoratus, super charta typographica alba extensus leni calore siccetur et postea in vitro clauso servetur.

N. P. Sit coloris sammetini e fusco rubicundi, saporis et odoris nullius, tactu mollis; in sufficienti quantitate lixivii caustici, coctione, penitus solvatur, refrigeratione autem iterum ex eo praecipitetur. Per reductionem ultra tertiam partem Reguli exhibeat Antimonii. *Kermes* ab affuso Aceto Vini odorem ovorum putridorum spar-

spargens, et cum Sale Ammoniaco tritus, odorem praebens volatilem, non rite edulcoratus est.

V. ⊙ LAPIDES CANCRORUM PRAEPARATI.

Rec. Lapidum Cancrorum quantum volueris,
Aqua calida abluti iterumque siccati, contundantur in pulverem in mortario ferreo, postea in vase fictili vel Cacabo stanneo coquantur in Aquae communis sufficiente quantitate; quae coctio tam diu reiteranda donec Aqua non amplius flavescens evaserit, tunc terantur super prophyrite in pulverem tenuissimum, per cribrum e pilis confectum transjiciendum. Serventur in vitro optime clauso.

N. P. A Chonchis seu Ostracodermatibus praeparatis distinguantur per pondus levius et solubilitatem faciliorem ac perfectiorem in Spiritu Nitri.

⊙ LAPIS CAUSTICUS CHIRURGORUM.

Rec. Lixivii caustici vegetabilis librae sex,
in vase ferreo eo usque lente coquantur, dum guttula ejus lapidi frigido instillata, statim induruerit, tunc massa crucibulo immittatur amplo, ignisque fortis subministretur, donec instar Olei et colore rubicundo fluxerit; ita fluens subito effundatur in modulum peculiarem ferreum, antea calefactum, vel super laminam ferream calidam et Oleo Olivarum illitam, vel super marmor politum et calefactum, et antequam plenarie induruerit in frusta discindatur parva, quae adhuc calida in vitrum prius calefactum immittantur, optime claudendum, et in loco calido v. c. prope fornacem servandum.

N. P. In Aqua communi destillata penitus solvatur, quae solutio cum Acido quodam incalescat quidem, sed minime effervescat, Aquam Calcis vivae autem nullo modo turbet, calefacta capillos et ossa solvat et festuculas ligneas in carbonem mutet.

⊙ LAPIS INFERNALIS, seu LUNA CAUSTICA.

Rec. Argenti probe cupellati purissimi et limati unciae duae,
vasi vitreo immittatur eique superaffundantur successive
Aquae fortis duplicis seu praecipitatae unciae sex,
facta in balneo arenae solutio plena decantetur et filtretur in vas vitreum evaporatorium, ibique in balneo arenae ad siccitatem evaporetur. Massa sicca patellae porcellaneae ingeratur capaci et bene mundatae, lenique carbonum igni committatur, sensim vero augendo, ea vero sedula cautione, ne particulae carbonum insiliant et massa ullo alio quam argenteo vel fictili bacillo agitetur. Tunc massa primo elevabitur vaporesque emittet obscure rubros, postea iterum subsidebit et quiete instar Olei nigri fluet, quo temporis momento massa fluens statim in tubulos vel modulos ferreos

vel

vel lapideos antea Oleo aut Sebo illitos et calefactos effundatur, modulis refrigeratis, massa sicca eximatur et in vasis vitreis siccis, optime contra Aeris accessum claudendis, servetur.

N. P. Sit coloris e fusco nigri quodammodo in album vergentis, fragilis, intus ex centro versus peripheriam radiatus, et in Aqua destillata communi penitus solubilis. In Aere humescat, minime autem mox liquescat, cito enim liquescens rejiciendus est. Qui coloris est cinerei, vel viridescentis, vel qui cum Spiritu Salis Ammoniaci volatili tritus, colorem induit coerulescentem vel viridescentem, Cupro est inquinatus.

⊙ LIMATURA MARTIS PURA.

Rec. Frustum Ferri purissimum,
lima pura redigatur in scobem, quae in mortario ferreo contundatur in pulverem subtilissimum, qui postea per cribrum trajiciatur tenuissimum e pilis confectum et in vitro angustioris colli probe clauso servetur.

LIMATURA STANNI DEPURATA.

Rec. Stanni Indici Malaccensis, vel Anglici Cornwalliensis purissimi quantum volueris,
limae subjiciatur subtiliori, ramenta subtilissima electa, cum octuplo Aceti Vini praeparati in vase porcellaneo usque ad remanentiam tertiae partis decoquantur, colatorio linteo immittantur, et residuum in colatorio Stannum, ab omni acido, per affusam Aquam communem fervidam abluatur. Postea Aceti Vini defluxi aliqua portio cum lixivio Salis alcalini vegetabilis saturetur, Acetum quodsi limpidum manserit, Limatura Stanni est pura, quodsi vero ab alcali dicto turbidum evaserit, Stannum rursus et toties cum Aceto Vini coquatur, usque dum Acetum ab alcali vegetabili minime turbatum fuerit. Tunc Limatura Stanni Aqua communi fervida abluta leni calore exsiccetur et in vitro clauso servetur.

LIQUAMEN VERBASCI FLORUM.

Rec. Florum Verbasci recentium quantum placet,
contusi in vitro clauso per longius tempus Soli aut alio leni calori exponantur, donec in liquamen fuscum oleosum diffluant, hoc coletur et in vitro clauso servetur in loco frigido.

⊙ LIQUOR CORNU CERVI SUCCINATUS.

Rec. Salis Cornu Cervi volatilis drachmae duodecim,
Aquae communis destillatae unciae octo,
solvantur in phiala vitrea et solutio cum
Salis Succini volatilis pulverati sufficienti quantitate,
perfectissime saturetur, donec nulla amplius effervescentia appareat, nec
de

de Sale Succini aliquid amplius solvatur; miscela saturata per chartam typographicam albam filtretur et servetur in vitro optime epistomio vitreo et vesica bubula clauso.

N. P. Sit limpidus, odoris fragrantis peculiaris, saporis refrigerantis, pungentis, subamari. Rejiciendus liquor turbidus, odoris foetidi, et cui guttulae oleosae supernatent. Tincturam Laccae coeruleae minime rubello tingat colore, nec Tincturam Curcumae fusco. Ex admixta anatica portione Alcoholis Vini, nullae exoriantur crystalli ammoniacales plumosae, nec ex instillata solutione Plumbi in Spiritu Nitri, praecipitetur Plumbum cornuum. Ex instillatione Oleo Vitrioli nullos spargat Aceti vapores volatiles, nec Cremorem Tartari deponat.

LIQUOR SALINUS.

Rec. Flavedinis Corticum Aurantiorum pulveratae uncia una,
Tartari Tartarisati libra una,
Salis Ammoniaci depurati unciae duae,
Aquae communis destillatae librae tres,
cucurcitae vitreae immissa debite claudendae, digerantur leni calore per quadriduum, sub crebra agitatione, postea filtrentur, et serventur in vitro clauso.

NOTA. A guttis decem ad drachmas duas et ultra exhibetur.

V. ⊙ LIQUOR SALIS TARTARI, seu OLEUM TARTARI PER DELIQUIUM.

Rec. Salis Tartari, seu Alcali vegetabilis puri quantum volueris, suspendatur loco humido in sacculo lineo, ut deliquescat, et deliquescendo in vas subpositum depluere possit, Liquor nunc filtretur per chartam albam typographicam et servetur in vitro epistomio vitreo et vesica bubula clauso.

N. P. Omnes praebeat notas Salis alcali vegetabilis probi et puri.

V. ⊙ LIQUOR TERRAE FOLIATAE TARTARI.

Rec. Salis Tartari seu Alcali vegetabilis puri libra una,
vasi vitreo amplo immittatur et affundatur per vices et paulatim
Aceti Vini praeparati quantitas sufficiens,
ad plenariam saturationem, cujus in fine crebro agitetur miscela, saturatione debite peracta, per tres dies in vitro clauso seponantur, tunc per chartam typographicam albam filtrentur, et in balneo arenae, sub crebra agitatione ad remanentiam trium librarum evaporentur. Admixtis denique
Spiritus Vini rectificati unciis duabus,
sevetur Liquor in vase vitreo clauso.

N. P.

N. P. Sit coloris fusci, odoris debilis, saporis salini, pungentis, et vitrum unciarum trium Aquae communis destillatae capax, Liquoris Terrae foliatae Tartari capiat solummodo uncias duas. Ab admixta portione anatica Alcoholis Vini limpidus maneat, et minime praecipitetur; ex instillatione Spiritus Nitri tenuioris nullum deponat Cremorem Tartari et odorem spargat acetosum; admixtum Acidum Tartari crystallisatum, Cremorem praecipitet Tartari, et Acetum ferme purum supernatet.

LIXIVIUM CAUSTICUM MINERALE.

Rec. Calcis vivae probe ustae librae quatuor,
vasi amplo lapideo vel ferreo immissis superinfundatur
Aquae communis calidae quantitas sufficiens,
ut Calx sub crebra agitatione extinguatur et in pultem liquescat, cui admisceantur
Salis alcali mineralis unciae sedecim,
in Aquae communis libris novem soluti;
tunc miscela sub crebra agitatione per viginti quatuor horas seponatur, postea portiuncula quaedam hujus lixivii filtretur et cum Spiritu Vitrioli misceatur, qua ex mixtione si bullae adhuc exortae fuerint, lixivio adhuc aliqua portio Calcis vivae admiscenda est, quo facto, hoc examen lixivii cum Spiritu Vitrioli et Calcis admixtio tam diu repeti debet, donec in examine nullae amplius ascenderint bullae, nec lixivium turbidum evaserit, sed limpidum manserit. Deinde hujus lixivii aliqua portiuncula filtrata, cum Aqua Calcis vivae recenter parata misceatur, lixivium si ab hac mixtione turbatum fuerit, ei adhuc Salis alcali mineralis quantitas sufficiens admisceatur. Lixivium igitur a Spiritu Vitrioli nec effervescens nec turbidum evadens nec ab Aqua Calcis vivae lactescens, a sedimento decantetur ac per infundibulum vitreum, cujus rostro gossypii portio imposita est, filtretur. Denique vitrum Aquae communis destillatae librae unius capax, hocce lixivio impleatur, quod vitrum si minus quam pondus unciarum sedecim lixivii caustici capere poterit, lixivium adhuc in vase ferreo tamdiu evaporandum est, usque dum hancce acquisiverit gravitatem specificam, si vero plus ponderis lixivii ceperit, huic tantum Aquae communis destillatae adfundatur, quantum ad obtinendum pondus dictum necesse fuerit. Servetur in lagenis vitreis epistomio vitreo et vesica bubula munitis.

N. P. Neque cum Acidis effervescat, etsi cum iis incalescat, neque cum Aqua Calcis vivae recenter paratae lactescat, nec lixivium Salis alcalini vegetabilis turbet. Calefactum pilos, ossium ramenta etc. solvat, et pennam anserinam ei immissam rodat.

⊙ LIXIVIUM CAUSTICUM VEGETABILE, seu MAGISTRALE.

Eodem modo ut lixivium causticum minerale ex Calce viva ast cum *Sale alcali vegetabili fixo puro* seu *Sale Tartari puro* paratur, easdemque praebeat Notas Probitatis. LI-

⊙ LIXIVIUM SALIS ALCALINI VEGETABILIS.

Rec. Salis Tartari purissimi unciae sex,
Aquae communis destillatae libra una,
immittantur vasi vitreo et solvantur, postea filtrentur per chartam albam typographicam et serventur in vitro optime clauso.

N. P. Omnes praebeat notas Salis alcalini vegetabilis probi.

V. ⊙ MAGNESIA ALBA, seu MURIA.

Rec. Salis Anglici amari depurati librae octo,
vasi ligneo antea optime mundato immissis, adfundantur
Aquae communis destillatae bullientis librae viginti,
solutione peracta, per linteum album mundissimum coletur. Simul, sed separatim, etiam solvantur in vase ligneo mundato
Salis Tartari puri librae sex,
in Aquae communis destillatae bullientis libris sedecim,
et solutio per pannum linteum purum coletur. Tunc solutio Salis Anglici Cacabo stanneo vel cupreo, stanno autem purissimo obducto immittatur et bene calefiat, cui postea lixivium Salis Tartari, pariter antea rursus calefactum successive adfundatur, sub qua adfusione Sal Anglicum solutum continuo spathula lignea agitetur; sic adfusio lixivii alcalini seu Salis Tartari eo usque continuanda est, donec miscela plenarie coiverit, nec portiuncula liquoris filtrati ex admixtione lixivii Salis Tartari amplius turbata fuerit. Quo facto ab ulteriori affusione desistatur, diluenda autem adhuc est miscela cum
Aquae communis destillatae bullientis libris sedecim,
et per quadrantem horae sub continua agitatione leniter ebullienda. Deinde massa adhuc calida per conum ex panno linteo confectum coletur, et liquore omni defluxo, eo usque superfundatur residuae in colatorio massae terreae Aqua communis destillata fervida, dum haec sine omni sapore stillaverit, et neque Acetum Lithargyrii turbaverit neque Tincturam Curcumae obfuscaverit. Lixivia salina ad cuticulam evaporata, crystallisatione *Tartarum* largiuntur *vitriolatum*. Denique Terra amara penitus edulcorata, e colatorio ablata chartae typographicae albae superducatur, ac, si fieri potest, in calore Solis, alias prope fornacem calidam siccetur, et postea in vase vitreo optime clauso servetur.

N. P. Si albissima, admodum levis, tenuissima ac plane insipida, in Spiritu Vitrioli cito et penitus cum effervescentia solubilis, quae solutio saturata etiam post semihoram neque ullum deponat sedimentum, amaro praedita sit sapore, et per crystallisationem Sal exhibeat Anglicum. Etiam in Spiritu Salis Acido ac in Spiritu Nitri penitus solvatur; in cochleari candenti minime fundatur, ac cum pulvere Radicis Rhei trita colorem rhabarbarinum minime exaltet.

⊙ MAGNESIA ACETOSA.

Rec. Magnesiae albae unciae quatuor,
Aceti Vini praeparati quantitas sufficiens,
ad perfectissimam saturationem, saturatione finita, solutio per chartam bibulam filtrata in vase terreo vitreato seu vitro evaporatorio leni igne evaporetur ad siccitatem, servetur in vitro exacte clauso.

NOTA. Dosis est a drachma semis ad unam et ultra; minori dosi egregium est resolvens in obstructionibus viscerum abdominalium; ad drachmam et ultra exhibita alvum ter aut quater movet.

MAGNESIA CALCINATA, seu USTA seu PURA.

Rec. Magnesiae albae librae duae,
immittantur crucibulo capaci, operculo arcte claudendo et calcinetur Magnesia igne fortiori, donec per duas vel tres horas rubuerit, dimidiumque ponderis sui amiserit; post refrigerationem, qua durante crucibulum probe clausum maneat, depromta ex crucibulo *Magnesia usta* subito vasi vitreo sicco colli angusti ingeratur, optime contra accessum Aeris muniendo. In portionibus minoribus semper haec est elaboranda, tractu enim temporis Aerem expulsum sensim rursus attrahit.

N. P. Saporis sit terrestris, minime caustici, in Acidis mineralibus frigide, ac in vegetabilibus mediante calore absque ulla effervescentia penitus solubilis, etiam si antea cum Aqua madefacta sit; cum Aqua destillata nec calefiat nec Aquam Calcis vivae largiatur; ab affuso Oleo Vitrioli concentrato igniatur; Tincturam Curcumae minime fusco imbuat colore.

DOSIS. Est a granis sex ad viginti.

MAGNESIA PHOSPHORATA.

Rec. Magnesiae albae unciae quatuor,
Acidi Phosphori puri liquidi quantum satis,
ad saturationem, hac peracta, filtretur solutio et in vase vitreo evaporetur ad siccitatem; servetur in vitro clauso.

NOTA. In principio rachitidis vires egregias exserit; ad grana decem, scrupulum unum vel drachmam semis exhibetur pro dosi.

MAGNESIA SALITA.

Rec. Magnesiae albae unciae quatuor,
Spiritus Salis Acidi diluti quantum satis,
ad saturationem, hac peracta, solutio filtretur et in vase vitreo leni igne evaporetur ad siccitatem. Servetur in vitro clauso.

NO-

NOTA. Est Sal medium terreum et securius et eadem efficacia, in omnibus morbis ubi alias *Terra ponderosa salita* commendatur, adhiberi poterit. Exhibetur a granis decem ad scrupulum unum, drachmam semis aut unam pro dosi.

MANNA TABULATA.

Rec. Mannae Calabrinae electae seu granulosae quantum placet, solve in Aquae communis calidae valde exigua quantitate, post colationem effunde in modulos morsulorum, sic condensati serventur Morsuli seu Manna tabulata in vitro clauso loco sicco.

MASSA AD CHARTAM CERATAM.

Rec. Resinae albae purae unciae sex,
Sevi Vervecini depurati recentis drachmae sex,
Terebinthinae purae drachma una cum semisse,
liquescant sensim, liquata colentur et frigefacta Massa servetur. Parando chartam ceratam, haec Massa folio laminae ferreae calefactae imposito tenuiter illinitur, et charta modo consueto fortiter extenditur; adhibenda vero charta elegantior.

MASSA PILULARUM ALOETICARUM, seu RUFI.

Rec. Extracti Aloes aquosi uncia semis,
emolliatur Aqua communi destillata, eique impastentur
Saponis Alicantini rasi,
Gummi Ammoniaci pulverati ana uncia una,
misceantur exacte ut fiat Massa pilularum in vesica Oleo madida servanda.

DOSIS. Est a granis decem ad viginti et ultra.

V. MASSA PILULARUM AMARARUM.

Rec. Fellis Tauri inspissati,
Extracti Radicis Gentianae rubrae,
Extracti Conorum Lupuli ana uncia una,
mixta exacte juxta regulas artis fiant Massa pilularum, quae in vesica Oleo madida servanda.

DOSIS. Est a scrupulo uno ad drachmam unam.

⊙ MASSA PILULARUM ANODYNARUM.

Rec. Opii puri seu Extracti Opii drachmae duae,
Pulveris gummosi compositi unciae duae,
Pulveris Croci Austriaci scrupuli duo,

 Sy-

Syrupi Papaveris albi quantitas sufficiens,
ut exacte mixtis fiat Massa pilularis dicto modo servanda.

NOTA. Hujus Massae drachma una fere octo grana Opii continet. Grana bina hujus Massae ad grana sex vulgaris dosis esse solet. Praestat haec compositio illae, Massae pilularum de Cynoglosso, et de Styrace, quae varia resinosa, aromata et stimulantia praeter Opium continent, hinc tutius harum loco haec compositio scopo anodyno in variis morbis adhiberi potest.

V. ⊙ MASSA PILULARUM BALSAMICARUM.

Rec. Extracti Myrrhae aquosi,
Extracti Turionum Pini,
Extracti Radicis Saponariae rubrae ana drachmae sex,
Resinae Gemmarum Populi balsamiferae uncia semis,
mixta fiant Massa pilularis, dicto more servanda.

DOSIS. Est grana decem ad viginti.

V. ⊙ MEL DEPURATUM, seu DESPUMATUM.

Rec. Mellis crudi optimi, nec farina aut sabulo adulterati librae viginti,
Aquae pluvialis fervidae librae quadraginta,
in vase fictili amplo misceantur et per 16 horas seponantur, intra quod tempus autem saepissime spathula lignea probe agitentur; miscela deinde adhuc per aliquot horas quieti commissa, per pannum laneum coletur, et super lenissimo igne, sub continua agitatione, in vasis evaporatoriis ad consistentiam Syrupi inspissetur. Servetur in vase lapideo vel porcellaneo clauso.

V. ⊙ MEL ROSARUM.

Rec. Florum Rosarum pallidarum, seu incarnatarum recentium quantum satis,
ut exprimatur lege artis *Succus* librae unius,
Mellis depurati librae duae,
mixta in mortario vitreo per sedulam triturationem perfectissime uniantur, postea per pannum laneum colentur et serventur in vase lapideo vel porcellaneo bene clauso. In defectu Florum recentium, hinc defectu Succi expressi adhiberi quoque poterit Infusum saturatum Florum Rosarum pallidarum siccatorum, quod tamen priori ex Succo parato Melli rosarum virtute et praestantia postponendum. Tunc vero una pars Infusi cum quatuor partibus Mellis depurati semel tantum ebulliat.

⊙

⊙ MERCURIUS DULCIS, seu PANACEA MERCURIALIS.

Rec. Mercurii sublimati corrosivi juxta praescriptionem hujus Dispensatorii a Pharmacopoeis ipsis parati unciae sedecim,
Mercurii vivi depurati seu revivificati libra una;
Mercurio sublimato corrosivo mortario vitreo immisso,
adfunde Aquae communis destillatae quantum satis,
ut redigatur in pastam; dein huic pastae Mercurium vivum revivificatum per alutam transprimendo sensim et sensim adde, terantur invicem, donec Mercurius vivus dispareat, quod plerumque intra dimidiam horam contingit. Immitte hanc miscelam Mercurii in cucurbitam vitream, ita, ut tantum tertia pars hujus repleta sit, et cujus orificium solummodo Cono ex charta crassiori obturatur; ponitur cucurbita in balneum arenae ita, ut haec ab initio usque ad collum arena tecta sit, quamprimum autem *Mercurius dulcis*, (qui magis inferius, corrosivae partes et Mercurius vivus vero superius magis collo cucurbitae se se affigunt,) ascendere incipit, collum cucurbitae aliquot pollices ab arena denudatur; sublimetur igne continuo forti, donec nihil amplius ascendat. Apparatu penitus frigefacto auferatur tota Massa sublimatione obtenta, constans ex Massa crystallina alba, seu *Mercurio dulci*, ex Massa pulverulenta grisea seu Sublimato corrosivo et Mercurio vivo; omne hoc sublimatum eximatur et mixtum, in mortario vitreo in subtilem pulverem contritum, secunda vice ex cucurbita vitrea sublimetur de novo, et frigefacto Apparatu, Massa crystallina alba, solida, splendens, seu *Mercurius dulcis* ab adhaerente pulvere friabili, griseo, qui verus est Mercurius sublimatus corrosivus; caute separetur, et in mortario vitreo in pulverem subtilissimum teratur ac in vitro optime clauso servetur.

N. P. *Mercurius dulcis* sublimatione obtentus constat ex Massa alba, crystallina, crystallis acicularibus sibi invicem impositis, coloris si firmiter cohaerent, dilutissime flavescentibus, solida, et compacta, splendente, insipida ac inodora; cum Aqua Calcis vivae aut Salibus alcalinis fixis et volatilibus tritus nigrescit, in cochleari candente super prunis detento fere penitus avolat, in Aqua difficulter solubilis et in pulverem subtilem tritus flavescit. *Mercurius dulcis* juxta hanc praescriptionem propositam rite paratus ratione virium medicatarum praevalet omnibus aliis etiam novissimis praeparationibus. Inprimis enim est communissima praeparandi methodus et antiqua juxta quam de *Mercurio dulci* felicissimae curationes morborum syphiliticorum sublatorum per tot annorum seriem notantur, non item juxta recentiorem parandi methodum. Ratio videtur, quod in antiqua et communi praeparandi methodo semper exigua copia Mercurii sublimati corrosivi Mercurio dulci admixta fuerit, in recentissima methodo vero ab expertissimo HERMBSTADT inventa omni studio *Mercurius dulcis* a *Mercurio sublimato* purgatus invenitur. Scimus, quod Mercurius dulcis per plures repetitas sublimationes iterum corrosivus evadat, et tamen de Calomelle tot felices curationes

in libris practicis notantur, unde hoc? an quia est Sal magis perfectum et etiam Mercurium corrosivum continet, ubi ille Mercurius dulcis juxta novam methodum paratus fere semper alvum movet et vix ullam in morbis efficaciam monstrat, quia major copia Mercurii vivi continetur, et Sal imperfectum sistit, de quo Mercurio vivo scimus, quod per se in hac forma inefficax sit, sed solummodo forma Calcis et forma Salis. Hinc *Mercurius dulcis* juxta communem et antiquam parandi methodum paratus ob exiguam copiam *Mercurii sublimati corrosivi* admixtam adeo efficax *fuit olim* et *adhuc* est, quod praeter *privatas*, *certissimae observationes publicae* captae Viennae olim in Nosocomio militari in annosa et ampla morborum syphiliticorum praxi, evincunt. Praeterea Mercurius dulcis juxta antiquam hanc methodum paratus non tam parca dosi, imo ad grana sex bis de die per decem aut quindecim dies exhibitus raro salivationem produxit, ut ille juxta recentissimam methodum praeparatus. Certissimae observationes omnium practicorum quoque docent ex omnibus praeparatis mercurialibus Mercurium sublimatum corrosivum diutissime posse exhiberi sine subsequente salivatione; hinc ratio esse videtur, quod, quo minus enim Mercurius vivus Salibus solutus sit, imo ipse Mercurius vivus forma Calcis majorem stimulum ad glandulas salivales excitet et tamen symptomata syphilitica non tam cito dispareant, ut ab usu Mercurii sublimati perfectissime Salis acido soluto, aut Mercurio dulci pauca copia Mercurii sublimati inquinato. Hinc hanc praescriptam methodum communem et antiquam parumper emendatam praefero; aut si cuidam tamen recentissima methodus parandi Mercurium dulcem celeberrimi HERMBSTÄDT, ubi purissimus et ab omni labe Mercurii sublimati corrosivi purgatus *Mercurius dulcis* obtinetur, magis placeret, in praxi clinica ad felicem curationem necesse erit semper, huic recentissima methodo praeparato Mercurio dulci purissimo, aliquid *Mercurii sublimati corrosivi* addere et tunc erit idem felix eventus. Ex his patet, quod Medicamenta chemica juxta nova et emendata quidem Chemiae et Pharmaciae Experimenta ratione puritatis aut praeparationis quidem emendata hodie descripta sint, sed in Praxi clinica saepe etiam alias vires exserant et alia phoenomena producant. Hinc solummodo illas novas praeparationes medicaminum huic Dispensatorio inserere volui, quae in Praxi clinica confirmata et comprobata erant.

Mercurius nitratus, seu Nitrum mercuriale frigide paratum.

Rec. Mercurii vivi depurati seu revivificati uncia una cum semisse,

cu-

cucurbitae vitreae immissis affundatur

Spiritus Nitri fortis seu Aquae fortis duplicis uncia una,

cucurbita vasi imponatur Aquae frigidae pleno, et saepius agitetur, sic miscela solutioni per quatuor aut plures dies committatur. Tunc liquidum provide decantetur, et Crystalli mercuriales nitrosi, si quaedam jam in cucurbita formatae fuerint, pauco Aquae communis destillatae solvendae sunt, quarum solutio liquido decantato admisceatur. Quod liquidum obtentum, limpidum in vase vitreo plano insensibiliter evaporet, Crystalli exortae colligantur, inter chartam bibulam albam in frigido loco exsiccentur, et in vitro arctissime clauso serventur. Tanquam *Reagens* adhibetur.

N. P. Crystalli regulares, planae, in Aquae destillatae partibus quatuor solutae cutem nigram reddant, et a Lixivio caustico vegetabili, albo colore, a Spiritu Salis Ammoniaci aquoso, colore e nigro cinereo praecipitentur.

Mercurius praecipitatus albus.

Rec. Spiritus Nitri fortis seu Aquae fortis duplicis unciae octo, cucurbitae vitreae immissis ingerantur succesivis vicibus, ne miscela calefiat,

Mercurii vivi depurati unciae quatuor,

solutio in loco frigido peragenda diluatur sensim sensimque cum

Aquae communis destillatae libris sex;

quo facto huic miscelae successive instilletur sequens solutio:

Salis Ammoniaci depurati unciae tres, in

Aquae communis destillatae libris quatuor solutae,

post ambarum solutionum commixtionem, illico instilletur sub crebra agitatione

Lixivii Salis alcalini vegetabilis sufficiens quantitas,

cavendo tamen ne nimium Lixivii instilletur, quod praecipitatum colore inficeret flavo, donec nulla amplius fiat praecipitatio. Deinde, post praecipitati subsidentiam, supernatans liquor decantetur et massa praecipitata filtro committatur ex charta bibula alba confecto, eique iterum adfundatur

Aquae communis destillatae libra una, in qua

Salis Ammoniaci depurati uncia semis soluta est,

postea massa adhuc eousque cum Aqua communi destillata frigida edulcoretur, dum haec sine ullo sapore et Acetum Lithargyrii minime turbans decurrerit. Tandem pulvis albus ex filtro exemtus et super charta typographica alba extensus, in umbra et leni calore siccetur, ac in vitro optime clauso servetur.

N. P. Sit albus, cum Aqua Calcis vivae tritus nigrescat; et cum Lixivio Salis alcalini vegetabilis flavescat, in Aqua minus solubilis, penitus autem in Spiritu Nitri; in cochleari candenti per quadrantem horae super prunis detento in totum avolet, residuum enim flavum adulterationem cum Cerussa, album cum substantia terrea et carbonarium cum farina denotat. ⊙

⊙ *Mercurius praecipitatus ruber, seu potius calcinatus ruber.*

Rec. Mercurii vivi revivificati unciae octo,
Aquae fortis duplicis unciae sedecim,
ingerantur phialae vitreae balneo arenae immissae et coquantur ad siccitatem; quo facto massa eximitur, crucibulo terreo vitreato committitur et sub continua agitatione spathulae ligneae forti igne calcinetur, donec massa colorem induerit pulcherrime rubrum et splendentem, tunc crucibulum statim ab igne removetur, alias color depravatus evadit; servetur in vitro optime clauso.

N. P. Splendidis vegete rubicundis minutissimis squamulis conspicuus sit, qui tractu temporis et radiis solis expositi fuscum induunt colorem, sit odoris nullius et saporis, vix sensibilis, nec corrosivi nec metallici. In Aqua forti cum aestu sed sine effervescentia solubilis, plane vero non in Aceto Vini. Adulteratio cum Minio detegitur per adspectum minus nitentem et per reductionem, si cum Cera intime mixtus ante Tubum ferruminatorium in carbone, vel cum pulvere carbonum in crucibulo ignito granum Plumbi relinquit; cinnabarina contaminatio in tostione suspecti Mercurii praecipitati rubri super lapidem fervidum per vaporem denotatur sulphureum; cum Cinnabari mixtus etiam in Spiritu Nitri non penitus solvitur.

MERCURIUS PRAECIPITATUS SOLUBILIS NIGER, seu CALX MERCURII PURA NIGRA.

Rec. Aquae fortis duplicis seu praecipitatae unciae quinque,
ingerantur cucurbitae vitreae capaci, his succesive addantur
Mercurii vivi revivificati unciae quinque,
miscela saepius spathula fictili versetur, nascentur vapores rubri; his cessantibus, quando denique sub agitatione nullae amplius ascenderint bullae et prope omnis miscela in Massam abierit albam salinam, remanente vero aliqua Mercurii vivi portione insoluta, solutio peracta censetur. Tunc Liquor adhuc residuus a solutione decantetur, et cucurbita velociter inclinetur, ut posthac solummodo Mercurius insolutus etiam defluat, Massae vero salinae in cucurbita remanenti ad ejus excretionem facilitandam, adfundatur Aquae communis destillatae circiter uncia dimidia, cucurbita agitanda, subito invertenda et in fundo manu pulsanda, quo Massa salina in filtrum ex charta alba typographica paratum excidat, Sal forsan adhuc remanens drachma semisse Aquae destillatae communis eluatur et filtro ingeratur. In filtro omne fluidum defluat, ita ut Massa concrescat, postea *Sal* cum filtro alii chartae albae typographicae, ad omnem liquorem deducendum, imponatur et sine ullo calore exsiccetur; Liquor a solutione decantatus cum

flui-

fluido per filtrum defluxo mixtus ad parandam *Aquam nigram* adhiberi potest; *Sal* probe siccatum vasi vitreo immittatur, eique superinfundantur

Aquae communis destillatae librae quinque,

quae autem purissima sit, ita, ut solutioni Mercurii in Spiritu Nitri sine adhibito calore paratae admixta, nullas excitet nubes; miscela tubo novo fictili vel vitreo tam diu agitetur, donec ex pulvere fundum petente nil amplius solvi possit, solutio per duodecim horas seponatur, posteaque decantetur; pulvis in fundo remanens ad praeparandum *Mercurium praecipitatum rubrum* adhiberi potest. Liquor pellucidus decantatus vasi vitreo rursus immittendus est, eique infundatur succesive et sub perpetua agitatione cum bacillo novo fictili vel vitreo

Spiritus Salis Ammoniaci caustici sufficiens quantitas sensim et sensim guttatim,

donec praecipitatum non amplius nigro sed griseo colore apparere incipiat, tunc illico cessandum ab instillatione Spiritus Salis Ammoniaci caustici. Quo facto liquor cum praecipitato nigro, per aliquot temporis minuta, vehementer agitetur et postea per sex horas quieti committatur ut praecipitatum plane subsideat, tunc liquor supernatans limpidus provide decantetur, remanenti vero massae nigrae iterum superaffundantur

Aquae communis destillatae librae duae,

sedulo agitentur et denuo ad subsidentiam per duodecim horas seponantur; qua facta, liquor supernatans clarus cautissime iterum decantetur, ac residua *Massa nigra* pultacea, mediante cochleari eburneo novo ingeratur filtro ex charta bibula albissima confecto et tegatur charta alba. Liquore omni defluxo, massa exsiccatura, adhuc in filtro, chartae bibulae multipliciter plicatae committatur ac ad exsiccationem in umbra aeri perflanti vel radiis solis exponatur, omnis enim ignis aestus in siccatione vitandus est. Massa penitus exsiccata in mortario vitreo in pulverem redigatur, et in vitro optime obturato servetur. Liquores, post praecipitationem cum Spiritu Salis Ammoniaci, decantati misceantur, diluantur Aqua destillata communi, et addito adhuc Spiritu Salis Ammoniaci caustico orietur praecipitatum non amplius nigrum, sed griseum et ex griseo album; hoc praecipitatum addita Limatura Martis lege artis reducitur in *Argentum vivum.*

N. P. Sit pulvis sammetinus, ex profunde cinereo niger, in mortario vitreo diu et fortiter tritus fuscus evadens. Cum aliquot guttulis Aquae in massam glebosam mutatus, trituratione forti in exiguos reducatur globulos mercuriales. Grana ejus quatuor in Aceti Vini uncia, una coctione, penitus solvantur, et si talis solutio *Mercurii praecipitati solubilis nigri* in Aceto facta frigescit, nascuntur crystalli foliaceae splendentes. Argentum ex solutione in Spiritu Nitri minime in forma metallica (Arborem Dianae) praecipitet. Hic pulvis etiam vitris optime obturatis asservatus, post aliquot annos sensim magis calcinatur et colorem nigrum in albo griseum mutat. Hinc solummodo ea quantitas praeparanda et servanda, quae uni anno sufficit. Ex hac praeparatione sine adhibito frigore apparet, quod hoc praeparatum sive calide sive frigide praeparetur, semper idem sit, dummodo praecipitatio

solummodo eo usque protrahatur, quamdiu pulvis niger appareat et liquor a solutione residuus separetur.

DOSIS. Est a grano dimidio ad grana tria sensim ascendendo.

⊙ *Mercurius sublimatus corrosivus.*

Rec. Mercurii vivi revivificati libra semis,
huic superinfunde in cucurbita vitrea in balneo arenae sub fumario collocata
Olei Vitrioli concentrati puri albi libra semis,
et evapora miscelam ad siccitatem, quam frigefactam massam pulverisatam in mortario vitreo misce cum
Salis communis depurati et decrepitati libra una,
quae miscela ex cucurbita vitrea ad tertiam partem tantum repleta, igne sensim aucto sublimetur, donec nihil amplius ascendat. Massa crystallina alba ad superiora cucurbitae haerens a scoriis purgata servetur. Si vero massa non satis crystallina sit, Salis communis tantillo addito denuo sublimatur, donec crystallina et pura evadat. Residuum in cucurbita abjiciatur.

N. P. Sit crystallinae compagis ex spicis parallelis formatae, coloris albi, splendens, et solidum Sal, diffractum radiosum vel spicatum apparens, odoris nullius, saporis maxime corrodentis, in Aqua frigida ut 1 : 16, in Spiritu Vini ut 2 : 5 solubile. Tincturam Laccae coeruleae rubram reddit, e solutionibus per Aquam Calcis vivae colore et rubro flavo, per Lixivium Salis alcalini vegetabilis colore e fusco rubicundo, per Sal alcali volatile albo, interdum cinereo praecipitatur colore.

DOSIS. Est ab una octava parte unius grani sensim et sensim ad granum unum.

V. ⊙ MERCURIUS VIVUS DEPURATUS, seu REVIVIFICATUS, seu ARGENTUM VIVUM DEPURATUM.

Rec. Cinnabaris factitiae integrae in placentis unciae octo,
terantur in pulverem et admisceantur
Limaturae Martis purae unciae quatuor,
ingerantur retortae vitreae, quae in balneum arenae ponitur cum vase recipiente, in quo aliqua quantitas Aquae communis destillatae contenta est, ita, ut orificium retortae distantia duorum et dimidii pollicis a superficie Aquae remotum sit sine omni luto. Ignis sensim augetur, donec retorta candescat; si nihil amplius de Argento vivo in excipulum transit, finitur operatio et frigescat apparatus. In collo retortae et in excipulo erit Argentum vivum per revivificationem paratum purissimum quod in filtro ex charta alba typographica exsiccatur sine omni calore, et quod solummodo ad usum medicum aptum in vitro optime clauso servetur.

NO-

NOTA. Mercurius vivus juxta omnium Chemicorum experientiam nullo modo, nec per destillationem ab omnibus Metallis heterogeneis depurari potest, ideo ad usum medicum, praecipue internum purissimus praefertur ille, qui per revivificationem ex Cinnabari descripta methodo obtinetur.

MILLEPEDES PRAEPARATI.

Rec. Millepedum quantum volueris,
immittantur vasi purissimo et affundatur
Aquae destillatae quantitas sufficiens,
ut a sordibus adhaerentibus abluantur. Omni Aqua iterum decantata, Millepedes vasi ingerantur claudendo et leni calore exsiccentur, tunc in mortario vitreo in pulverem redigendi sunt, qui in vitro optime clauso servandus.

V. MORSULI ACETI.

Rec. Sacchari albi clarificati in consistentiam tabularum cocti unciae octo,
liquescant supra ignem, et dein addatur
Aceti Vini concentrati uncia una,
et fiant lege artis Morsuli.

MORSULI ANTHELMINTICI.

Rec. Sacchari albi pulverisati unciae septem,
coquantur cum
Aquae fontanae uncia una cum semisse,
ad consistentiam tabularem, addantur dein
Pulveris Seminis Cinae uncia una,
Aethiopis Antimonialis drachmae tres,
Pulveris Radicis Jalappae drachmae tres,
Florum Cassiae grosso modo pulveratorum drachmae duae,
misce fiant lege artis Morsuli, singuli ponderis drachmarum duarum.

MORSULI PURGANTES.

Rec. Sacchari albi unciae septem cum semisse,
Aquae fontanae drachmae sex,
coquantur in consistentiam tabularem, addatur
Resinae Jalappae drachma una,
cum Amygdalarum dulcium decorticatarum drachmis tribus,
antea in pulverem subtilissimum contrita, addantur adhuc
Pulveris Radicis Jalappae scrupuli duo,
Pulveris Florum Cassiae scrupuli duo,
misce fiant lege artis Morsuli, singuli ponderis drachmarum duarum.

V. MORSULI STOMACHICI.

Rec. Sacchari albi unciae sedecim,
Aquae communis unciae quatuor,
coquantur in Cacabo, despumatione peracta, protrahatur coctio sine omni agitatione ad consistentiam tabularem, tum vas ab igne auferatur et Saccharum agitetur usque in parietibus vasis inceperit impellucidum evadere, tunc admisceantur subito Species sequentes antea jam mixti
Amygdalarum dulcium decorticatarum et minutim concisarum unciae duae,
Corticum Citri minutim concisorum uncia semis,
Pulveris Nucis Moschatae,
Seminum Cardamomi,
Radicis Galangae,
Radicis Zingiberis ana drachmae tres,
Rotularum Menthae piperitae drachmae duae,
et miscela statim in modulum Morsulorum antea humefactum effundatur et cura geratur, ut per concussionem moduli massa aequalis fluat, quae adhuc calida in segmenta dissecetur oblonga, et fiant Morsuli singuli ponderis unciae semis. Serventur in vitro optime clauso.

MOSCHUS ARTIFICIALIS.

Rec. Olei Succini rectificati unciae duae,
immittantur vitro capaci orificii lati, quod ponatur, ad vitandos vapores nocivos ex affusione assurgentes, in loco spatioso et aerato, tunc admisceantur paulatim et in parvis portionibus
Spiritus Nitri fortis unciae circiter sex,
admixtione peracta, vitrum cum exorta Resina per viginti quatuor horas quiescat, postea Resina eximatur et tam diu Aqua primo frigida, deinde autem calida edulcoretur, usque dum omni destituta fuerit acido. Resina aurantii coloris odorisque moschatini servetur in vitro optime clauso.

NOTA. Exhibetur a grano uno ad duo, tria, quatuor, sex et ultra, cum Saccharo.

V. ⊙ MUCHARUM ROSARUM, seu INFUSUM ROSARUM.

Rec. Florum Rosarum pallidarum recentium librae quatuor,
vasi vitreo vel fictili immissis affundantur
Aquae communis destillatae librae quatuor,
digerantur leni calore in vase clauso per 3 dies, tunc exprimantur colenturque. Liquor colatus servetur in vase vitreo obturato et in loco frigido.

NAPHTHA ACETI AQUOSA, seu AETHER ACETI AQUOSUS.

Rec. Naphthae Aceti spirituosae uncia una,
Aquae communis destillatae unciae sedecim,

mix-

mixta, digerantur frigide in phiala optime clausa et sub crebra agitatione, ut plenarie sibi invicem uniantur. Serventur in vitro optime clauso.

NAPHTHA ACETI SPIRITUOSA, seu AETHER ACETOSUS SPIRITUOSUS.

Rec. Spiritus Vini rectificatissimi unciae sedecim,
cucurbitae vitreae capaci immissis instillentur debite et paulatim
Olei Vitrioli concentrati puri albi unciae octo,
quae miscela per 6 dies in quiete cucurbita exacte clausa reponatur. Tunc in retortam vitream tubulatam ingerantur
Terrae foliatae Tartari crystallisatae, modica fusione in vase vitreo a superflua crystallisationis Aqua privatae, siccissimae et pulveratae unciae sedecim,
retorta ponatur in balneo arenae et adglutinetur excipulum, postea mediante infundibulo vitreo affundatur miscela supra praescripta ex Alcohole Vini et Oleo Vitrioli, et abstrahantur lenissimo igne unciae sedecim, quae ex recipienti effusae cum Lixivii Salis alcalini vegetabilis unciis duabus misceantur et *Naphtha* supernatans provide decantetur vel ope infundibuli separatorii separetur. Residuo in retorta, prius autem colato denuo affundantur
Spiritus Vini rectificatissimi unciae octo, cum
Olei Vitrioli concentrati puri albi unciis quatuor,
antea mixti, et altera instituatur abstractio unciarum quatuor aut sex, quae dicta methodo iterum largiuntur *Naphtham Aceti. Naphtha Aceti omnis obtenta* collecta destillatione nova super duodecimam partem Salis Tartari purissimi et siccissimi vel quod adhuc melius est, super duodecimam partem *Magnesiae calcinatae* lenissimo calore rectificetur, hoc modo Naphtha optima et volatilissima obtinetur. Servetur *haec Naphtha*, ut *Naphtha Vitrioli.*

N. P. Sit limpidissima, odoris suavis Vini Rhenani similis, cum Aqua facilius misceatur quam Naphtha Vitrioli. Ardeat etiam minus velociter et flamma lucida ast paululum coerulea, vestigiaque relinquat carbonaria, ceterum praebeat qualitates *Naphtharum* notas.

NAPHTHA VITRIOLI AQUOSA, seu AETHER VITRIOLI AQUOSUS.

Rec. Naphthae Vitrioli spirituosae uncia una,
Aquae communis destillatae unciae sedecim,
misceantur et digerantur frigide in phiala optime clausa et sub crebra versatione, ut plenarie sibi invicem uniantur. Serventur in vitro optime clauso.

NOTA. Hoc medicamentum juxta cel. HAHNEMANN eo magis medicorum attentionem mereatur, quoniam ob Spiritus Vini absentiam

am minus calefacit, viresque tamen egregias exserit Liquore Anodyno minerali destillato vix inferiores.

NAPHTHA VITRIOLI SPIRITUOSA, seu AETHER VITRIOLI SPIRITUOSUS.

Rec. Spiritus Vini rectificatissimi librae duae,
phialae vitreae amplae, epistomio vitreo munitae et Aquae frigidae impositae, immissis, per infundibulum vitreum rostro phialae fundum attingente, tribus affundantur vicibus

Olei Vitrioli concentrati puri albi librae duae,
post quamlibet affusionem phiala claudatur per horam seponenda, et, hoc intra tempus, liquidorum mixtionis facilitandae causa, circiter quater, ast semper leni modo agitanda. Affusione penitus peracta, et mixtione ita promota, ut miscela colorem exhibeat badium sive dilute fuscum, phiala optime clausa per duas septimanas in loco frigido quiescat. Postea cucurbita colli brevioris et talis capacitatis, ut miscela solummodo tertiam ejus repleat partem, balneo arenae imponatur, eique adplicetur alembicus tubulatus et excipulum magnum, cujus fundus in Aqua jaceat frigida vel in nive, commissurae, vesica bubula duplici madida, optime lutentur, lutoque acus infigatur, et mediante infundibulo vitreo longioris rostri, miscela per alembicum tubulatum cucurbitae infundatur. Tunc ignis subministretur lenis quidem, attamen sufficiens, ut liquidum mox elevari et in magnas bullas intumescere incipiat, ac albos emittat vapores, quo facto ignis iterum aliquo modo diminuatur, satis autem forti, ut liquor semper in statu incipientis ebullitionis maneat; protrahatur destillatio lenta, donec acu extracta, per foramen luti odoratu vapores percepti fuerint sulphurei, tunc ignis plane auferatur, excipulum dematur, *Naphtha* in eo contenta in phialam vitream optime claudendam effusa, iterum ut antea adglutinetur excipulum, residuum in cucurbita per quadrantem horae quiescat, postea denuo per alembicum tubulatum mediante infundibulo, cujus rostrum residuum attingat, successivis vicibus infundantur

Spiritus Vini rectificatissimi unciae sedecim,
igne, supra dicto modo, iterum subministrato continuetur destillatio, donec rursus vapores sulphurei per foramen luti oluerint, quibus olfactis, ut supra, igne ablato, excipulo vacuefacto, et iterum rite applicato, massae residuae praevia quiete, denuo affundantur

Spiritus Vini rectificatissimi unciae duodecim,
et porro destillatio dicto more persequenda est. Quae Spiritus affusio et *Naphthae* abstractio pluries repeti potest, vel continuo vel septimanis aut mensibus pluribus interjectis, secundum indigentiam vel arbitrium Pharmacopoei. Quodsi remanens post plures destillationes massa nigra ad ulteriorem *Naphthae* abstractionem inepta evaserit, iterum concentranda est; effundatur ideo in vas vitreum orificii lati, admisceatur tertia ejus ponderis pars Aquae communis destillatae et tam diu aeri libero exponatur, donec odor sulphureus disparuerit, quo facto liquor per vitrum comminutum et contusum filtretur, retortae immittatur et tam diu destillatione dephlegmetur, usque dum guttulae lente destillaverint; concentratum sic liquidum denuo,

nuo, seu Oleum Vitrioli iterum concentratum ad parandam Naphtham Vitrioli iterum adhiberi licet. Cui autem haec dephlegmatio incommoda videtur, hoc residuo nigro Aqua diluto ad Sulphuris Antimonii aurati praecipitationem vel ad Vitrioli Martis puri elaborationem uti potest. *Omni Naphtha* a pluribus destillationibus *obtenta*, inprimis si Sulphur redoleat et Acidum saporem linguae imprimat, cucurbitae vitreae immittatur eique addatur

Magnesiae albae calcinatae duodecima ejus pars,

applicato alembico excipuloque magno et commissuris probe lutatis, ignis subministretur lenissimus et instituatur abstractio lenta ex balneo arenae. Sic abstracta, rectificata et purificata *Naphtha Vitrioli spirituosa* in parvis vitris epistomio vitreo munitis et vesica bubula duplici obturatis, in Aqua aluminosa frigida saepe renovanda servetur.

N. P. Sit limpidissima, odoris nec empyreumatici, nec sulphurei, sed suavissimi et aromatici fortis, saporis fragrantis, refrigerantis, postea ferventis et exsiccantis. Flammam in vicinia vasis, quo continetur, arripiat, et ardeat flamma alba, Alcohol Vini lucidiori et majori, ac objecto sursum detento fuliginem quandam inducente. Aquae calidae instillata strepitum excitet, cuti sensum frigoris impertiat et statim avolet, cutim siccam relinquens. Succos plantarum coeruleos minime mutet; nec cum Lixivio Salis alcalini vegetabilis effervescat. Aquae, Spiritui Vini et Liquori Anodyno minerali affusa supernatet, cum iis vero crebra misceatur agitatione. Calore lenissimo omnis evaporet sine ullo residuo. Frustulum Sacchari Naphtha Vitrioli spirituosa impraegnatum in Aqua cum bullulis solvitur. Terras et Gummata minime solvat, sed Resinas et praecipue Resinam elasticam. Adulteratio cum Alcohole Vini per admixtionem tantumdem Aquae communis destillatae in vitro cylindrico arcto detegatur, *Naphtha* enim separetur et Aquae supernatet, hujus vero volumen ab admixtione Spiritus adulterantis augeatur.

V. ⊙ NITRUM CUBICUM PURUM.

Rec. Cretae albae praeparatae libra una,

Spiritus Nitri Acidi vulgaris, seu diluti sufficiens quantitas,

ut ab ejus successiva affusione Creta penitus saturetur; solutioni Cretae in Spiritu Nitri factae in vase vitreo vel sartagine terrea non vitreata vel lapidea statim infundatur sequens solutio antea parata:

Salis mirabilis Glauberi genuini non adulterati et depurati libram unam vel quantum necesse erit,

Aquae destillatae communis frigidae sufficiens quantitas ad solutionem,

Solutio Salis mirabilis diluatur adhuc Aqua destillata communi frigida. Hujus solutionis Salis mirabilis infusio, in solutionem Cretae albae in Spiritu Nitri factae, tamdiu continuetur, donec nihil amplius Selenitidis praecipitetur; haec miscela quiescat per 3 horas, postea Liquor praecipitato supernatans decantetur et filtretur; filtrato Liquori de novo infundatur Solutio Salis mira-

ra-

rabilis donec nihil amplius praecipitetur, Liquor tunc decantatus, filtretur, evaporetur lente et lenissimo calore et ad crystallisandum in locum frigidum seponatur. Lixivium a crystallisatione superstes eodem modo evaporetur et crystallisetur. Crystalli omnes obtentae de novo in Aqua destillata communi fervida solvantur, Solutio filtrata, evaporata ad crystallisandum seponatur. Crystalli sunt *Nitrum Cubicum purissimum.*

N. P. Linguae imprimit sensum frigoris, sapor magis blandus, non adeo acris et stimulans ut in Nitro prismatico; prunis candentibus injectum celerrime et sine crepitatione detonat ut *Nitrum prismaticum* purum, sed illud ardet flamma flava, hoc *prismaticum* coerulea; solutio hujus in Aqua destillata facta minime ab instillatione Solutionis Salis alcalini fixi praecipitetur aut turbetur, nec ex hac miscela filtrata, evaporatione et crystallisatione *Nitrum prismaticum* obtineatur; et Solutio *Nitri cubici* in Aqua destillata facta Metalla, e. gr. Solutionem Mercurii, Lunae aut Saturni in Acido Nitri factam minime praecipitet, quod semper signum esset Sale communi esse inquinatum.

DOSIS. *Nitri cubici* est ut *Nitri prismatici;* hanc autem praerogativam prae Nitro prismatico possidet, quod ratione principiorum constituentium et experientia in morbis inflammatoriis constet, esse prae omnibus aliis Sal maxime blandum, saporis nullo modo ingrati aut pungentis sed fere nullius, ideo etiam ab infantibus libenter sumitur, minime irritabile et stimulans, et maxime refrigans, hinc in similibus morbis ubi Sal blandum et minime irritans requiritur Nitro prismatico longe praeferendum.

V. ⊙ NITRUM PRISMATICUM DEPURATUM, seu CRYSTALLISATUM.

Rec. Nitri vulgaris seu crudi librae tres,
solve in
Aquae communis fervidae libris duodecim,
instilletur huic solutioni, Solutio Salis Tartari depurati tamdiu, quamdiu Solutio Nitri turbida fiat; dein calide adhuc filtretur et evaporetur parumper, (quo minus Lixivium evaporatur, eo pulchriores Crystalli nascentur), ponitur in loco frigido ad crystallisandum. Crystalli colliguntur, ponuntur supra filtrum ex charta bibula ad exsiccandum in Aere aperto. Lixivium a crystallisatione superstes, iterum leniter evaporatur et crystallisatur. Si idem Nitrum crystallisatum bis aut ter ita de novo solvitur et crystallisatur, nascentur Crystalli pyramidales, sexangulares, pulcherrimae, longae, albissimae, pellucidae, sonorae, siccissimae, quae in Aere libero non humidae fiunt, in manu calida dissiliunt, super prunis celerrime et fortiter detonant, sine crepitatione et sine intumescentia. Et Solutio hujus Nitri bis aut ter crystallisatione depurati in Aqua communi destillata facta ab instillatione Liquoris Salis Tartari, nec Solutionis Argenti nitrosae turbatur. Adulteratio cum longiter crystallisato Sale mirabili, per saporem magis amarum quam acrem, et defectum detonationis detegitur.

OLEA

OLEA DESTILLATA AETHEREA.

OLEUM DESTILLATUM ABSYNTHII.

Rec. Herbae Absynthii cum Floribus nondum expansis recentis, ast nonnihil siccatae et concisae librae sex,
Aquae communis librae octodecim,
immittantur, sine praevia maceratione, vesicae cupreae intus Stanno probo obductae et talis magnitudinis, ut Herba leniter compressa et Aqua affusa, vix tres partes impleat vesicae, imposito alembico stanneo applicetur vas frigidarium cum tubo stanneo vel vitreo; alembicus et tubus refrigeratorius, ante applicationem, Spiritu Vini rectificato optime eluendi et purgandi sunt; apponatur excipulum amplum, et commissuris debite lutatis instituatur destillatio leni igne quidem, ast sufficiente ignis gradu, ut Aqua in vesica mox et vellociter ebulliat, semperque in ebullitione retineatur, et ut Aqua Oleo impraegnata, sine visibili quidem fumo, ast in modum rivuli sive fili instar in vas recipiens destillet. Destillatio, qua durante provideatur, ut Aqua in refrigeratorio minime calida sed semper egelida sit, tam diu continuetur, donec dimidium Aquae ingestae prolicitum fuerit, sive donec Aqua non amplius turbida et lactea transierit; semper vero consultius est, dimidia parte Aquae destillata, ne Oleum jam transgressum partim ab Aqua postea destillante absorbeatur, excipulum cum alio mutare. Destillatione penitus peracta et omnibus refrigeratis, Aqua oleosa in excipulis charta tectis, per aliquot dies, praevia oleosarum guttularum parietibus excipuli adhaerentium leniter agitando in superficiem collectione, quieti in loco frigido committatur, et postquam omne ab Aqua Oleum secesserit, hoc supernatans lege artis vel cochleari eburneo vel syringa, vel ellychnio ab Aqua separetur et in lagena vitrea obturaculo chartaceo leniter clausa, iterum per aliquot dies reponatur, usque dum odorem ingratum amiserit et limpidum evaserit. Aqua, Oleo separato, residuo in vesica, optime purgatis antea et elotis cum Spiritu frumenti alembico, tubo refrigeratorio et vesica, denuo affundatur, et destillatio dicto modo repetatur. Oleum servetur in pluribus vitris parvis et solidis epistomio vitreo munitis, vel Gypso malthatis vel vesica et corio clausis.

N. P. Sit limpidum, coloris viridis vel e fusco lutei, odoris plantae et saporis nauseosi, non nihil amari. Notae adulterationis hujus et aliorum Oleorum essentialium in *Sectione octava Nro. tertio Praenoscendorum* memoratae sunt.

OLEUM AMOMI, seu PIPERIS JAMAICENSIS.

Paratur uti *Oleum Caryophyllorum aromaticorum.*

⊙ OLEUM DESTILLATUM ANISI.

Paratur uti *Oleum destillatum Carvi.*

OLEUM DESTILLATUM BENZOES.

Vide sub praeparatione *Florum Benzoes.*

OLEUM DESTILLATUM CORTICUM AURANTIORUM.

Paratur in praeparatione ejusdem *Aquae destillatae*, vide *Aquam destillatam Corticum Aurantiorum.*

OLEUM CAJEPUT RECTIFICATUM.

Rec. Olei Cajeput genuini libra una,
Aquae destillatae communis unciae quatuor,
mixta destillentur ex retorta vitrea in balneo arenae lenissimo calore et lente abstrahantur inde unciae octo; Oleum ab Aqua separatum servetur in vitro optime clauso.

OLEUM ESSENTIALE SEMINUM CARDAMOMI.

Paratur ut *Oleum Caryophyllorum aromaticorum.*

OLEUM ESSENTIALE SEMINUM CARVI.

Rec. Seminum Carvi contusorum librae duae,
Aquae communis librae octo,
macerata per duodecim horas, immittantur vesicae, ut in destillando Oleo Absynthii aptae, eodemque apparatu destillatorio constituto, destillatio eadem methodo instituatur, et Oleum destillatum eodem modo ab Aqua separatum ac purificatum, uti dictum, asservetur.

N. P. Sit limpidum, dilute flavum, odoris fortis et saporis acris, Carvo affinis.

OLEUM ESSENTIALE CARYOPHYLLORUM AROMATICORUM.

Rec. Caryophyllorum aromaticorum librae duae,
contundantur in mortario lapideo, pistillo ligneo, in pulverem grossiorem, immittantur vesicae humiliori et aptae, ac irrorentur cum
Spiritus Vini rectificatissimi unciis octo,
versentur spathula lignea, ut penitus madefiant, et per duos dies, vesica clausa, quieti committantur, postea affundatur
Salis communis libra una, in
Aquae communis libris duodecim soluti,
apparatu destillatorio, dicta cautione, constituto, dirigatur destillatio, igne autem nonnihil fortiori, ac Aqua in refrigeratorio nunquam refrigerata, sed semper tepida. Continuetur destillatio, quam diu lactescens Aqua transiverit, qua autem clarescente, ignis auferatur; Aqua oleosa in excipulum transgressa, praevia ad abluitionem Olei a parietibus agitatione, per aliquot

quot dies quiescat, donec omne Oleum ex ea secesserit et fundum petierit. Quo facto Aqua per filtrum e charta bibula alba duplicata et prius bene madefacta filtretur, Aqua omni defluxa, Oleum ex filtro perforando in aliud vitrum effundatur. Aqua ab Oleo separata, residuo in vesica reaffundatur, et denuo, dicta methodo, destilletur, ac ut prima vice tractetur. Quae Aquae ab Oleo separatio, reaffusio et destillatio bis vel ter repetatur, donec clara et omnis Olei expers transierit. Omnes Olei obtentae portiones mixtae, ad clarescentiam per aliquot tempus seponantur in vitro chartaceo obturaculo leviter clauso, postea dicto more in vitris parvis optime obturatis serventur.

N. P. Sit limpidum, tenue, si recens albi coloris, tractu temporis flavescentis vel rubescentis, odoris caryophyllacei, saporis grati subacris, minus urentis. In Aqua destillata fundum petat, in Alcohole Vini penitus solvatur. Unciae sedecim Caryophyllorum aromaticorum destillatione plerumque uncias duas vel tres et ultra Olei essentialis largiuntur.

⊙ OLEUM ESSENTIALE FLORUM CASSIAE.

Paratur ut *Oleum Caryophyllorum aromaticorum.*

OLEUM ESSENTIALE SEMINUM FOENICULI.

Paratur ut *Oleum essentiale Seminum Carvi.*

OLEUM BACCARUM JUNIPERI DESTILLATUM.

Paratur ut *Oleum Seminum Carvi.*

OLEUM ESSENTIALE FLORUM LAVANDULAE.

Rec. Florum Lavandulae recentium integrorum librae duae,
Cinerum clavellatorum depuratorum, pulveratorum, siccatorum et leniter calefactorum unciae sex,

exacte mixta includantur sacco linteo satis capaci, ne Flores comprimantur sed leviter solummodo inter se cohaereant; sacculus in vesica satis ampla, cui prius infusae sunt

Aquae communis librae duodecim,

ita suspendatur, ut inter Aquae superficiem et sacci fundum intercedat spatium trium pollicum, ut solummodo vapores aquosi sub destillatione assurgentes, minime vero Aqua ebulliens ipsa, saccum attingere possint; quo facto Capitello stanneo, vase refrigeratorio et recipiente applicato debite instituatur destillatio, ut in destillando *Oleo Absynthii*, eodemque apparatu destillatorio constituto; destillatio eodem modo instituatur, nisi, quod in repetenda destillatione sacculo *nova similis quantitas Florum* cum *Cineribus clavellatis* includatur, et residuae Aquae destillatae tantum Aquae communis addatur ut quantitas Aquae similis sit illae in prima destillatione; et

haec destillatio repetitur donec *Olei* sufficiens quantitas prolicita fuerit. Oleum destillatum obtentum eodem modo ab Aqua separatum ac purificatum, uti dictum servetur.

N. P. Sit Oleum pellucidum, ex albo flavum, odoris Florum suavis, saporis acris.

OLEUM MACIS DESTILLATUM.

Paratur ut *Oleum Caryophyllorum aromaticorum.*

OLEUM MAJORANAE DESTILLATUM.

Paratur ut *Oleum essentiale Absynthii.*

N. P. Recentis color viridescens, tractu temporis profunde flavescit vel rubescit, odoris fortis, ingrati, saporis urentis.

⊙ OLEUM ESSENTIALE MENTHAE PIPERITAE.

Ex Herba sicca paratur, ut *Oleum essentiale Absynthii.*

N. P. Sit dilute flavum in viride vergens vel flavescens, tractu vero temporis fuscum evadens, odoris plantae peculiaris, saporis camphoracei, initio cum sensu frigoris, dein urentis.

OLEUM NUCIS MOSCHATAE DESTILLATUM.

Paratur ut *Oleum Caryophyllorum aromaticorum.*

OLEUM ESSENTIALE RORISMARINI.

Paratur ex Foliis Rorismarini, ut *Oleum essentiale Absynthii.*

N. P. Sit album, odoris grati debilioris, saporis camphoracei. Ab Oleo Lavandulae destillato, quod pro Rorismarini Oleo interdum divenditur, odori gratiori dignoscendum.

OLEUM ESSENTIALE FLORUM ROSARUM.

Paratur ex Floribus recentibus Rosae Centifoliae ut *Oleum essentiale Florum Lavandulae.*

N. P. Sit album, consistentiae butyraceae, odoris Florum fragrantissimi, ita ut ex drachma semis hujus Olei Saccharo triti quingentae librae Aquae Rosarum fragrantis confici possint. Paucissimam quantitatem Olei hi Flores largiuntur, sic sex librae Florum vix grana viginti exhibent, hinc destillatio cum novis Floribus saepius

pius repetenda donec sufficiens quantitas Olei obtenta fuerit. Pro Odoramentis inservit.

OLEUM ESSENTIALE TANACETI.

Paratur ut *Oleum essentiale Absynthii* ex Herba Tanaceti cum Floribus penitus expansis.

N. P. Sit dilute flavum, in viride vergens, odoris camphoracei balsamici.

⊙ OLEUM TEREBINTHINAE RECTIFICATUM.

Rec. Olei Terebinthinae venalis
Aquae communis ana libra una,
destillentur ex retorta vitrea lenissimo calore in balneo arenae et abstrahantur inde unciae octo, Oleum ab Aqua separatum servetur in vitro optime clauso.

OLEUM ESSENTIALE RADICIS VALERIANAE.

Rec. Radicis Valerianae recentis, lenissime siccatae librae sex, concisis et vesicae aptae immissis affundatur
Spiritus Vini rectificati libra una,
agitentur probe spathula lignea, ut penitus madefiant, quo facto vesica alembico stanneo claudatur et quieti per duos dies committatur, tunc affundantur
Aquae communis librae octodecim,
apparatu destillatorio rite constituto, destilletur Oleum, uti *Oleum essentiale Absynthii* et servetur dicto more.

N. P. Sit tenue, ex flavo viridescens, odoris penetrantis Radicum aequalis, saporis minus acris.

OLEA DESTILLATA EMPYREUMATICA.

OLEUM ASPHALTI.

Rec. Asphalti vetusti pulverati unciae sex,
Salis communis depurati et decrepitati,
Arenae mundatae ana unciae novem,
mixta retortae immittantur et destillentur forti igne, primo transcensa Aqua ex recipiente effundatur et excipulum denuo adglutinetur; postea transibit Oleum nigrum, hic ignis gradus eo usque sustineatur, dum nullum amplius Oleum transcenderit, tunc ignis tollatur, vasisque refrigeratis Oleum ex recipiente eximatur et per se ex retorta *rectificatum* in vitro arctissime clauso servetur.

OLE-

OLEUM CERAE, seu BUTYRUM CERAE RECTIFICATUM.

Rec. Cerae flavae adhuc odoratae libra una,
in vase terreo vitreato leni igne liquescat, liquatae Cerae addatur sensim et sensim

Pulveris Carbonum vegetabilium libra una cum semisse,
exacte mixtis et fere refrigeratis, inde formentur globuli, ingerantur retortae vitreae ita ut haec ad duas tertias repleta sit, adplicetur excipulum et instituatur, commissuris lutatis, destillatio. (etiam frustula Cerae pulvere carbonum antea mixta, sine quod invicem liquatione unita fuerint, retortae ingeri possunt). In primo lenis ignis gradu transit Aqua pauca acidula, male olens una cum Spiritu, tum excipulum mutetur et ignis augeatur, ascendit tunc sensim Oleum tenue in excipulo instar Butyri concrescens, coloris fere albescentis, quod eodem ignis gradu si ultra prodire negaverit, subministretur ignis suppressorius, cujus ope mox transcendet sub Butyri forma reliqua Cerae massa in excipulum. Quae massa strictius *Butyrum Cerae* nuncupatur;

nunc cucurbitae vitreae ope infundibuli vitrei longo rostro instructi pulveris Carbonum vegetabilium libra una,
caute et lente ingeratur, dein Butyrum Cerae obtentum vasi vitreo latioris colli immissum liquescat leni igne in Oleum limpidum, quod ope similis infundibuli vitrei rostro longo instructi et antea in Aqua fervida calefacti, in cucurbitam vitream ingeratur, etiam prius calefactam, talisque capacitatis, ut ejus dimidium exinde repleatur, concutiendo lenissime cucurbitam et in gyrum agitando pulvis Carbonum cum Oleo parumper misceatur et adglutinato excipulo puro instituatur destillatio, ignem ita gubernando, ut guttae lente destillent, guttis eodem ignis gradu non amplius transeuntibus, augendus est ignis, donec omne transcenderit Butyrum. Oleum sic obtentum liquidum et plane tenue servetur in vitro optime clauso et loco frigido.

N. P. Sit fluidum, tenue, limpidum, flavescens, odoris penetrantis empyreumatici, sapori amari et urentis. In Alcohole Vini solvatur, et nulla evaporatione in consistentiam priorem butyraceam redigatur.

⊙ OLEUM CORNU CERVI EMPYREUMATICUM, seu FOETIDUM.

Rec. Cornuum Cervi rasorum vel Ossium Animalium excoctorum frustulatim concisorum quantum volueris,
immittantur retortae ferreae tubulatae obturaculo ferreo instructae vel terreae loricatae, ita ut quarta ejus pars minime repleatur, applicato excipulo amplo vitreo aut terreo et omnibus probe lutatis ponatur in furno reverberii et subministretur ignis apertus, sensim augendus, donec excipulum calefiat, qui calor lenis excipuli servandus; in initio prodit primo *phlegma* et vapores aerei aquosi, qui sensim et sensim Sale volatili et Oleo gravidi sunt; secundo *Sal alcali volatile forma liquida*, seu Sal alcali volatile Aqua solutum transit, et ab Oleo simul transeunte habet odorem empyreumaticum

cum vocatur *Spiritus Cornu Cervi vulgaris, impurus*, etiam lateribus excipuli adhaeret hic *Sal forma sicca;* dein sequitur *Oleum empyreumaticum* primo subtilius, coloris flavi vel brunei, dein Oleum foetidum nigri coloris. Si versus finem destillationis nulli vapores transeunt et excipulum non amplius valde incalescat sed potius frigescat, ignis iterum usque ad fundi retortae ignitionem augendus, si igne hoc fortiori excipulum non amplius calidum evadit, destillatio finienda est, et vasis refrigeratis lutum solvatur, et liquor in excipulo contentus ope infundibuli separatorii vel chartae bibulae separetur, ut Oleum empyreumaticum seorsim asservari queat, transibit liquidum aquosum, quod est *Spiritus Cornu Cervi vulgaris impurus* qui servatur, Oleum vero in vase separatorio manet, est *Oleum Cornu Cervi foetidum* quod servatur. *Spiritus Cornu Cervi* obtentus et *Sal alcali volatile forma sicca* in collo retortae haerens miscentur, immittuntur cucurbitae vitreae, additur tertia pars Salis Tartari depurati vel Calcis vivae vel Cretae, applicatur excipulum et capitellum, ponitur in balneum arenae et fiat destillatio leni calore; tum *Sal alcali volatile Cornu Cervi forma sicca* sublimetur; quamprimum aliqua humiditas incipiat prodire, auferatur ignis, et vasa frigefiant; auferatur etiam alembicus seu capitellum et eximatur Sal sublimatione obtentus, abluatur adhuc cum Spiritu Vini rectificato, exsiccatur et servetur sub nomine *Salis volatilis Cornu Cervi sicci* seu forma sicca in vitro exactissime clauso. Reliquum quod in cucurbita remanet liquidum seu *Spiritus Cornu Cervi vulgaris impurus* servetur ad rectificationem inferius suo loco dicendam.

OLEUM CORNU CERVI RECTIFICATUM, seu OLEUM ANIMALE AD MODUM DIPPELII.

Rec. Olei Cornu Cervi foetidi adhuc fluidi recenter parati librae tres, immittantur, optime tempore hyemali, per infundibulum vitreum, cujus rostrum fundum attingat, cucurbitae vitreae humiliori, purissimae, et talis capacitatis, ut ejus solummodo dimidium Oleo repleatur; imposito alembico siccissimo ac mundissimo, longeque rostrato, collocetur cucubita in balneo arenae et applicato excipulo aeque sicco et mundo, commissurisque probe lutatis subministretur ignis lenis, ita, ut alembicus semper tantummodo tepidus sit, et instituatur destillatio, eo usque continuanda, dum Oleum transcendens *album* inceperit spissiusculum et coloratum evadere, quod communiter evenire solet, quando circa unciae tres in excipulum transiverint. Tunc ignis statim removeatur, dematurque excipulum et Oleum in eo contentum cum quadrupla parte Aquae communis destillatae misceatur, et in aliam cucurbitam siccissimam ac purissimam methodo mox dicta infundatur, abstrahaturque supra dicto modo, quamdiu, instar Aquae, clarum, album et pellucidum destillaverit; quamprimum autem obfuscari inceperit, ignis illico auferatur et vasis refrigeratis Oleum limpidissimum ex excipulo statim effundatur in vitra parva epistomio vitreo munita, singula drachmam Olei unam capientia et quarta parte Aquae communis destillatae antea repleta, epistomio vitreo claudantur, desuper lacca signatoria, vel pice lutentur et Plumbo foliato obvoluta inverse in Arena madida vel Aqua frigida nonnihil aluminata ponantur. Quodsi Oleum nihilominus tractu

tem-

temporis pelluciditatem amiserit, et obscurari inceperit, iterum cum parte Aquae communis destillatae quadrupla mixtum dicta methodo abstrahatur.

N. P. Sit album, saltem stramineum, limpidissimum, odoris non amplius empyreumatici sed penetrantis ingrate balsamici, saporis oleosi dulcis, aromatici. Cum Solutione Mercurii vivi revivificati in Acido Nitri calide parata mixtum, in massam coaguletur flavam mox nigrescentem, in Spiritu Vini alcalisato, et in Aceto Vini concentratissimo ac in Acidis dulcificatis penitus solvatur, cum Oleo Vitrioli depurato mixtum odorem spargat cimicum et colorem induat lactescentem, cum Spiritu Nitri autem, rubescentem. Alcohole Vini adulteratum Aquae admixtum lactescit, mox quidem iterum limpidum evadens, minime autem ad Aquae superficiem ascendit. Est substantia post Naphtham volatilissima et proxime ad Olea aetherea accedit.

NOTA. Vires hoc Oleum possidet penetrantissimas, resolventes, antispasmodicas, nervinas, tonicas, excitantes et diaphoreticas, hinc in variis morbis nervorum convulsivis egregias vires exserit absente plethora, febre, et saburra primarum viarum. *Externe* in variis tumoribus arthriticis et scrophulosis egregias vires resolventes possidet. *Interne* a guttis 5 ad 40 Saccharo instillatis aut Liquore Anodyno aut Naphtha Vitrioli mixtum adhibetur. *Externe* cum Camphora aut Linimenti volatilis drachmis duabus ad guttas 20 hoc Oleum resolvente et antispasmodico scopo inungitur.

OLEUM PETRAE RECTIFICATUM.

Paratur ut *Oleum Succini rectificatum.*

OLEUM SUCCINI EMPYREUMATICUM, seu FOETIDUM.

Rec. Succini in fragmentis sive Rasurae Succini librae quatuor, (si vero Succinum purum ad destillationem adhibendum sit, admisceatur Arenae siccissimae et minime Sale quodam impraegnatae pars tertia), retortae ingerantur vitreae colli amploris et brevioris talisque capacitatis, ut manu Sal sublimandum eximi possit; repleatur haec ad tertiam partem, et balneo arenae immissae adplicetur tubus intermedius et excipulum magnum collo amplo praeditum cui antea infusae sunt

Aquae communis destillatae librae duae,

omnibus commissuris, parva ad tubum intermedium excepta, quae aperiri et claudi poterit, vesica bubula probe lutatis, instituatur destillatio, igne primo leni, gradatim vero augendo, usque dum excipulum tepidum evaserit. Hoc ignis gradu qui plerumque per 6 horas sustinetur primo prodibit Liquor aquosus acidulus cum pauco Oleo flavo et pauxillo Sale collo retortae adhaerente. Post decem horas plerumque destillabit Oleum profundioris flavedinis cum majori Salis copia, tunc ignis fortissime augea-

tur,

tur, quo facto Oleum transibit primo rubescens, deinde nigrescens et crassum cum ulteriori Sale Balsami consistentia, quod plerumque post 24 horas contingit. Succinum eo tempore in retorta primo liquefiat, postea ascendat et spumet, tandem usque ad finem destillationis quiete fluat. Durante destillatione ad vasorum disruptionem praecavendam, commissura ad tubum intermedium parva, interdum aperienda est. Destillatio continuatur adhuc per dimidium diem; tum Sal non amplius ascendit; destillatione nunc peracta, cui communiter triginta horis praeterlapsis, finem imponere licet, ignis auferatur, et vasis refrigeratis, *Sal volatile* ex collo retortae, ex tubo intermedio et collo excipuli forma crystallorum acicularium obtentum spathula lignea colligatur et *Aqua Salina cum Oleo mixta* in excipulo contenta, praevia autem versatione crebra, ut Oleum et Sal a parietibus abluatur, in aliud vas vitreum effundatur, et per diem ad Olei secessionem plenariam seponatur. Postea *Oleum* Liquori supernatans, mediante filtro e charta bibula constructo et antea probe madefacto ab Aqua penitus separetur, et in vase vitreo optime clauso sub nomine *Olei Succini empyreumatici* seu *foetidi* servetur. *Liquor aquosus* vero cum hocce Oleo antea mixtus et Sale Succini impraegnatus, ab Oleo ut mox dictum, separatus, cucurbitae vitreae colli brevioris immittatur et adplicato alembico ac excipulo ex balneo arenae ad siccitatem usque destilletur. *Sal in cucurbita* remanens cum *collecto Sale ex retortae* et *excipuli collo* et ex *tubo intermedio* misceatur et in Aquae communis destillatae sufficienti quantitate solvatur, seponaturque per 24 horas in vase tecto, tunc per chartam bibulam albam duplicatam, et antea madefactam solutio filtretur, postea filtratum in vase evaporatorio vitreo leni calore ad punctum crystallisationis evaporetur et in loco frigido crystallisationi committatur. *Crystalli obtentae* in vitro perfecte clauso sub nomine *Salis Succini volatilis* serventur. Communiter ex libra una Succini *Salis Succini volatilis* uncia semis, *Olei* vero plerumque unciae sex obtinentur.

OLEUM SUCCINI RECTIFICATUM.

Rec. Cinerum lignorum librae duae,
cucurbitae vitreae ingestis affundatur per infundibulum longioris rostri
Oleo Succini empyreumatici seu foetidi libra una,
cucurbitae balneo arenae impositae adplicetur alembicus longe rostratus, et excipulum siccum ac purissimum, commissuris duplice vesica bubula lutatis, igne lento instituatur destillatio eousque continuanda, donec Oleum flavescere inceperit, tunc statim excipulum auferatur et Oleum in eo contentum tenue et limpidum, in vas effundatur vitreum; quo facto excipulum denuo applicetur et lutatis commissuris destillatio continuetur, quamdiu adhuc transierit Oleum rubrum, quod Oleum de novo super partes duas cinerum lignorum, uti dictum est, rectificetur, Oleum altera hac rectificatione obtentum priori limpido et tenui Oleo a prima destillatione interim servato admisceatur et in vitris optime clausis servetur.

N. P. Sit Oleum limpidum, tenue, coloris flavi, odoris Olei Petrae, admota flamma optime flagrans, cum tripla parte Spiritus Nitri

fumantis mixtum in Resinam mutetur aurantii coloris odorisque moschatini, *Moschum artificialem* dictam, qua facultate etiam ab Oleo Petrae rectificato distinguitur, quod cum eodem Spiritu mixtum nullam largitur Resinam, sed Acido Nitri ceu Oleum fluidum supernatat.

OLEA INFUSA.

⊙ OLEUM FLORUM CHAMOMILLAE INFUSUM.

Rec. Florum Chamomillae vulgarium unciae sex,
abjectis albis radii flosculis, solummodo flosculi disci flavi immittantur Digestori vitreo vel lagenae tenui lapideae et affundantur
Olei Been librae duae,
vas optime clausum committatur per plures horas balneo maris, postea Oleum, juxta artis leges, exprimatur et in vase vitreo clauso per aliquot dies, ut partes crassiores subsideant, seponatur, postea rite decantetur et in vitro optime muniendo servetur.

N. P. Sit luteum, spissiusculum, odoris Chamomillae Florum et saporis amari in frigore congelascens et diu absque rancore servandum.

⊙ *Oleum Herbae Hyosciami infusum.*

Rec. Herbae Hyosciami recentis lenissime siccatae et concisae unciae octo,
vasi vitreo vel lapideo optime claudendo immissis affundantur
Olei Olivarum optimi unciae triginta duo,
digerantur et exprimantur, uti in praeparando Oleo Florum Chamomillae infuso dictum, et Oleum obtentum servetur in vitro clauso.

N. P. Sit viridescens, spissiusculum, odoris narcotici, saporis amari, in frigore facile congelascens.

V. ⊙ OLEUM FLORUM HYPERICI INFUSUM.

Rec. Florum Hyperici recentium leniter siccatorum et concisorum unciae octo,
Olei Olivarum unciae sedecim,
digerantur per aliquot dies in Digestore vitreo clauso balneoque mariae imposito, postea exprimatur Oleum et per aliquot dies ad subsidentiam repositum et postea decantatum servetur in vitro optime clauso.

N. P.

N. P. Sit rubrum, spissiusculum, saporis balsamici, amaricantis, in frigore facile congelascens.

OLEA PRESSA, seu UNGUINOSA.

V. ⊙ OLEUM BEEN EXPRESSUM.

Rec. Nucum Been penitus decorticatarum librae duae,
contundantur in mortario lapideo, pistillo ligneo in pulverem grossiorem, includantur sacculo linteo, et supra Aquam ebullientem suspendantur, ut ab aquosis vaporibus bene penetrentur. Quo facto, iterum nonnihil exsiccentur, sed adhuc humidae duobus sacculis linteis includantur, et ambo simul, alter alteri impositus, prelo ferreo antea in Aqua fervida calefacto, commissi, primo leniter, postea autem fortiter comprimantur, donec nuces contusae omne Oleum emiserint. Quiescat Oleum expressum per aliquot dies, ut omne mucilaginosum (amurca) secessione fundum petat, tunc clarum supernatans provide decantetur et in vitro optime clauso ac loco frigido servetur.

N. P. Sit clarum, lutescens, spissiusculum, insipidum et inodorum, in frigore congelascens et diu absque rancore servandum.

V. OLEUM CACAO, seu BUTYRUM CACAO.

Rec. Nucleorum Cacao librae tres,
lenissime in sartagine ferrea super prunis, donec facillime a cortice liberari possint, tosti decorticentur, et in pulverem grandiusculum redigantur. Tunc sacco linteo inclusi, vaporibus Aquae ebullientis tam diu exponantur, usque dum pulvis omnis a vaporibus penetratus fuerit, sic prelo prius calefacto exprimantur, donec omne Oleum consistentiae Sevi, et ab intermixtis adhuc finissimis particulis nucleorum, coloris cinerei vel fusci, demiserint. Quod Oleum impurum filtro ex charta bibula alba confecto et infundibulo vitreo commisso imponatur, qui apparatus in cavea fornacis cubicularis calefacti collocetur, ut Oleum purum per filtrum in vitrum suppositum defluat et particulae impurae in filtro remaneant. Servetur postea in vase vitreo ac in loco frigido.

N. P. Sit consistentiae Sevi bovilli, minus tamen unguinosae et digitos minus inquinantis, recens coloris subflavi, successu temporis vero in album transeuntis, odoris et saporis nucleorum aromatici; pinguedine quadam animali adulteratum Butyrum Cacao, mox rancidum evadit et odoris ac saporis ingrati.

⊙ OLEUM BACCARUM LAURI EXPRESSUM.

Rec. Baccarum Lauri maturarum, recentium quantum volueris, tritae coquantur in Aquae communis sufficienti quantitate per mediam horam, ne tamen Aquae evaporatio nimis violenta sit, in vase terreo vitreato tecto. Liquor fervide et cum forti expressione colatus, refrigescat, et Oleum supernatans frigore condensatum, odoratum, Butyri consistentia auferatur et servetur in vase probe clauso. Baccae residuae denuo Aqua excoquantur, et Oleum uti supra separetur; repetatur haec operatio cum nova copia Baccarum, donec sufficiens quantitas Olei colecta fuerit.

N. P. Oleum Baccarum Lauri expressum ex Oleo aethereo et unguinoso conjunctum sit coloris viridis nonnihil flavescentis, consistentiae granulatae butyraceae, odoris Laurini, saporis amari, in Naphtha Vitrioli penitus solubile, Alcohol Vini solummodo colorem et Oleum aethereum extrahit. Adipe suilla adulteratum Solutione in Naphtha Vitrioli lactescente dignoscitur; cum Oleo Terebinthinae, odore et sapore Spiritus Vini cum Oleo suspecto triti proditur. Viridi Aeris mangonisatum viriditas saturata et color coeruleus Spiritus Salis Ammoniaci volatilis cum Oleo agitati denotat. Rejiciatur intense viride, nimis fluidum, aequaliter unguinosum, odorisque debilis.

V. OLEUM NUCUM JUGLANDUM EXPRESSUM.

Paratur ex nucleis Juglandum, ut *Oleum Been expressum.*

N. P. Sit dilute citrinum, limpidum, saporis blandi, in frigore vix congelascens, nec facile rancescens.

V. ⊙ OLEUM NUCIS MOSCHATAE EXPRESSUM.

Rec. Nucum Moschatarum quantum volueris,
ruditer contusae, in cribro vaporibus Aquae bullientis exponantur, dein sacculo cannabino inclusae prelo calido exprimatur Oleum et servetur in vase vitreo optime clauso.

N. P. Sit consistentiae sebaceae, coloris ex aureo cinnamomei, odoris et saporis moschatini, in Naphtha Vitrioli penitus solubile, in Alcohole Vini Oleum aethereum extrahitur et colorem amittit. Profundius flavum, durum, cum Alcohole Vini colorem flavum asseverans, Cera flava adulteratum est; cum Naphtha Vitrioli turbidam, flavam, albam, lactescentem largiens mixturam, Cera alba, Axungia, Butyro depravatum.

OSTRACODERMATA CALCINATA.

Rec. Ostracodermatum a sordibus purgatorum quantum libet, calcinentur in vase terreo per aliquot horas, donec penitus albescant, et fria-

friabiles sint, redigantur in pulverem subtilem et serventur in vitro exacte clauso.

NOTA. Saepius recenter parari debent, praecipue ad praeparationem Aquae Calcis Ostrearum.

OSTRACODERMATA PRAEPARATA.

Ostracodermata seu Conchae vel Testae Ostrearum ventricosae vel cavae, abjectis planis, mediante Aqua et Sapone eo usque laventur et peniculo detergantur, donec a sordibus et mucore externo perfecte purgatae fuerint; in loco calido prius iterum siccatae, in mortario ferreo in pulverem redigantur, qui pulvis in sufficienti quantitate Aquae pluvialis coquatur, et haec decoctio tam saepe reiteranda est, usque dum Aqua decantanda non amplius flavescentem exhibuerit colorem. Tunc super porphyrite pulvis optime laevigetur, adhuc per linteum trajiciendus et in vase clauso servandus.

V. ⊙ OXYMEL SIMPLEX.

Rec. Aceti Vini optimi non adulterati librae quatuor,
evaporentur in balneo arenae ac in vase evaporatorio vitreo plano ad dimidiae partis remanentiam, adhuc calidis admisceantur ab igne remotis
Mellis Virginei librae quatuor,
et mixtae in mortario vitreo per sedulam triturationem perfectissime uniantur, postea per pannum laneum colentur, ac in vase vitreo clauso serventur.

V. ⊙ OXYMEL SQUILLITICUM.

Rec. Aceti Squillitici libra una,
Mellis depurati librae duae,
in mortario vitreo exactissime uniantur sedula trituratione, postea serventur in vase vitreo clauso.

V. OXYSACCHARUM SIMPLEX.

Vide *Syrupus Aceti.*

V. OXYSACCHARUM SQUILLAE.

Vide *Syrupus Squillae.*

V. PASTA ALTHAEAE.

Rec. Radicis Althaeae penitus decorticatae ac minutim concisae unciae duae,
Aquae communis librae duae,
in vase vitreo per 24 horas in balneo arenae leni calore digerantur, infusum

sum postea per pannum laneum coletur, et vasi figulino immittatur super igne collocando, tunc addatur

Gummi arabici albissimi pulverati libra una,

et Solutione Gummi, leni igne et crebra agitatione, penitus peracta, admisceatur

Sacchari Canariensis pulverati libra una,

Saccharo etiam plenarie soluto, per pannum laneum denuo colentur et lento igne in vase figulino optime vitreato, sub continua agitatione, ad consistentiam Syrupi crassioris inspissentur; tunc sub lenissimo igne et continua agitatione cum spathula lignea mundissima, admisceatur successivis vicibus

Albumen ex octo ovis recentibus,

cum Aquae communis circiter uncia dimidia in spumam conquassatum, admixtione facta, perpetua agitatio eo usque continuetur, donec portiuncula massae cum spathula exemta palmae non amplius adhaeserit. Tunc massa modulis chartaceis oblongis vel quadratis ex charta cerata aut ferro confectis, antea amylo alcoholisato conspersis infundatur, et in loco calido v. c. in fornace calido lente exsiccentur. Pastae ex modulis provide exemtae et ab omni adhaerente amylo vel charta purgatae in vase clauso et loco sicco serventur.

V. ⊙ PASTA AMYGDALINA, seu EMULSUM PORTATILE.

Rec. Admygdalarum dulcium decorticatarum librae duae,
Amygdalarum amararum decorticatarum unciae duae,

mixta contundantur in mortario lapideo, pistillo ligneo, affusa paulatim Aquae Florum Naphae parva quantitate, in pastam densam, ast subtilissimam, dein admisceantur

Sacchari albissimi pulverati librae tres,

et fiat massa, quae manibus tractata eis non adhaereat, postea in cylindros formanda, qui Saccharo pulverato adspergantur et in Aere exsiccentur. Servetur in vase optime clauso.

NOTA. Ex hujus Pastae uncia semis cum Aquae libra, sola miscela Emulsum extemporaneum seu momentaneum parari potest. Hinc haec Pasta ruri et in itinere commodissime adhibetur.

PASTA LIMACINA.

Rec. Limacum vivorum quantum volueris,

caedantur in pastam pultaceam, quae sacculo inclusa forti linteo exprimatur;

Juris hujus expressi gelatinosi libra una,
Pulveris Gummi arabici unciae duae,
Sacchari albi pulverati unciae quatuor,

exacte misceantur et in vase vitreo evaporatorio, sub lenissimo calore, evaporentur usque dum massa manibus non amplius adhaeserit, denique ex ea formentur Pastae oblongae vel quadratae, quae ne chartae adhaereant,

ant, amylo conspergantur, leni calore super charta exsiccentur et in loco sicco serventur.

V. PASTA LIQUIRITIAE.

Rec. Radicis Liquiritiae decorticatae et minutim incisae unciae duae,
Aquae communis ebullientis librae quatuor cum dimidia,
infundantur in vase vitreo per 24 horas, leni calore et crebra versatione, postea infusum cum leni expressione coletur, colato admisceantur
Gummi arabici grosso modo pulverati librae duae,
et miscela solutioni committatur, qua peracta, per pannum laneum trajiciatur, Cacabo stanneo vel probo Stanno incrustato immittatur, superque leni igne ebulliat, tunc addantur *sine omni agitatione*
Sacchari albi pulverati librae duae,
et ignis ita dirigatur ut praecipue Cacabi alterum latus lambat, qua directione, crassa spuma, cuticulae crassae adinstar, mox superficiem Liquoris tegens, lateri opposito adhaerebit, ita, ut, decoctione finita, solummodo mucilago pura defundi possit, durante enim coctione quaelibet agitatio et motus omnis evitari debet. Massa eo usque inspissata ut portiuncula ejus exemta manibus non amplius adhaerescat, clara et limpida in modulos tabulatos antea Oleo Amygdalino recenti illitos, ita effundatur ut solummodo eorum profunditatis dimidium repleatur, qui moduli postea fornaci calidae imponantur, in iis contenta Pasta aliquoties vertatur ut eo usque exsiccetur, donec ut Resina elastica flecti et in parva frusta quadrangularia dissecari poterit. Servetur in loco sicco.

V. PHOSPHORUS ANIMALIS, seu PHOSPHORUS OSSIUM, seu PHOSPHORUS KUNKELII.

Rec. Salis acidi Phosphori puri solidi unciae quatuor,
Pulveris Carbonum unciae duae;
Sali acido Phosphori in crucibulo hassiaco fuso addatur Pulvis Carbonum; agitetur massa fistula terrea tabacaria, effundatur haec miscela in mortarium lapideum calefactum, redigatur in pulverem, quem calide immitte retortae cupreae vel terreae hassiacae loricatae, calefactae, cum collo amplo ita, ut tertia pars hujus vacua maneat, applica excipulum vitreum amplum et ita Aqua repletum ut retortae collum pollicis distantia ab Aqua remotum maneat; omnibus tandem Calce Aere extincta et Albumine ovorum probe lutatis, destillentur ex furno reverberatorio, primo leni, sensim usque ad ignitionem retortae augendo igne; initio prodibunt vapores in tenebris lucentes et Allium olentes, postea ejusmodi guttae partim sub Aqua in massam tenacem ex albo flavescentem coagulantes, partim Aquae, colore ex rubro flavescente, Cerae instar, supernatantes. Quae guttulae lucentes, si igne fortissimo conservato post 8, aut 9 horas transire cessant, ignis auferatur, vasisque refrigeratis et demto apparatu, Aqua a Globulis phosphoreis Cerae similibus, in excipuli fundo haerentibus decantetur, et Globuli ope Aquae ebullientis in unam massam redacti, immittantur, ad figu-

figuram virgularum sive bacculorum minorum obtinendam, in modulos vitreos calami scriptorii formam referentes, vel Aqua una cum Phosphoro in excipulo obtento in vas vitreum separatorium inferne epistomio clausum et Aqua dein repletum infunditur, quod in Aquam fervidam immittitur ut Globuli phosphorei in unam massam liquescant, quo facto frigidae Aquae immissum Phosphorus solidus fit et ablato epistomio ab inferiori sursum filo ferreo extruditur forma bacculorum tenuium. Si Phosphorus transierit impurus et nigrescens, eum immitte retortae vitreae minori, ast collo capaci, Aquae sufficientem quantitatem affunde et excipulo Aquae pleno applicato, destilla ex balneo arenae et Phosphorus transibit depuratus seu rectificatus. Ex hac quantitate Salis acidi Phosphori adhibiti circiter unciae duae cum dimidia *Phosphori animalis* obtinentur. Sevetur in vitris parvis Aqua destillata repletis et exactissime clausis loco frigido.

V. PULPA PRUNORUM RECENTIUM.

Rec. Prunorum damascenorum recentium quantum volueris,
enucleatis et Cacabo stanneo immissis adfundatur
Aquae communis quarta Prunorum ponderis pars,
et sub perpetua et profunda agitatione cum bacillo ligneo, super leni igne in pulpam coquantur, postea per cribrum e pilis confectum terendo transmittantur, et Pulpa transmissa rursus Cacabo, antea autem mundato ingeratur, ac continue et profunde agitando, lenissimo igne, ad Syrupi crassioris consistentiam inspissentur, addendo tunc singulis libris Pulpae Sacchari albi uncias quatuor, leni igne ulterius inspissentur in dictam consistentiam. Servetur Pulpa in vase lapideo locoque frigido optimè clausa.

V ⊙ PULPA PRUNORUM SICCATORUM.

Rec. Prunorum damascenorum siccatorum exemtis ossiculis quantum vis,
ebulliant in Cacabo stanneo cum
Aquae communis sufficienti quantitate,
ad perfectam solutionem; solutio per setaceum trajecta evaporetur in Cacabo antea mundato ad Mellis spissitudinem et addendo tunc singulis libris Pulpae *Syrupi Saccharini* seu *Sacchari liquidi* uncias quatuor, leni igne ulterius fiat inspissando Pulpa in vase lapideo et loco frigido clausa servanda.

V. ⊙ PULPA TAMARINDORUM DEPURATA.

Rec. Tamarindorum Pulpae crudae librae sex,
Aquae communis librae duae,
immittantur Cacabo stanneo, vel etiam ferreo, et sub crebra cum spathula ferrea agitatione, coquantur super leni igne ad plenariam solutionem, postea terendo per cribrum e pilis confectum trajiciantur, Pulpaque trajecta servetur; residuum in cribro autem iterum Cacabo nunc autem stanneo ingeratur eique denuo affundatur,
Aquae communis libra una cum semisse,
et uti dictum, coquantur et colentur. Pulpa utraque per cribrum trajecta

Ca-

Cacabo stanneo, antea autem probe purgato, immissa, sub continua agitatione cum spathula lignea ad consistentiam Mellis crudi inspissetur, servetur in vase lapideo vel vitreo optime clauso.

N. P. Sit coloris e fusco nigricantis, odoris vinosi, saporis grate acidi vinosi, et in Aqua penitus solubilis. Ejus solutio in Aqua bullienti sit coloris e rubro fusci et ferro polito et per aliquot dies immisso, minime impertiat rubiginem rubescentem.

PULVERES SIMPLICES.

Vide Materiam medicam Simplicium; praeterea adhuc notandum, quod maxima pars Pulverum simplicium sit ex Regno minerali, qui facilius sine corruptione servari possunt; ex Regno vegetabili solummodo adstringentia, nulla vero aromatica, vel volatilia; ex Regno Animali pauca copia ex. gr. Terrae Animales. Ceterum omnes Pulveres tam pro usu interno quam externo per cribrum pilosum tenuissimum trajiciantur, illi vero pro usu *interno* et *pulveres* ophthalmici adhuc postea per duplicatum linteum tenuissimum et in *Alcohol* seu *Pollinem* redigantur. *Vide* ea quae in *Parte I.* DISPENS. *in Praenoscendorum Sectione VIII. Nro. 5.* de *Pulveribus* dicta sunt. Hic praescribuntur solummodo hi *Pulveres simplices*, qui singularem attentionem merentur, et quasdam cautelas in elaboratione requirunt, etsi non omnes in officinis semper asserventur, praecipue ex aromaticis semper *ex tempore* parandis.

V. ⊙ PULVIS SIMPLEX ALUMINIS ROMANI.

Rec. Aluminis Romani unciae sex,
redigantur in mortario lapideo in pulverem tenuissimum, qui adhuc per cribrum setaceum densum trajiciatur, residuum in cribro iterum teratur et percribretur, donec omne Alumen in pollinem redactum fuerit. Servetur in vitro clauso.

V. ⊙ PULVIS SIMPLEX ALUMINIS USTI.

Paratur ut *Pulvis simplex Aluminis Romani.*

V. ⊙ PULVIS SIMPLEX ARCANI DUPLICATI DEPURATI.

Paratur eodem modo.

⊙ PULVIS SIMPLEX BACCARUM LAURI.

Rec. Baccarum Lauri decorticatarum unciae tres,
contundantur in mortario ferreo, in pulverem subtilem, per cribrum setaceum trajiciendum, residuum in cribro semper iterum contundatur et percribretur, donec Baccae omnes in pollinem redactae fuerint. Servetur Pulvis in vase clauso.

⊙ PULVIS SIMPLEX CANTHARIDUM.

Rec. Cantharidum unciae duae,
terantur in mortario lapideo et operculo ligneo vel coriaceo tecto in pulverem subtilissimum, qui in vitro clauso servetur.

PULVIS SIMPLEX CATECHU.

Rec. Catechu unciae duae,
contundantur in mortario ferreo in pulverem per cribrum setaceum trajiciendum. Residuum denuo contundendum et percribrandum, donec omne Catechu in Pulverem redactum fuerit subtilissimum, qui in vase clauso servetur.

PULVIS SIMPLEX CORTICIS ANGUSTURAE.

Rec. Corticis Angusturae unciae duae,
contundantur in mortario ferreo, ne partes avolent subtiliores, operculo tecto et per cribrum setaceum etiam clausum trajiciantur; remanentia contundenda denuo et iterum percribranda. Servetur in vitro clauso.

PULVIS SIMPLEX CORTICIS CANELLA ALBAE.

Rec. Corticis Canellae albae unciae tres,
contundantur in mortario ferreo et percribrentur, usque dum tota quantitas per cribrum setaceum trajecta fuerit. Servetur Pulvis in vitro clauso.

Eodem modo parantur:

PULVIS SIMPLEX CORTICIS CASCARILLAE.

V. ⊙ PULVIS SIMPLEX CORTICIS CHINAE LUTEAE, sive PULVIS SIMPLEX CORTICIS PERUVIANI LUTEI.

PULVIS SIMPLEX CORTICIS CHINAE RUBRAE, sive PULVIS SIMPLEX CORTICIS PERUVIANI RUBRI.

PULVIS SIMPLEX CORTICIS CINNAMOMI.

PULVIS SIMPLEX CORTICIS QUERCUS.

PULVIS SIMPLEX CORTICIS SALICIS LAUREAE.

PULVIS SIMPLEX CORTICIS SALICIS VITELLINAE.

V. ⊙

V. ⊙ PULVIS SIMPLEX CROCI AUSTRIACI.

Rec. Croci Austriaci optimi non adulterati uncia una, super charta bibula alba dispergatur et in radiis Solis vel prope fornacem bene exsiccetur, postea in mortario lapideo siccissimo et antea leniter calefacto trituratione in Pulverem redigatur, per cribrum trajiciendum setaceum, servetur vesica inclusus bubula in vitro obturato.

PULVIS SIMPLEX EUPHORBII.

Rec. Euphorbii uncia una, in mortario ferreo et operculo optime tecto contundatur in Pulverem, et per cribrum sericeum clausum trajiciatur, Pistillarium et cribratorem os et nares linteo humido contra partes avolantes munire oportet. Servetur in vitro clauso.

PULVIS SIMPLEX FABARUM PICHURIM.

Paratur ut *Pulvis simplex Baccarum Lauri.*

V. ⊙ PULVIS SIMPLEX FLAVEDINIS CORTICUM AURANTIORUM.

Rec. Corticum Aurantiorum siccatorum unciae sex, a medulla alba penitus deglutinentur, et postea contundantur tam diu in mortario ferreo, usque dum tota quantitas per cribrum sericum trajecta fuerit. Servetur in vase clauso.

V. ⊙ PULVIS SIMPLEX FLORUM CASSIAE.

Paratur ut *Pulvis simplex Baccarum Lauri.*

V. ⊙ PULVIS SIMPLEX FLORUM CHAMOMILLAE VULGARIS.

Rec. Florum Chamomillae vulgaris unciae sex, omnibus pedunculis et Floribus radii albis decerptis et abjectis, Flores flavi contundantur in mortario ferreo in Pulverem, qui omnis per cribrum setaceum trajiciendus est. Servetur in vase clauso.

PULVIS SIMPLEX FLORUM TANACETI.

Rec. Florum Tanaceti unciae quatuor, Flosculis e calyce et disco tritu exemtis cum Seminibus contundantur et percribrentur ut *Flores Chamomillae* et in vase clauso serventur.

⊙ PULVIS SIMPLEX FOLIORUM AURANTIORUM.

Rec. Foliorum Aurantiorum unciae sex,
concisa et manibus contrita contundantur in mortario ferreo tecto in Pulverem, quodsi durante contusione Pulvis nimium motus fuerit, aliquot guttulae Spiritus Vini inspergendae sunt, postea Pulvis per cribrum setaceum trajiciatur et remanentes pedunculi et fibrae contusionem respuentes abjiciendi sunt. Servetur in vase clauso.

Eodem modo parantur:

V. ⊙ PULVIS SIMPLEX FOLIORUM FRAXINI, seu SENNAE GERMANICAE.

V. ⊙ PULVIS SIMPLEX FOLIORUM SENNAE ALEXANDRINAE.

PULVIS SIMPLEX FOLIORUM SABINAE.

Ea tamen cautione, ut in pulveratione et percribratione horum Foliorum mortarium et cribrum tectum sit.

⊙ PULVIS SIMPLEX FOLIORUM UVAE URSI.

Eodem modo paratur.

PULVIS SIMPLEX FRUCTUUM AURANTIORUM IMMATURORUM.

Paratur ut *Pulvis simplex Baccarum Lauri.*

PULVIS SIMPLEX FUNGI SALICIS.

Vide *Fungum Salicis praeparatum.*

⊙ PULVIS SIMPLEX GUMMI AMMONIACI.

Rec. Gummi Ammoniaci librae quatuor,
tempore hyemali gelido contundatur Gummi in mortario ferreo in Pulverem grossiorem, partes lignosae, semina et impuritates lapideae, arenosae et terrestres contusionem respuentes, ante triturationem a pistillario attentis conquirendae sunt oculis et abjiciendae, postea Gummi electum contusum in mortario lapideo in subtiliorem conteratur Pulverem, qui per cribrum setaceum trajiciatur.

Tempore aestivo, si necesse fuerit, ut Gummata pulverentur, ea in minora frustula discerpantur, et ab heterogeneis particulis purgentur, tunc in vase stanneo super lenissimo igne liquefiant, et per semihoram sub perpetua agitatione liquefacta, ab igne removeantur ac optime refrigerata in mortario ferreo in Pulverem redigantur adhuc percribrandum. Qui modus etiam tem-

tempore hyemali adhiberi potest in Gummate *Galbano impuro* pulverationem respuente, melius vero Gummi *Galbanum depuratum* priori methodo in Pulverem redigitur.

Eodem modo parantur *Pulveres simplices:*

V. ⊙ PULVIS SIMPLEX GUMMI ARABICI.

PULVIS SIMPLEX GUMMI ASAE FOETIDAE.

⊙ PULVIS SIMPLEX GUMMI GALBANI.

PULVIS SIMPLEX GUMMI GUTTAE.

Sub hujus autem contusione, trituratione et percribratione mortarium et cribrum coopertum sit, ac os et nares linteo humido muniendi.

PULVIS SIMPLEX GUMMI KINO.

⊙ PULVIS SIMPLEX MASTICHES.

⊙ PULVIS SIMPLEX MYRRHAE RUBRAE.

PULVIS SIMPLEX OLIBANI.

V. ⊙ PULVIS SIMPLEX GUMMI TRAGACANTHAE.

PULVIS SIMPLEX LIGNI QUASSIAE.

Rec. Ligni Quassiae librae duae,
comminuantur radula, postea rasura super charta extendenda in radiis Solis vel prope fornacem leniter exsiccetur, quo facto in mortario ferreo in Pulverem contundatur subtiliorem, qui per cribrum setaceum trajiciendus est. Servetur in vase clauso.

⊙ PULVIS SIMPLEX HERBAE ASARI.

Rec. Herbae Asari unciae duae,
modo in pulveratione Foliorum Aurantiorum dicto in pollinem redigantur, ea tamen cautione, ut mortarium et cribrum clausa sint, ac os et nares linteo custodiantur madido. Servetur Pulvis in vitro clauso.

Eodem modo parantur Pulveres simplices:

Pulvis simplex Herbae Belladonnae.

⊙

⊙ *Pulvis simplex Herbae Cicutae.*

⊙ *Pulvis simplex Herbae Digitalis purpureae.*

PULVIS SIMPLEX HERBAE ERYSIMI.

Paratur ut *Pulvis simplex Foliorum Aurantiorum.*

⊙ PULVIS SIMPLEX HERBAE GRATIOLAE.

Paratur ut *Pulvis simplex Herbae Asari.*

PULVIS SIMPLEX HERBAE LINI CATHARTICI.

V. ⊙ PULVIS SIMPLEX HERBAE MAJORANAE.

Eodem modo parantur.

PULVIS SIMPLEX HERBAE MARI VERI.

Paratur ut *Pulvis simplex Foliorum Asari.*

Eodem modo paratur.

⊙ PULVIS SIMPLEX HERBAE NICOTIANAE.

PULVIS SIMPLEX NITRI CUBICI.

Paratur ut *Pulvis simplex Aluminis Romani.*

V. ⊙ PULVIS SIMPLEX NITRI PRISMATICI DEPURATI.

Paratur ut *Pulvis simplex Aluminis Romani.*

PULVIS SIMPLEX NUCUM MOSCHATARUM.

Rec. Nucum Moschatarum uncia una,
comminuantur Nuces super Ferro rasorio, postea in mortario lapideo conterantur in pollinem tenuissimum. Servetur in vitro arctissime clauso.

⊙

⊙ PULVIS SIMPLEX RADICIS ARI.

Rec. Radicis Ari unciae tres,
radula vel Ferro rasorio comminutae in mortario lapideo terantur in pollinem, qui leniter compressus in vitro servetur clauso.

⊙ PULVIS SIMPLEX RADICIS ASARI.

Rec. Radicis Asari unciae duae,
concisae contundantur in mortario ferreo tecto in Pulverem, per cribrum clausum, cura pro ore et naribus pluries dicta, trajiciendum. Servetur in vase clauso.

⊙ *Pulvis simplex Radicis Belladonnae.*

Paratur ut *Pulvis simplex Radicis Asari.*

PULVIS SIMPLEX RADICIS CALAMI AROMATICI.

Rec. Radicis Calami aromatici unciae sex,
concisae contundantur penitus in mortario ferreo et Pulvis per cribrum trajiciatur setaceum. Servetur in vase arcte clauso.

PULVIS SIMPLEX RADICIS CARYOPHYLLATAE.

Paratur ut *Pulvis simplex Radicis Calami aromatici.*

⊙ PULVIS SIMPLEX RADICIS CHELIDONII MAJORIS.

Paratur ut *Pulvis simplex Radicis Asari.*

PULVIS SIMPLEX RADICIS COLOMBAE.

Paratur ut *Pulvis simplex Radicis Calami aromatici.*

Eodem modo parantur:

PULVIS SIMPLEX RADICIS CONSOLIDAE MAJORIS.

PULVIS SIMPLEX RADICIS CONTRAJERVAE.

PULVIS SIMPLEX RADICIS CURCUMAE.

PULVIS SIMPLEX RADICIS ENULAE.

PULVIS SIMPLEX RADICIS FILICIS FOEMINAE.

PUL-

PULVIS SIMPLEX RADICIS FILICIS MARIS.

PULVIS SIMPLEX RADICIS GENTIANAE RUBRAE.

PULVIS SIMPLEX RADICIS HELLEBORI ALBI.

Paratur ut *Pulvis simplex Radicis Asari.*

V. ⊙ PULVIS SIMPLEX RADICIS JALAPPAE.

Paratur ut *Pulvis simplex Radicis Asari.*

⊙ PULVIS SIMPLEX RADICIS IPECACUANHAE.

Paratur ut *Pulvis simplex Radicis Asari.*

V. ⊙ PULVIS SIMPLEX RADICIS IRIDIS FLORENTINAE.

Paratur ut *Pulvis simplex Radicis Calami aromatici.*

Eodem modo parantur:

PULVIS SIMPLEX RADICIS LAPATHI AQUATICI, seu HYDROLAPATHI.

V. ⊙ PULVIS SIMPLEX RADICIS LIQUIRITIAE.

V. ⊙ PULVIS SIMPLEX RADICIS ORCHIDIS, seu SALEP.

V. ⊙ PULVIS SIMPLEX RADICIS PIMPINELLAE ALBAE.

V. ⊙ PULVIS SIMPLEX RADICIS RHABARBARI.

PULVIS SIMPLEX RADICIS RUBIAE TINCTORUM.

⊙ PULVIS SIMPLEX RADICIS SAPONARIAE RUBRAE.

PULVIS SIMPLEX RADICIS SENEGAE.

Paratur ut *Pulvis simplex Radicis Asari.*

⊙ PULVIS SIMPLEX RADICIS SQUILLAE.

Paratur ex Squilla siccata ut *Pulvis simplex Radicis Asari.*

PULVIS SIMPLEX RADICIS TORMENTILLAE.

Paratur ut *Pulvis simplex Radicis Calami aromatici.*

Eo-

Eodem modo parantur:

PULVIS SIMPLEX RADICIS VALERIANAE CELTICAE.

PULVIS SIMPLEX RADICIS VALERIANAE SYLVESTRIS.

PULVIS SIMPLEX RADICIS ZEDOARIAE LONGAE.

V. ⊙ PULVIS SIMPLEX RADICIS ZINGIBERIS ALBI.

⊙ PULVIS SIMPLEX GUMMI GUAJACI NATIVI.

Rec. Gummi Guajaci nativi unciae sex,
terantur in mortario lapideo in Pulverem, qui per cribrum setaceum tectum trajiciatur, et in vitro clauso servetur.

V. ⊙ PULVIS SIMPLEX SACCHARI CANARIENSIS.

Rec. Sacchari Canariensis, quantum volueris,
contundatur in mortario ferreo in Pulverem, per cribrum trajiciendum, et in vitro clauso servandum.

PULVIS SIMPLEX SACCHARI LACTIS.

Paratur ut *Pulvis simplex Sacchari Canariensis.*

⊙ PULVIS SIMPLEX SAPONIS ALICANTINI.

Rec. Saponis Alicantini libra semis,
exsiccetur radiis solaribus aut prope fornacem, postea radula comminuatur, et in mortario lapideo siccissimo et calefacto in Pulverem teratur, in vitro clauso servandum.

V. ⊙ PULVIS SIMPLEX SALIS AMMONIACI DEPURATI.

Paratur ut *Pulvis simplex Aluminis Romani.*

Eodem modo redigantur et *reliqua Salia* in Pulverem.

V. ⊙ PULVIS SIMPLEX SALIS MIRABILIS.

Rec. Salis mirabilis quantum volueris,
extendatur super charta alba cribro imposita et accessui Aeris subjecta in calore fornacis; postquam Sal totum in Pulverem dilapsum fuerit farinosum, in mortario calido in pollinem redigatur et per cribrum setaceum trajiciatur. Servetur in vitro arcte clauso et loco calido ac sicco.

⊙ PULVIS SIMPLEX SEMINUM ANISI.

Rec. Seminis Anisi unciae tres,
contundantur in mortario ferreo penitus in Pulverem, qui per cribrum setaceum trajiciatur. Servetur in vase clauso.

Eodem modo parantur:

PULVIS SIMPLEX SEMINIS CARVI.

V. ⊙ PULVIS SIMPLEX SEMINIS CINAE.

V. ⊙ PULVIS SIMPLEX SEMINIS FOENICULI DULCIS, seu ITALICI.

V. ⊙ PULVIS SIMPLEX SEMINIS LINI, seu FARINA SEMINIS LINI.

Rec. Seminis Lini, quantum volueris,
exsiccetur super charta alba cribro imposita, non dense extensum, caute et sub nonnulla versatione in leni calore fornacis, postea contundatur in mortario ferreo in Pulverem, qui in vase clauso servetur.

⊙ PULVIS SIMPLEX SEMINIS SABADILLAE.

Rec. Seminis Sabadillae cum capsulis unciae tres,
contundatur in mortario ferreo clauso et cautione pro ore et naribus pluries dicta, in Pulverem, qui postea per cribrum clausum trajiciatur. Servetur in vitro clauso.

PULVERES COMPOSITI.

⊙ PULVIS ALGAROTTI, seu CALX REGULI ANTIMONII PURISSIMA.

Rec. Aquae destillatae fervidae librae octo,
huic instilletur Butyrum Antimonii sensim et sensim, donec Liquor lactescat, dein relinque in quiete per 24 horas et ultra, donec Liquor sedimentum deposuerit; Liquor decantetur et Pulvis albus in fundo vasis praecipitatus tamdiu Aqua destillata fervida edulcoretur, donec Aqua defluens nullum colorem nec saporem habeat et dein exsiccetur super chartam albam typographicam et servetur in vitro bene clauso.

⊙ PULVIS ALTERANS.

Rec. Pulveris simplicis Mercurii dulcis partes duas,
Sulphuris Antimonii aurati partem unam,

teran-

terantur invicem per plures horas in mortario vitreo ad unionem intimam, servetur in vitro clauso.

⊙ PULVIS ANODINUS, seu SEDATIVUS.

Rec. Opii puri seu Extracti Opii scrupulus unus,
Nitri depurati uncia semis,
misceantur trituratione exacta in mortario vitreo et mixtis sensim sub trituratione continuata admisceantur
Sacchari Canariensis unciae duae,
servetur Pulvis tenuissimus in vitro clauso.

NOTA. Drachma una hujus Pulveris continet Opii granum unum.

V. ⊙ PULVIS ANTHELMINTICUS.

Rec. Pulveris simplicis Radicis Jalappae drachmae tres,
simplicis Radicis Filicis Maris,
Seminis Cinae Levanticae,
Aethiopis Antimonialis ana drachmae duae,
misceantur exacte in mortario vitreo et serventur in vitro clauso.

DOSIS. A granis 10, ad 30, aut 40 exhibetur cum Saccharo bis de die.

V. ⊙ PULVIS ANTISPASMODICUS.

Rec. Pulveris Nitri depurati uncia una cum semisse,
Cinnabaris factitiae praeparatae drachmae tres,
terantur in mortario vitreo in Pulverem et sub trituratione continua admisceantur
Arcani duplicati depurati drachmae sex,
misceantur in Pulverem, qui servetur in vitro exacte clauso.

DOSIS. Scopo refrigerante, resolvente et aperiente, cum regimine calido leniter diaphoretico, a granis 10 ad 30 exhibetur.

V. ⊙ PULVIS ARI COMPOSITUS, seu STOMACHICUS.

Rec. Pulveris simplicis Radicis Ari uncia una,
simplicis Radicis Calami aromatici,
simplicis Radicis Pimpinellae albae ana uncia semis,
Pulveris simplicis Florum Cassiae drachmae duae,
Salis Alcalini mineralis pulverati drachmae duae,
misceantur diu continuata trituratione in mortario lapideo, et servetur Pulvis in vitro epistomio vitreo munito.

DOSIS. Pro adulto drachma semis.

⊙ PULVIS AROMATICUS.

Rec. Nucis Moschatae,
Corticis Canellae albae,
Radicis Zingiberis,
Fructuum Aurantiorum immaturorum,
Seminum Cardamomi minoris ana uncia una cum semisse,
Florum Cassiae uncia semis,
conterantur singula in Pulverem subtilem, dein commixta serventur in vitro epistomio vitreo munito.

PULVIS COLOCYNTHIDIS GUMMOSUS, seu TROCHISCI ALHANDAL.

Rec. Medullae albae Colocynthidum a Seminibus purgatae et concisae unciae duae,
Pulveris Gummi arabici unciae duae,
solve Gummi cum Aqua ut fiat mucilago spissa, dein cum Medulla Colocynthidum contundendo convertantur in pastam in mortario lapideo, donec ambo bene mixta sint, et postea, leni calore, iterum exsiccata in Pulverem terantur subtilissimum in vase clauso et loco calido servandum.

NOTA. Grana octo hujus Pulveris continent grana quatuor Colocynthidis.

V. PULVIS DENTIFRICIUS NIGER.

Rec. Carbonum vegetabilium Tiliae praeparatorum pulveratorum unciae quinque,
Pulveris simplicis Radicis Iridis florentinae,
Pulveris Mastiches ana uncia semis,
Pulveris Caryophyllorum aromaticorum drachma semis,
misceantur Pulveres diu terendo in mortario lapideo, bene mixtis, servetur Pulvis in vitro exacte clauso.

V. PULVIS DENTIFRICIUS RUBER.

Rec. Pulveris simplicis Radicis Lapati aquatici unciae duae,
simplicis Radicis Iridis florentinae,
Mastiches ana uncia semis,
Cremoris Tartari uncia una cum semisse,
Coccionellae uncia semis,
Vanillae contritae scrupuli duo,
Cremor Tartari cum Coccionella in mortario lapideo conteratur, dein addantur reliqua, misceantur diu terendo, ultimo addatur Vanilla, perfecte mixta, irrorentur Spiritu Salviae et in umbra leniter siccatus Pulvis servetur in vitro exacte clauso.

⊙

⊙ PULVIS GUMMOSUS COMPOSITUS.

Rec. Amyli pulverati,
Pulveris Radicis Liquiritiae ana uncia una,
Gummi arabici,
Sacchari Canariensis ana unciae tres,
misceantur et terendo in mortario lapideo redigantur in Pulverem subtilissimum, qui in vitro clauso et loco sicco servandus.

V. ⊙ PULVIS INFANTUM ABSORBENS, seu ANTACIDUS.

Rec. Pulveris Magnesiae albae unciae quatuor,
Radicis Iridis florentinae unciae duae,
in mortario vitreo trituratione perfecte misceantur et serventur in vitro clauso.

DOSIS. Pro infante unius anni scrupulus unus.

V. ⊙ PULVIS INFANTUM LAXANS.

Rec. Pulveris Infantum Absorbentis unciae tres,
simplicis Rhabarbari drachmae sex,
trituratione in mortario lapideo optime mixta serventur in vase clauso.

DOSIS. Pro infante unius anni scrupulus unus.

⊙ PULVIS LAXANS ADULTORUM.

Rec. Cremoris Tartari solubilis pulverati,
Pulveris simplicis Foliorum Sennae Alexandrinae ana unciae duae,
Flavedinis Corticum Aurantiorum drachmae sex,
Florum Cassiae drachmae duae,
misceantur in mortario lapideo diu terendo, et servetur Pulvis in vitro exacte clauso.

DOSIS. Pro adulto est drachma una, cui pro lubitu Saccharum addi poterit.

V. ⊙ PULVIS PRO LIMONADA, seu LIMONADA PORTATILIS.

Rec. Sacchari albi in frusta majora contusi libra una,
terantur supra Cortices quatuor Pomorum Citreorum, donec omnis Cortex flavus detritus fuerit; dein Saccharum supra laminam ferream rapsatoriam tenuiter teritur et supra hoc exprimitur Succus Citri quatuor Pomorum Citreorum, quorum Cortex antea detritus fuit; exsiccetur hic Pulvis Aere sicco, ita ut in Pulverem subtilem teri possit. Addantur dein
Pulveris Cremoris Tartari unciae sex,

mis-

misceantur in mortario vitreo vel lapideo diu terendo, et servetur Pulvis in vitro exacte clauso.

NOTA. Etiam ex tempore ex partibus viginti quatuor Eleosacchari Corticum Citri cum una parte Salis Essentialis Tartari crystallisati parari potest. Si loco Pomorum Citreorum Mala Aurantia adhibentur et Cremor Tartari omittitur, habetur *Pulvis pro Aurantiada* seu *Aurantiada portatilis*.

PULVIS PUERORUM EVACUANS.

Rec. Mercurii dulcis pulverati uncia semis,
Resinae Jalappae drachma una,
Amygdalarum dulcium excorticatarum scrupuli duo,
Sacchari albi uncia semis et scrupuli duo,

Resina Jalappae cum Amygdalis in mortario lapideo antea trituratione diuturna subacta, in mortario vitreo cum Mercurio dulci in hoc antea cum Saccharo trituratione unito, miscetur et diu tritis et mixtis servetur Pulvis in vitro exacte clauso.

DOSIS. Pro infante 3 annorum scrupulus unus; 4 annorum scrupulus unus et grana quinque; 6 annorum drachma semis et grana quinque; 8 annorum scrupuli duo cum Lacte frigido aut Syrupi Emulsivi pauca quantitate exhibentur in pueris alias sanis tanquam purgans certum et securum. Cum parte anatica Pulveris Seminis Cinae et Sacchari est egregium Anthelminticum.

V. ⊙ PULVIS SPECIERUM EMOLLIENTIUM PRO CATAPLASMATE.

Rec. Specierum emollientium pro cataplasmate quantum volueris,

redigantur in Pulverem subtilem, servetur Pulvis in vitro clauso.

⊙ PULVIS SUDORIFICUS, vulgo DOWERI.

Rec. Opii puri seu Extracti Opii drachma una,
Arcani duplicati depurati drachmae novem,

terantur invicem exactissime in mortario vitreo et admisceatur sensim et sub continua agitatione
Pulveris simplicis Radicis Ipecacuanhae drachma una,

servetur Pulvis in vitro epistomio vitreo et vesica bubula clauso.

DOSIS. Est scrupulus unus, ad drachmam semis.

NOTA. In sedecim granis hujus Pulveris, granum unum Opii continetur. Hic Pulvis neque vires emeticas nec narcoticas, sed potius blande diaphoreticas juxta celeb. BALDINGER possidet.
In

In morbis arthriticis et rheumaticis chronicis praecipue convenit; si hujus Pulveris grana triginta omni duodecima hora per 8 dies cum debito regimine exhibentur, dicit cel. BROCKLESBY tunc sudores movet adeo, ut nemo, nisi testis ocularis credere possit. Communiter dosis est scrupuli unius vesperi.

RESINA GUAJACI ARTEFACTA PURA.

Paratur ex Gummi Guajaci nativo ut *Resina Jalappae pura.*

NOTA. Odorem spiret Vanillae.

⊙ RESINA JALAPPAE PURA.

Rec. Radicis Jalappae librae sex,
in Pulverem grossiusculum contusae ingerantur cucurbitae vitreae amplae et affundantur

Spiritus frumenti librae duodecim,
leni calore per duos dies digerantur, postea Liquor decantetur, residuum preli ope leniter exprimatur, Liquores decantatione et expressione obtenti colentur, residuum expressum vero iterum cucurbitae immittatur et affundantur

Spiritus Vini rectificatissimi librae duodecim,
per duos dies sub crebra versatione digerantur, postea liquidum supernatans decantetur, residuum exprimatur coleturque, obtentique Liquores prioribus admisceantur. Quae Spiritus Vini rectificatissimi affusio, digestio, decantatio, expressio et colatio eo usque repetatur, donec Spiritus affusus non amplius tinctus fuerit. Tunc omnes Liquores obtenti vesicae infundantur destillatoriae optimo Stanno inductae et lege artis omnis abstrahatur Spiritus; Resinae autem in fundo vesicae haerenti affundantur

Aquae communis librae sex,
post fortem miscelae agitationem, Aqua supernatans lactescens decantetur, et denuo eadem Aquae communis quantitas affundatur, cum Resina agitetur et ab ea decantetur, quae Aquae affusio et decantatio tam diu repetenda est, quam Aqua Resinae admixta adhuc lactescat; denique adhuc eadem quantitas Aquae communis calidae superinfundatur et hujus ope *Resina* probe abluatur. Aqua omni decantata, *Resina* vasi evaporatorio vitreo immittenda, in balneo mariae sub crebra agitatione evaporetur, donec particula ejus laminae politae frigidae imposita, non amplius tenax sed admodum fragilis sit. Tunc *Resina Jalappae pura* in cylindros contortos efformetur, et leni calore exsiccata in vase vitreo clauso et loco sicco asservetur.

N. P. Extus sit profunde cinerea, nonnihil flavescens, sicca, rimosa. intus nigrescens et nitida, valde fragilis, in Aere non humescens, in Alcohole Vini penitus et facillime solubilis, Aquam affusam fervidam etiam sub trituratione minime colore imbuet fusco,

co, prunis inspersa odorem spargat, nec terebinthinaceum nec aloeticum sed Radici cultro fervido derasae peculiarem. Cum Resina Agarici albi adulterata, extus et intus nigrescit.

⊙ RESINA GEMMARUM POPULI BALSAMIFERAE.

Rec. Gemmarum Populi balsamiferae recentium vere aut aestate confirmata et ante foliolorum evolutionem collectarum forfice concisarum quantum volueris,
sacculo linteo inclusis, in prelo ferreo antea in Aqua fervida calefacto exprimatur Succus resinosus, qui adhuc per linteum colatus, expressus, servetur in vitro epistomio vitreo et vesica bubula clauso.

N. P. Sit lutei coloris, consistentiae butyraceae, saporis amari, aromatici, odoris grati, balsamici, fragrantis, ad Rhabarbari odorem parumper accedentis, vocatur *Resina Gemmarum Populi balsamiferae.*

V. ROOB BACARUM ACACIAE MATURARUM.

Rec. Baccarum Acaciae maturarum quantum volueris,
pedunculis ablatis immittantur Cacabo probe Stanno obducto, super igne coquantur, continuo spathula longa lignea usque ad fundum vasis continuo agitando, donec diffluant et non adurentur. Coctione in Succum diffluentes ab igne removentur et parumper frigescant, dein trajice per cribrum pilosum tenue, ut nuclei et pelliculae remaneant; Succus per cribrum trajectus per aliquot horas ad subsidentiam in quiete reponitur, dein decantatus, per pannum laneum colatus, in vase terreo non vitreato et sub continua agitatione ad Mellis crudi consistentiam inspissetur, addendo tunc singulis libris Succi Sacchari albi uncias duas. Servetur in vase lapideo charta cerata clauso, ac in loco frigido.

V. ⊙ ROOB BACCARUM BERBERUM.

Rec. Baccarum Berberum, quantum volueris,
a racemis solutae in mortario lapideo pistillo ligneo contundantur, et massa contusa vasi figulino non vitreato lenissimo super igne et sub crebra agitatione ad perfectam incalescentiam digerantur, quo facto committantur sacco linteo forti et preli lignei ope exprimantur. Succus obtentus per aliquot dies in loco frigido, ad partium grossiorum subsidentiam, repositus, per pannum coletur, et ad singulam libram Succi addantur Sacchari albi pulverati unciae duae, ac tandem in vase terreo non vitreato et sub continua agitatione ad Mellis crudi consistentiam inspissetur. Servetur in vase lapideo charta cerata clauso, ac in loco frigido.

V. ROOB CERASORUM RUBRORUM ACIDORUM.

Paratur ut *Roob Baccarum Acaciae maturarum.*

V.

V. ROOB SUCCI CITRI.

Rec. Succi Citri depurati et defecati quantum volueris, inspissetur in vase vitreo evaporatorio in balneo mariae, ubi Aqua fere ad coctionem usque incalescit in spissitudinem Syrupi crassioris seu Mellis crudi; sed ad minimum duodecim aut quatuordecim horae ad hoc requiruntur, nam quo lentius hoc fit, eo praestantius Roob evadit; ut vero fragrantia quoque illi competat, e re est paullo, antequam illud ab igne removeatur, illi addere Corticis Citri tantillum. Sic per plures annos Succi integritas servatur in vase lapideo charta cerata clauso, ac in loco frigido.

V. ROOB CYDONIORUM.

Rec. Succi expressi Cydoniorum recentium depurati librae quatuor,
Sacchari albi pulverati libra una,
mixta in vase terreo non vitreato super leni igne et perpetua sub agitatione ad Mellis crudi consistentiam evaporentur. Serventur dicto modo.

V. ⊙ ROOB DAUCI SATIVI.

Rec. Radicum Dauci Sativi recentium, quantum volueris, optime ablutae et concisae in mortario lapideo contundantur in massam pultaceam, quae sacco includatur ex linteo forti confecto, et prelo exprimatur ligneo. Succus expressus coletur et vasi terreo non vitreato immissus, lenissimo igne et sub continua agitatione coquatur, eo usque dum in filum trahi potuerit sive ad consistentiam Mellis crudi. Servetur in vase lapideo charta cerata claudendo ac in loco frigido.

⊙ ROOB EBULI.

Rec. Succi expressi Baccarum Ebuli quantum volueris, per subsidentiam depuratus in vase terreo non vitreato leni igne et sub perpetua agitatione inspissetur in consistentiam Mellis crudi, sub finem addendo singulis libris Succi
Mellis depurati uncias tres,
misce serventur dicto modo.

V. ROOB CORTICUM NUCUM JUGLANDUM.

Rec. Corticum viridium Nucum Juglandum ad dimidium maturorum libra una,
contundantur in mortario lapideo; immitte in vas terreum, affundantur
Aquae communis librae duae,
coquantur per aliquot horas, dein exprimatur Succus, et ponderetur, addatur postea dimidia quantitas Mellis depurati et coquantur invicem continuo agitando ad consistentiam Mellis crudi. Servetur dicto modo.

V. ⊙ ROOB JUNIPERI.

Rec. Baccarum Juniperi maturarum et recentium, quantum volueris,
Aqua frigida ablutae in mortario lapideo probe contundantur, quo facto, vasi terreo includantur, et affundatur ea Aquae communis ebullientis quantitas, ut unum pollicem superemineat, quacum in vase tecto per horae dimidium leniter ebulliant, tunc massa adhuc calida per pannum linteum fortem prematur, ac expressus Liquor coletur, in colatura fortiter expressa solvatur Sacchari pars quarta, et haec in vase terreo sub continua agitatione ad Mellis crudi consistentiam inspissetur, et rite servetur.

V. ROOB MORORUM.

Rec. Baccarum Mori nigrae, quantum volueris,
in mortario lapideo in pultem conquassatae, ingerantur vasi terreo non vitreato, operculo tegendo, et reponantur per duos dies in cella; quo facto per linteum fortiter exprimantur et Succus obtentus denuo in loco frigido ad subsidentiam quiescat, postea per pannum laneum coletur, atque ponderetur, tunc Succi partibus sex admisceatur Sacchari albi pulverati pars una et denique in vase terreo super leni igne et perpetua sub agitatione, ad Mellis crudi consistentiam evaporetur, serveturque dicto modo.

V. ROOB MYRTILLORUM.

Paratur ut *Roob Mororum.*

V. ROOB RIBESIORUM NIGRORUM.

Paratur ut *Roob Mororum.*

V. ROOB RIBESIORUM RUBRORUM.

Paratur ut *Roob Mororum.*

V. ⊙ ROOB RUBI IDAEI.

Paratur ut *Roob Berberum.*

V. ⊙ ROOB SAMBUCI.

Paratur ut *Roob Berberum.*

⊙ ROOB SPINAE CERVINAE.

Paratur ut *Roob Ebuli.*

V.

V. ROOB BACCARUM VITIS IDEAE.

Paratur ut *Roob Berberum.*

ROTULAE ANTIMONIALES.

Rec. Massae Cacao tabulatae unciis quinque,
leni calore in pultaceam consistentiam redactae, addatur sequens Pulvis

Antimonii crudi praeparati uncia semis,
Pulveris Magnesiae albae drachma una,
Sacchari Candi drachmae quinque,

exactissime misceantur, addito hoc Pulvere sensim et sensim, Massa Cacao liquescens exacte spathula lignea agitetur, donec omnia optime mixta sint, et Massa frigefacta majorem densitatem acquirat; tunc tota Massa manibus ita formatur, ut cylindrum repraesentet, dissecatur tunc in parva frustula ponderis drachmae unius, quae frustula in globulos convoluta modulis ex Ferro laminato Stanno obductis immittuntur et concutiendo formantur Rotulae, quae horis duabus elapsis induratae eximuntur et in vitro exacte clauso servantur. *Drachma una*, seu *Rotula una* continet *Antimonii* grana sex.

⊙ ROTULAE BERBERUM.

Rec. Sacchari Canariensis subtilissime triti unciae sex,
immittantur Cacabo minori ex Stanno puro, aut Cupro Stanno optime obducto, et supra prunarum leni igne eo usque calefiant, donec manus inversa calorem Sacchari non amplius poterit tollerare; tunc illico admisceatur

Succi Berberum depurati uncia una,

postea miscela celeriter cum bacillo ligneo longiori agitetur, et aeque celeriter guttatim in laminam metallicam mundam et prius Oleo Amygdalarum illitam effundatur. Rotulae refrigeratae vitro cylindrico claudendo immissae, tempore hyemali fornacis calori leni et aestivo radiis Solis exponantur ut lente exsiccentur et durae evadant.

V. ROTULAE MENTHAE PIPERITAE.

Rec. Sacchari Canariensis subtilissime triti drachmae quatuordecim cum dimidia,
immittantur Cacabo minori stanneo aut cupreo probe Stanno obducto, et supra prunarum igne leni eo usque calefiant, donec manus inversa calorem Sacchari non amplius poterit tollerare; tunc illico admisceatur sequens jam praeparatum Eleosaccharum:

Sacchari Canariensis drachmae uni cum semisse,

instillentur

Olei aetherei Menthae Piperitae guttae decem;

 affun-

affundatur adhuc

Aquae Menthae Piperitae drachma dimidia cum granis quindecim,

postea miscela celeriter cum bacillo ligneo longiori agitetur, et aeque celeriter guttatim in laminam metallicam mundam et prius Oleo Amygdalarum illitam effundatur. Rotulae refrigeratae vitro cylindrico claudendo immissae, tempore hyemali fornacis calori leni, et aestivo radiis Solis exponantur ut lente exsiccentur et durae ac albae evadant. Serventur in vitro epistomio vitreo et vesica bubula probe munito.

V. ROTULAE PECTORALES.

Rec. Sacchari albi clarificati et in consistentiam tubulandi cocti unciae sex,

supra ignem liquatis, dein ab igne remotis et nonnihil refrigeratis addantur

Pulveris gummosi compositi drachmae tres,

Radicis Iridis florentinae uncia una,

misceantur exacte et fiant effundendo lege artis Rotulae. Serventur in vitro clauso.

V. ROTULAE EX SUCCO CITRI.

Parantur ut *Rotulae Berberum.*

SACCHARUM CLARIFICATUM AD CONSISTENTIAM TABULATI COCTUM.

Rec. Sacchari clarificati, seu Syrupi simplicis, quantum volueris, coquatur in sartagine terrea ablata spuma tam diu, donec massa decocta a spathula ei immissa minime destillaverit, sed in filo continuo defluxerit aut si aliquid cum spathula celeriter in Aerem projicitur, illud formam tenuissimae membranae aut telae araneae acquirat; ab igne tunc removetur, additur parva quantitas Spiritus Vini rectificati, agitatur spathula tamdiu, donec Saccharum ad latera vasis opacum fieri incipiat, quod emoriri vulgo *das Absterben des Zuckers* vocatur, servetur in vitro exacte clauso. Adhibetur ad varios Syrupos.

☉ SACCHARUM SATURNI.

Rec. Cerussae in laminis seu Schiferae albae non adulteratae, quantum volueris,

affundatur Acetum Vini concentratum ad aliquot digitorum eminentiam; digerantur in balneo arenae in vase vitreo per tres aut quatuor dies, saepius Liquorem agitando, qui clarus dein decantatur, novumque Acetum affunditur, quod, digestione peracta, ut prius decantatur, hicque labor eo usque repetatur, donec Acetum sapore dulci infici desinat. Hi omnes Liquores commisti, filtrentur, et igne lento evaporentur ad Syrupi ferme spissitudinem et concrescent in loco frigido Crystalli albae aciculares, quae

in

in filtro ex charta alba bibula siccentur et in vitro exacte clauso serventur.

V. ⊙ SAL ACETI ODORIFERUM.

Rec. Salem medium ex Aceto et Soda natum,
(vide in *praeparatione Alcoholis Aceti*, seu *Aceti concentratissimi*) et ad siccitatem evaporatum, immitte in exiguam lagenam vitream, ita, ut una tertia pars lagenae hoc Sale medio repleta sit; addantur dein aliquot guttae Olei Vitrioli concentrati et illico epistomio vitreo et vesica bubula duplici bene obturetur. Servetur in loco frigido.

SAL ACIDUM PHOSPHORI PURUM SOLIDUM.

Libris duodecim Aquae communis in aheno stanneo super leni igne calefacto et debita cautione cum
Olei Vitrioli concentrati libra una mixtis,
inspergantur sensim
Ossium ad albedinem calcinatorum et in Pulverem redactorum librae tres,
agitetur miscela baculo vitreo, filtretur per linteum, et residuum in filtro Aqua calida penitus edulcoretur. Omne fluidum hoc in aheno stanneo usque ad libras quatuor evaporatum et iterum filtratum, ope Salis volatilis Salis Ammoniaci sicci in Aqua soluti perfecte saturatur et paulo supersaturatur; terraque praecipitata per filtrum separata et perfecte edulcorata, Liquor acidus in patina porcellanea usque ad consistentiam Mellis evaporatur. *Una pars* hujus Liquoris filtratur et crystallisatur, nascentur Crystalli prismaticae erit *Sal alcali volatile phosphoratum*, seu *Sal fusibile microcosmicum* servetur in vitro epistomio vitreo et vesica bubula duplici munito. *Altera pars* hujus Liquoris ad Mellis consistentiam evaporata et filtrata immittitur crucibulo terreo, ita ut tertia pars hujus vacua maneat, leni igne calefacto, agitatur ad praecavendum transcensum constanter baculo vitreo vel terreo, donec massa, igne sensim aucto, non amplius spumet sed quiete fluat; et tandem quod plerumque post duas horas contingit, crucibulum una cum Massa perfecte candescat; tunc Massa effunditur in calefactam laminam ferream Stanno obductam, et sic obtenta *substantia alba, vitrea, pellucida*, valde *acida* humorem avare ex Aere attrahens, quae est *Sal Acidum Phosphori purum solidum*, adhuc calide in frusta contunditur, et in vitro sicco et calefacto epistomio vitreo et duplici vesica bubula munito servetur.

SAL ACIDUM PHOSPHORI PURUM LIQUIDUM.

Rec. Salis Acidi Phosphori puri solidi, quantum volueris,
immittatur patinae vitreae, antea in Pulverem in mortario vitreo contusum, exponatur Aeri libero in loco frigido et humido; Sal in Liquorem liquefactum, et filtratum servetur in vitro exacte clauso.

SAL

SAL ALCALI MINERALE CAUSTICUM CRYSTALLISATUM.

Rec. Lixivii caustici mineralis quantum volueris,
vasi ferreo immissum super igne usque ad cuticulam evaporetur, primo frigore nascentur Crystalli Salis alcali mineralis aerati, seu mites, dein vero Lixivium superstes filtratur, et de novo evaporatur et tunc frigore nascentur Crystalli Salis alcalini mineralis caustici forma tabularum magnarum, tenuium, glaciei pelluciditate similes, hoc vero solummodo hyemali tempore contingit. Crystallisatio Salis alcalini caustici vegetabilis etiam hoc modo aestate perficitur.

SAL ALCALI MINERALE CAUSTICUM SICCUM.

Rec. Lixivi caustici mineralis, quantum volueris,
vasi ferreo immissum super igne et sub continua agitatione cum spathula lignea, ad siccitatem evaporetur. Sal siccum calidum adhuc ex vase exemtum servetur in vitro optime clauso antea siccato et calefacto.

⊙ SAL ALCALI MINERALE FIXUM PURUM.

Rec. Salis mirabilis crystallisati,
Aquae communis bullientis ana librae septem cum semisse,
in sartagine terrea non vitreata, vel lapidea, solutis, statim infundatur sequens solutio adhuc calida et antea parata:
Cinerum clavellatorum depuratorum,
Aquae communis bullientis ana librae quinque,
soluta filtrentur. Haec Salium miscela per 3 dies vase tecto in cella seponatur, postea Liquor supernatans decantetur, omneque liquidum remanens, ab adhaerente fundo vasis Tartaro vitriolato, per lenem expressionem et filtrationem separetur, et Liquori decantato addatur. Liquor obtentus, in vase porcellaneo vel vitreo ad cuticulam evaporetur, postea iterum per sex dies ad crystallisandum in cella seponatur, et Tartarus vitriolatus denuo obtentus a Lixivio separetur; Lixivium vero rursus ad cuticulam evaporatum pluribus ingeratur vasis evaporatoriis bene tegendis et in loco calido ad crystallisandum seponatur, (quae crystallisatio, per admixtionem nonnullarum crystallorum Salis Alcali mineralis antea parati, optime promovetur). Crystalli obtentae a Lixivio residuo separentur et in Aquae communis bullientis dupla quantitate solvantur, solutio filtretur et lege artis crystallisetur. Tunc Crystalli, simulac liquidum iis adhaerens defluxerit, statim in vitro arctissime claudendo serventur sub nomine *Salis alcali mineralis fixi puri.* Omnis obtentus Tartarus vitriolatus Aqua frigida abluatur, et super charta cribro imposita extensus exsiccetur. Lixivium a crystallisatione Salis alcali mineralis remanens in alia hujus Salis praeparatione adhiberi potest.

N. P. Sint Crystalli vitreae, longe rhomboidales vel columnares, saporis alcalini, minus vero tam acris, quam in alcali vegetabili fixo; in Aere libero minime liquescentes, sed statim colorem al-

album farinosum induentes et postea in Pulverem fatiscentes niveum. Sal alcali minerale notas exhibeat generaliores Salis alcali fixi; in dupla quantitate Aquae communis frigidae penitus solvatur, ex ejus solutione aquosa quodlibet Acidum nihil praecipitet terrei. Ejus solutio aquosa et cum Aceto Vini concentrato saturata ab admixtione Terrae ponderosae salitae minime turbetur, sin minus, Sale vitriolico contaminatum est *Alcali minerale*, etiam ab instillata Solutione Argenti in Spiritu Nitri facta nil praecipitetur, alioquin Sali muriatico vitiatum est, si vero ab instillata Salis essentialis Tartari solutione aquosa turbetur, Sale alcali vegetabili adulteratum est.

SAL ALCALI MINERALE PHOSPHORATUM, seu SODA PHOSPHORATA, seu SAL PERLATUM.

Rec. Salis Acidi Phosphori puri liquidi, quantum volueris,
Salis Alcali mineralis fixi puri Aqua soluti, quantum satis,
ut perfecta fiat saturatio, (imo plus Salis alcali mineralis requiritur ut crystallisabile fiat), evaporatione, filtratione calida et crystallisatione subsequente, obtinentur Crystalli rhomboidales; repetitur Lixivii evaporatio et crystallisatio; ultimo vero remanet Lixivium fuscum, quod potissimum ex Soda, seu Alcali minerali majori quantitate ad supersaturationem addita constat.

N. P. Sint Crystalli rhomboidales, Aquae 1½ parte fervidae facile solubiles, saporis grate salsi, nullo modo amari, hinc loco Salis amari purgantis adhibetur. Aere Crystalli in Pulverem fatiscunt et igne sine ulla mutatione principiorum in massam vitream mutantur, quae eodem modo, ut Crystalli adhiberi potest.

DOSIS. A drachma una ad drachmas sex.

SAL ALCALI VOLATILE PHOSPHORATUM, seu SAL FUSIBILE MICROCOSMICUM.

Vide ejus praeparationem sub praeparatione *Salis Acidi Phosphori puri solidi.*

⊙ SAL AMMONIACUM ACETOSUM, seu SPIRITUS MINDERERI FORMA SICCA.

Rec. Cretae albae praeparatae libra una,
Aceti Vini concentrati sufficiens quantitas,
ut ab ejus successiva affusione Creta penitus saturetur, caveatur autem, ne Creta nimis parum saturetur, sed ut Acidum Aceti aliquo modo adhuc exsuperet; postea solutio in vase evaporatorio ad siccitatem usque evaporetur. Hoc Sal acetosum calcareum cum aequali pondere Salis Ammoniaci depurati pulverati in mortario vitreo misceatur, miscela deinde retortae im-

immittatur capaci et vitreae cum collo lato calefactae, balneo arenae imponenda, adglutinato recipienti amplo, subministretur ignis lenis, ita, ut pars inferior recipientis non valde calida fiat, transit primo liquidum aquosum, quod effundatur, si hoc transire cessat, et, excipulo denuo adglutinato, ignis successive augeatur, et in fine fortis sit, usque dum nullae amplius nebulae ascenderint, et sublimatio finita fuerit. Crystalli forma alborum floccorum, vasis refrigeratis, ex parte retortae superiori et ex recipiente eximantur et vitro antea calefacto immittantur, postea epistomio vitreo et vesica bubula claudendo, et in loco sicco ac calido servando.

N. P. Sint Crystalli limpidae, albae, odoris subdulcis, pungentis pomacei, saporis pungentis et suburentis, in Aere liquescentes et in Aqua et in Alcohole Vini solubiles. Hujus Salis solutio in Spiritu Vini ex instillato Lixivio Salis alcali vegetabilis odorem spargat Salis alcali volatilis, ex instillatione autem pauci Olei Vitrioli odorem Aceti; et admixtio Salis Tartari crystallisati nullum praecipitet Cremorem Tartari.

DOSIS. Est a granis 15 ad 30. Vires possidet antispasmodicas et diaphoreticas; est optimum, blandum et certissimum nostro corpori convenientissimum sudoriferum, praecipue cum regimine calido et potu diluente calido junctum. Cum regimine frigido vero efficaciter diuresin movet.

V. ⊙ SAL AMMONIACUM DEPURATUM.

Rec. Salis Ammoniaci crudi, quantum volueris,
solve in
Aquae communis calidae sufficienti quantitate;
solutio filtretur et evaporetur ad cuticulam, ponatur in locum frigidum ut in Crystallos coeat; nascentur Crystalli aciculares nivei coloris, quae exsiccatae serventur in vitro probe clauso. Pergatur in evaporatione Lixivii reliqui, donec nihil amplius crystallisetur.

V. ⊙ SAL COMMUNE DEPURATUM.

Paratur ut *Sal Ammoniacum depuratum.*

⊙ SAL CORNU CERVI VOLATILE SICCUM.

Vide sub praeparatione *Olei Cornu Cervi empyreumatici*, seu *foetidi.*

V. ⊙ SAL ESSENTIALE TARTARI, seu ACIDUM TARTARI CRYSTALLISATUM.

Rec. Crystallorum Tartari pulveratorum librae tres,
aheno stanneo vel crupreo, ast Stanno probo rite incrustato immissis, superaffundantur
Aquae communis destillatae librae quindecim,

co-

coquantur per horam vel ad solutionem, tunc sensim et per vices admisceantur sub continua agitatione

Cretae praeparatae quantum satis,

ad plenariam saturationem, ex cessatione effervescentiae et ex colore Tincturae Laccae coeruleae per admixtionem Liquoris saturandi minime mutato percipiendam, quae libram circiter unam postulaverit; coctio per aliquot minuta adhuc protrahatur, postea vas ab igne removeatur et per horae dimidium quiescat. Liquor sedimento supernatans caute decantetur et in aliud vas stanneum vel Stanno puro obductum effundatur; sedimentum sive Selenites tartareus, vel Tartarus calcareus pluries Aquae communis destillatae libris duabus edulcoretur, donec Aqua nullum amplius obtineat saporem acidum, et omnes elixationes Tartarum tartarisatum continenti Liquori primo decantato affundantur. Liquores mixti filtrentur et super leni igne ad siccitatem evaporentur, quo labore *Tartarus tartarisatus* bonae notae obtinetur. Residuum sive Selenites tartareus, sepositis antea tribus circiter ejus unciis, in vas vitreum immittatur, et huic sensim et per vices superfundatur

Olei Vitrioli concentrati puri libra una,

antea debita cautela cum

Aquae communis libris octo diluti;

massa haec commixta spathula lignea saepius subigenda, in balneo arenae per viginti quatuor horas digeratur. Liquor supernatans Acidum Tartari continens provide decantetur et Residuum terreum linteo sacculo includatur et prelo ligneo subjiciatur, expressusque Liquor decantato addatur, postea residuum ex sacculo exemtum, filtro ex charta bibula alba panno linteo superimposita constructo committatur et Aqua communi destillata eo usque superfundatur, donec Aqua sine omni sapore acido defluxerit. Abjecto residuo sive Gypso, Liquores tam ex decantatione quam ex edulcoratione obtenti et invicem mixti et vasis vitreis immissi, ad tenuem cuticulam evaporentur, et per tres circiter dies loco frigido reponantur, ut Selenitidis reliquiae fortasse adhuc inhaerentes, forma crystallina ex iis deponantur; quo facto per chartam bibulam albam et mundam filtrentur, et examinentur an iis adhuc inhaereat Terra calcarea, quod detegitur, si his solutio Acidi Sacchari instillatur; turbidi enim fiunt et lactei coloris, si vero pellucidi manent, ab hac liberi erunt; vel an iis adhuc Acidum Vitrioli inhaereat. Quo fine parvae Liquoris dicti portioni instillentur aliquot guttulae Aceti Lithargyrii, si praecipitatum exinde ortum album, ab affuso Spiritu Nitri minime solutum fuerit, nec Liquor inclaruerit sed turbidus manserit, indicium est Acidum Vitrioli ipsi adhuc inhaerere, cui vitio mederi potest, diluendo Liquorem Aqua communi destillata et ipsi addendo tantum Selenitidis tartarei antea sepositi, quantum liberatio Liquoris ab Acido vitriolico poposcerit, Liquor agitetur, per diem digeratur ac iterum filtretur. Liquor ab Acido Vitrioli plane liber in vase vitreo cum Carbonum praeparatorum uncia una et aliquot carbonibus adhuc integris lento igne ad Syrupi tenuioris consistentiam evaporetur, tunc per manicam linteam coletur et in loco frigido ad crystallisationem ponatur. Reliquus post primam crystallisationem Liquor denuo inspissetur et ad crystallisandum reponatur,

usque dum omne Acidum abierit in crystallos, quae leni calore super chartam albam siccentur et postea in vasis vitreis obturatis serventur.

N. P. Crystalli utplurimum rhomboidales, foliatae, extremis acutis, sint albae, nitidae, siccae, saporis acris, grate acidi, in Aere persistentes, ac in Aquae portione anatica solubiles. Ex instillatis aliquot guttulis Aceti Lithargyrii hujus Salis solutioni aquosae ortum sedimentum in Spiritu Nitri solvatur.

DOSIS. Grana decem, ad triginta.

SAL SUCCINI VOLATILE.

Vide sub praeparatione *Olei Succini empyreumatici*, seu *foetidi.*

V. ⊙ SAL TARTARI, seu ALCALI VEGETABILE PURUM.

Rec. Tartari crudi, quantum placet,

involvatur in sacculos conicos ex charta papiracea firma confectos, et Aqua humectatos, ponantur cum Carbonibus stratum super stratum in furnum, accendatur ignis et comburatur Tartarus tamdiu, donec nullus fumus amplius ascendat; residuum Aqua fervida solvitur, filtratur et evaporatur ad siccitatem, Sal siccus calcinetur in crucibulo puro fortiter, ita, ut ex albo candescat; denuo solvatur Aqua fervida, filtretur et evaporetur ad siccitatem, Sal siccus et calidus adhuc immittitur in vitrum calidum, quod epistomio vitreo exactissime clauditur, Cera superfunditur et duplici vesica bubula munitur. Servetur sub nomine Salis Tartari, seu Alcali vegetabilis puri.

⊙ SAL VOLATILE SALIS AMMONIACI SICCUM.

Rec. Pulveris Salis Ammoniaci depurati siccissimi et calefacti libra una,
Pulveris Salis Tartari depurati siccissimi et calefacti librae duae,

retortae capaciori siccissimae calefactae, colli amplioris immittantur et crebra versatione et concussione retortae perfectissime misceantur, retortae balneo arenae impositae excipulum parvum adglutinetur vesica bubula madida. Tunc subministretur ignis primo lenis, qui inferiorem excipuli partem vix calidam reddat, valde gradatim augendus, usque nullum amplius Sal sublimetur, tum ignis augeatur, ac si nullum amplius Sal siccum sublimatum fuerit, ignis auferatur, et vasis refrigeratis, *Sal volatile* eximatur et in pluribus vitris, epistomio vitreo munitis ac vesica bubula clausis, servetur. Residuum in retorta Aqua solutum, evaporatum et crystallisationi commissum est *Sal digestivum* seu *febrifugum Sylvii.*

N. P. Sit Sal albissimus, siccissimus, odoris fortis volatilis, saporis pungentis, calidi, urinosi; in cochleari candenti super igne statim

tim et in Aere libero successive avolet, in Aqua facile solvatur, minime autem in Alcohole Vini. Obturaculum Aceto, vel Spiritu Nitri vel Spiritu Salis madefactum et supra Sal volatile detentum vaporibus circumdetur albis.

SAPO ACIDUS.

Rec. Olei Olivarum Virginei unciae octo,
mortario vitreo amplo immissis, admisceantur succesive ac parvis portionibus sub perpetua agitatione, cum pistillo vitreo et ita, ut nova portio Olei Vitrioli prius non adfundatur, quam incalescentia a priori affusione remiserit, alias Oleum in Carbonem mutatur,
Olei Vitrioli concentrati seu rectificati albi unciae quinque,
durante admixtione massa condensatur, intumescit et coeruleas emittit bullas, tribus diebus praeterlapsis autem quieta redditur, coloremque induit albidum praecipue si Aeri libero et simul frigido exposita fuerit, tunc Acidum superfluum decantatur, Massa de novo conteritur donec albida et solida fiat; tunc affunditur Aqua destillata communis tepida, quae affusio tamdiu reiteranda, donec Aqua defluens Tincturam Laccae coeruleae non amplius rubro imbuerit colore, et Sapo lege artis perfecte edulcoretur. Sapo denique in vase vitreo optime clauso servetur.

N. P. Sit solidus, albidus, saporis dulcis, cum Aqua fervida lactescens, in Alcohole Vini et Liquore Anodyno plane solubilis, nec ab Acido minerali nec a vegetabili decomponendus. A Spiritu Salis Ammoniaci caustico et a Lixivio caustico in gelatinam solvatur cum Aqua communi miscibilem; ab affuso Lixivio Salis alcalini vegetabilis minime decomponatur, nisi mediante coctione, qua Decoctum evadat turbidum. Caloris ope cum Gummatibus, Syrupis, Oleis aethereis et expressis, Balsamis, Vitello ovorum etc. sit miscibilis.

NOTA. Blandiori modo vires solventes exserit. Exhibetur a granis decem ad drachmam unam.

⊙ SAPO CACAO, seu SAPO VEGETO - MINERALIS.

Rec. Butyri Cacao libra una,
Salis alcali mineralis caustici unciae quatuor,
Aquae communis libra una,
mixta coquantur in vase ferreo sub leni igne et perpetua agitatione cum spathula lignea, donec massa coire inceperit, tunc sensim et per vices, coctione et agitatione nunquam interrupta, affundantur adhuc
Aquae communis unciae octo,
et protrahatur coctio et agitatio, usquedum massa gustata nullum amplius causticum exhibeat saporem, et ejus portiuncula exemta in Aquae communis destillatae calidae sufficiente quantitate soluta, nullas in Aquae superficie Olei guttulas formet. Sapor massae adhuc causticus ulteriorem poscit

coctionem et Oleum solutioni aquosae supernatans postulat, ut
Salis mineralis caustici unciae duae,
Aquae communis unciae quatuor,
successive admisceantur. Quodsi tandem coctione, agitatione, et admixtione Salis caustici ulterioris sapor causticus disparuerit, nullum Oleum solutioni aquosae innataverit, ac massa pellucida et gelatinosa evaserit; tunc per vices drachmae duae Salis communis pulverati admiscendae sunt massae, donec in portiuncula ejus exemta et disco imposita Lixivium promptissime a Sapone coagulato secedat, quo facto vas ab igne remotum ad refrigerationem seponatur, et tandem Sapo supernatans provide eximatur lenissimoque calore exsiccetur. Servetur in vase vitreo vel porcellaneo optime clauso.

NOTA. Hic Sapo omnibus aliis praeferendus pro usu interno, cum sit purissimus, nullo modo causticus sed maxime blandus, nec rancidus. Exhibetur a granis decem ad drachmam unam. In pertinaci alvi obstructione a drachmis duabus ad unciam semis in infuso Florum Chamomillae vulgaris solutus hic Sapo emolliendo et resolvendo egregias vires exserit.

⊙ SAPO JALAPPAE.

Rec. Resinae Jalappae purae,
Saponis Alicantini ana uncia una,
Spiritus Vini rectificatissimi unciae octo,
solvantur in vase vitreo, solutio filtretur et in vase evaporatorio leni calore ad siccitatem evaporetur. Massa obtenta in vase vitreo vel porcellaneo optime obturato servetur.

N. P. Sit consistentiae solidae, e bruneo nigrescens, tactui saponacea, et in sextupla quantitate Aquae destillatae calidae penitus solubilis in Tincturam brunescentem.

DOSIS. Pro adultis est, grana decem ad scrupulum unum cum Sacchari albi drachma semis aut una. Est egregium purgans et Resina Saponi juncta tormina nulla excitat, quod alio modo exhibita non contingit.

V. ⊙ SEBUM CERVINUM DEPURATUM.

Paratur ut *Axungia Porcina depurata*.

V. ⊙ SEBUM VERVECINUM DEPURATUM.

Paratur ut *Axungia Porcina depurata*.

V. ⊙ SODA DEPURATA.

Rec. Sodae hungaricae, quantum volueris,
calcinetur igne valido, donec odor sulphureus evanuerit, solvatur in sufficien-

cienti quantitate Aquae fontanae, filtretur et evaporetur ad siccitatem; Sal siccus candescat de novo in crucibulo hassiaco puro, solvatur iterum Aqua, filtretur, et Lixivium evaporatione et refrigeratione repetita crystallisetur. Crystalli magnae columnares octo aut sex laterales cum apicibus duobus oppositis obliquis siccatae in vitro exactissime obturato serventur.

SODA TARTARISATA, seu SAL POLYCHRESTUM DE SEIGNETTE, seu ALCALI MINERALE TARTARISATUM.

Rec. Sodae depuratae libra una,
Aquae communis librae sex,

solvantur super leni igne in vase vitreo vel porcellaneo vel stanneo, et solutioni immittatur successive parvis portionibus ac perpetua sub agitatione
Cremoris Tartari quantitas sufficiens,

usque dum Soda perfectissime evaserit saturata, tunc solutio filtretur et in vase porcellaneo vel genuine stanneo eousque evaporetur, donec gutta ejus laminae metallicae instillata crystallisetur; tunc adhuc calida iterum per chartam bibulam albam duplicatam filtretur, et vasi vitreo vel porcellaneo plano ingesta, crystallisationi in loco frigido committatur. Ultimae Lixivii portiones, quando non amplius in crystallos abierint, vas evaporatorium loco calido imponatur, et Lixivium remanens evaporationi ac crystallisationi spontaneae committatur. Crystalli magnae, quadrangulares, pellucidae, in Aere in Pulverem fatiscentes in vase vitreo optime contra accessum Aeris munito serventur.

SOLUTIO PHOSPHORI ANIMALIS, seu OSSIUM, seu KUNKELII.

Rec. Phosphori Animalis, seu Ossium, seu Kunkelii solidi, optimi, non nimis vetusti scrupuli duo,
Camphorae drachmae sex cum scrupulis duobus,

(*quia ad granum unum Phosphori solvendum decem grana Camphorae requiruntur*).

Olei essentialis Caryophyllorum aromaticorum non adulterati unciae duae;

Camphora in mortario marmoreo cum aliquot guttis Olei Caryophyllorum teratur ad solutionem hujus, dein addatur sensim sensimque Phosphorus antea in parva frustula cum forfice discissus adhuc in Aqua jacens, terantur invicem tamdiu, donec integra praescripta quantitas Phosphori addita fuerit, interea semper affundendo etiam reliquam quantitatem Olei Caryophyllorum praescriptam, donec omnia exactissime unita et Phosphorus perfectissime solutus sit; servetur haec Solutio Phosphori in parva lagena vitrea epistomio vitreo munita et vesica bubula duplici obturata in loco frigido.

N. P. E tali miscela fluidum exsurgit oleosum, parumper fumans, neque Aquae nec ullo humido miscibile, in tenebris lucem spargens, et corpori humano magnopere homogeneum. Et haec est optima Phosphori solutio, quoniam hic Camphorae commixtus fu-

fumat quidem, sed flammam non concipit, nec Camphoram accendit, sed solummodo eam lucidam reddit, quae postea una cum Phosphoro, Oleo Caryophyllorum optime liquatur. Evadit itaque ni fallor, remedium hac encheiresi quam maxime analepticum et certe tutius, commodiusque solido Phosphoro aegris propinatur. Hujus solutionis guttae duodecim circiter unam quartam partem grani Phosphori soluti continent.

DOSIS. In quacunque aetate exordiendum est a minima portione, quae haud melius excipitur, exhibeturque, ac a Saccharo. Infantibus una alterave gutta propinanda est. Adolescenti quindecim, aut viginti annorum sex vel octo guttulae. Mediae aetatis hominibus decem vel duodecim. Sexagenario vel septuagenario homini quindecim vel viginti, imo et necessitate impellente triginta et ultra. Quae doses modo quotidie, modo ternis quaternisque diebus dentur, prout symptomata, circumstantiaeque aegritudinis indicaverint eas esse vel augendas vel minuendas: cujus rei judicium pendet a medentis prudentia. Est enim remedium summe analepticum, antispasmodicum, resolvens et diaphoreticum, cujus egregias vires, si rite adhibeatur, observationes plurium annorum docuerunt. Adhibetur praesertim ubicunque cum affectionibus a lentescente humore, a spirituum defectu, a laxitate solidorum, ab insensilium vasorum obstructione, a virium vitae ex aetate aut morbosa oppressione, destitutioneve ortum trahentibus esset pugnandum. Sic profuit in morbis ex similibus causis ortis spasmodicis et convulsivis, ut in convulsionibus, tetano, epilepsiae quibusdam speciebus, apoplexia serosa praemissis praemittendis, in paralysi, asthmate pituitoso senum, in gangraena senili; praeterea in febribus acutis exanthematicis et his ob vires exhaustas non rite procedentibus, aut his retropulsis; in summa virium prostratione, ita in partu difficili ob vires exhaustas, situ infantis naturali, absente haemorrhagia, vires egregie restaurat et hoc modo partum promovet etc.; ab hujus vero remedii usu, nisi victo morbo, abstinendum non est.

SPECIES DECOCTI ALBI.

Rec. Rasurae Cornu Cervi librae duae,
Pulveris Gummi arabici unciae tres,
misceantur, serventur in vase clauso.

V. ⊙ SPECIES DECOCTI ALTHAEAE COMPOSITAE.

Rec. Radicis Althaeae unciae octo,
Liquiritiae unciae tres,
Pimpinellae albae uncia una cum semisse,
Graminis,
Ononidis,
Herbae Althaeae,
Malvae ana unciae duae,

Flo-

Florum Chamomillae vulgaris uncia una cum semisse,
Seminum Petroselini uncia semis,
Radices, Herbae et Flores concindantur, Semina contundantur et postea optime mixta serventur in vase bene clauso.

V. ⊙ SPECIES DECOCTI ALTHAEAE SIMPLICES.

Rec. Radicis Althaeae,
Herbae Althaeae ana librae duae,
Radicis Liquiritiae unciae quatuor,
concindantur et mixta serventur.

SPECIES DECOCTI APERITIVI.

Rec. Radicis Saponariae rubrae unciae quatuor,
Graminis,
Althaeae,
Liquiritiae,
Herbae Saponariae ana uncia una,
Foliorum Sennae Alexandrinae unciae tres,
Florum Chamomillae vulgaris uncia una,
Seminis Anisi vulgaris drachmae sex,
concindantur et postea optime mixta serventur in vase bene clauso.

⊙ SPECIES DECOCTI LIGNORUM.

Rec. Rasurae Ligni Guajaci librae duae,
Ligni Juniperi,
Turionum Pini ana libra una,
Radicis Liquiritiae libra semis,
concisa, mixta serventur in vase bene clauso.

V. ⊙ SPECIES DECOCTI PECTORALES DEMULCENTES.

Rec. Specierum Decocti Althaeae simplicium librae duae,
Florum Verbasci,
Rhoeados ana unciae sex,
concisa, mixta, serventur.

V. ⊙ SPECIES DECOCTI PECTORALES RESOLVENTES.

Rec. Herbae Marrubii albi unciae duae,
Hyssopii uncia una,
Florum Arnicae uncia semis,
Radicis Enulae,
Stipitum dulc-amarae ana uncia una,
Seminum Foeniculi dulcis uncia semis,

Ra-

Radices et Herbae concindantur, Semina contundantur et postea optime mixta serventur in vase bene clauso.

V. ⊙ SPECIES DECOCTI PURIFICANTES.

Rec. Radicis Saponariae rubrae librae tres,
Bardanae,
Lapathi acuti,
Liquiritiae ana libra semis,
Seminum Foeniculi dulcis uncia semis,
concisa, contusa, mixta serventur.

SPECIES FUMALES COMMUNES.

Rec. Baccarum Juniperi,
Olibani,
Rasurae Succini ana unciae quatuor,
Corticis Cascarillae unciae duae,
contundantur in mortario lapideo in Pulverem grossum, et perfecte mixtis, servetur Pulvis grossus in vitro clauso.

SPECIES FUMALES ODORATAE.

Rec. Caryophyllorum aromaticorum uncia una,
Benzoes unciae duae,
Styracis vulgaris unciae quatuor,
Corticis Cascarillae unciae duae,
Olibani unciae septem,
contundantur in mortario lapideo in Pulverem grossum, perfecte mixtis, servetur Pulvis grossus in vitro exacte clauso.

V. ⊙ SPECIES NERVINAE EXTERNAE, seu CEPHALICAE RESOLVENTES.

Rec. Florum Arnicae,
Lavandulae ana unciae quatuor,
Herbae Majoranae,
Marubii,
Origani,
Rorismarini,
Salviae ana unciae duae,
Rutae,
Scordii,
Serpilli,
Menthae Crispae ana uncia una,
Herbae et Flores concindantur et postea optime mixta serventur in vase bene clauso.

V. ⊙ SPECIES PRO CATAPLASMATE AUT FOMENTO EMOLLIENTES CONCISAE.

Rec. Radicis Althaeae libra semis,
Herbae Melilothi,
Malvae,
Althaeae,
Florum Chamomillae vulgaris,
Sambuci ana libra una,
Seminum Lini contusorum librae duae,
conscissa, contusa, mixta, serventur.

V. ⊙ SPECIES PRO CATAPLASMATE AUT FOMENTO RESOLVENTES CONCISAE.

Rec. Radicis Saponariae rubrae,
Herbae Marrubii albi,
Herbae Rutae,
Florum Chamomillae vulgaris ana unciae duae,
Florum Arnicae libra una,
conscissa, mixta, serventur.

⊙ SPECIES PRO CLYSMATE CARMINATIVAE.

Rec. Radicis Valerianae sylvestris,
Herbae Menthae piperitae ana unciae duae,
Florum Chamomillae vulgaris libra semis,
Seminum Carvi unciae duae,
Radix, Herba et Flores conscindantur, Semina contundantur et postea optime mixta serventur in vase bene clauso.

SPECIES PRO CLYSMATE RESOLVENTES.

Rec. Radicis Taraxaci,
Saponariae rubrae ana unciae duae,
Herbae Marrubii albi,
Trifolii fibrini,
Saponariae ana uncia una,
Florum Chamomillae vulgaris unciae duae,
Furfurum Tritici unciae novem,
concisa, mixta, serventur.

SPECIES PRO GARGARISMATE ADSTRINGENTES.

Rec. Herbae Plantaginis,
Agrimoniae ana unciae quatuor,
Salviae unciae tres,

Florum Rosarum rubrarum damascenarum unciae duae, concisa, mixta, serventur.

V. ⊙ SPECIES PRO GARGARISMATE EMOLLIENTES.

Rec. Herbae Althaeae,
Malvae,
Foliorum Verbasci ana libra semis,
Florum Sambuci drachmae tres,
concisa, mixta, serventur.

SPIRITUS ACIDI.

ACETUM VINI CONCENTRATISSIMUM, seu ALCOHOL ACETI.

Rec. Sodae depuratae quantum volueris,
Aceti Vini concentrati loco destillati quantum satis,
ad perfectam saturationem, evaporentur ad siccitatem, hunc Salem siccum inde in amplam retortam vitream siccam, addatur Olei Vitrioli concentrati puri, seu rectificati albi dimidium ponderis ratione Salis, destillentur in balneo arenae, igne sensim aucto ad siccitatem usque. Acetum concentratissimum in excipulo obtentum, cum addita octava parte Magnesiae vitrariorum pulveratae, denuo ex retorta vitrea in balneo arenae ad siccitatem destilletur et servetur in vitro optime clauso.

SPIRITUS NITRI FUMANS, seu ACIDUM NITRI CONCENTRATUM IMPURUM.

Rec. Nitri puri prismatici exsiccati et pulverisati librae duae, immittantur retortae vitreae tubulatae capaciori, ita ut tertia pars cavitatis retortae solummodo repleatur, instilletur caute sensim sensimque
Olei Vitrioli Nordhusiani fumantis libra una,
per vas separatorium vitreum cum tubo longo incurvato, ita ut collum retortae inde non humidum fiat aut conspurcatum; durante affusione Olei Vitrioli etiam retorta quandoque in gyrum agitur et leniter concutitur, sic valde incalescit et vapores rubicundi ascendunt, qui retortam fere opacam reddunt. Caveatur ne vapores acerrimi e Nitro assurgentes in pulmones proveniant, et applicato excipulo satis magno tubulato juncturisque vasorum optime, linteo supra quod Gypsum madefactum extensum fuit, clausis, protinus destillatio ex balneo arenae et igne moderato instituatur, vapores excipulum primo implentes saturate rubri, denique in Acidum liquidum aeque rubrum coibunt; continuatur destillatio, donec nulli vapores amplius ascendant et excipulum non amplius calidum sit. Peracta destillatione et separato excipulo, Spiritus fumosus per infundibulum sub camino in vitrum siccum, purum, angusti colli et oris infundatur et epistomio vitreo et Cera cum duplici vesica bubula custodito rite servetur.

Si

Si vero adest apparatus Woulfianus primum excipulum vacuum maneat, secundum pro tubo securitatis sit, et in tertio, Aquae destillatae libra semis haereat. Tunc praeter Acidum fumans in primo excipulo, obtinebitur adhuc Acidum Nitri dilutum, seu Aqua fortis simplex in tertio.

Arcano duplicato in retorta residuo Acido vitriolico forte supersaturato, adfunditur Solutio Salis Tartari depurati ad perfectam saturationem, dein addita Aqua filtratur, evaporatur, in crystallos redigatur et servetur.

N. P. Spiritus Nitri fumans, seu Acidum minerale ex Nitro per Acidum Vitrioli expulsum, fluidum, si concentratissimum et purissimum, coloris quidem aquei, communiter vero rubri et tractu temporis viridescentis vel fusci, confestim vapores emittit rubros, qui etiam superius vitri vacuum replent et suffocantes, peculiari odore praeditos, Aquae vel Spiritui Vini instillatum strepitum et calorem excitat. Aquam ex Aere attrahit eaque debilitatur et saepe viridescit. Cum quarta parte Aquae mixtum colorem dat viridem, cum aequali coeruleum. Animales substantias v. c. ossa, lanam, sericum, colore imbuit flavo. Olea aetherea multa et unguinosa incrassat et in Resinae genus mutat cum odore moschatino coloreque bruno, cum Oleis essentialibus Caryophyllorum, Ligni Sassafras, Petroselini, sic et Terebinthinae et Succini flammam concipit. Metalla odore et vapore nitroso solvit vel calcinat. Cum Salibus alcalinis, Terris et Metallis Salia neutra vel media fingit cum inflammabilibus detonantia. Camphoram in Oleum fundit ipsi supernatans. Saepissime Spiritus Nitri fumans Acido Vitriolico vel Acido Salis contaminatus est; Acidi Vitriolici admixtio per turbationem et sedimentum album ex instillata Solutione Sacchari Saturni in Aqua destillata proditur et contaminatio cum Acido Salis eodem modo ex instillatione Solutionis Argenti in Spiritu Nitri. Spiritus Nitri fumans sic depravatus depuratione mox describenda indiget.

SPIRITUS NITRI FUMANS DEPURATUS, seu ACIDUM NITRI CONCENTRATISSIMUM PURUM.

Rec. Salis Tartari depurati exsiccati uncia una cum semisse, retortae vitreae capaciori antea probe purgatae et nonnihil calefactae immissis, adfundatur sensim et parvis portionibus, per infundibulum vitreum rostro incurvato instructum et debita cautione sub camino, ne vapores acidi corrosivi inspirari possint

Spiritus Nitri fumantis librae quatuor,

effervescentia et instillatione Spiritus peracta, retorta balneo arenae imponatur, eique adaptetur excipulum capax, mundum et siccum, subministretur ignis lenis et instituatur destillatio; simulac unciae circiter sex abstractae sint, excipulum auferatur, liquidum transgressum, Acidum Salis est Ferro conspurcatum, ad medicos usus ineptum. Examinetur, an Acidum porro transiens ex instillata Solutione Argenti in Acido Nitri adhuc turbetur, qua turbatione adhuc persistente, destillatio in primum excipulum tamdiu con-

tinuetur, donec ex dicta instillatione solutionis Argenti neque ulla excitetur turbatio in Acido destillante; si hoc clarum manet tunc aliud excipulum aeque mundum ac calefactum Gypso madefacto supra linteum extenso adglutinetur, et abstractio leni igne eo usque protrahenda est, donec unciae circiter quatuordecim cum semisse transgressae fuerint, quae Acidum Nitri praebent concentratissimum purum. Vasis refrigeratis, ex excipulo ablato Acidum abstractum Nitri concentratissimum purum, dicta cautione sub camino contra vapores acerrimos, mediante infundibulo vitreo effundatur in lagenam vitream angusti colli et orificii, siccam ac purissimam, quae epistomio vitreo et Cera arctissime obturanda est et duplici vesica bubula custodienda.

N. P. Sit coloris rubelli, vapores emmittens rubros, nec ab instillatione Argenti nitrosi, nec Terrae ponderosae salitae turbetur vel sedimentum deponat.

V. ⊙ SPIRITUS NITRI FORTIS, seu AQUA FORTIS DUPLEX, seu AQUA FORTIS PRAECIPITATA.

Rec. Aquae communis destillatae libra una,
cucurbitae vitreae ingeratur et successive parvis portionibus et debita cautione ei instilletur
Spiritus Nitri fumantis depurati libra una,
mixtione peracta, in vase vitreo epistomio vitreo, Cera superfuso et duplici vesica bubula clauso servetur.

N. P. Sit coloris e viride coerulei, ab instillatione Argenti in Acido Nitri soluti, nec ab Terra ponderosa salita in Aqua soluta et instillata turbetur.

V. ⊙ SPIRITUS NITRI VULGARIS, seu TENUIOR, seu AQUA FORTIS SIMPLEX, seu ACIDUM NITRI DILUTUM.

Rec. Spiritus Nitri fortis, seu Aquae fortis duplicis libra una,
cucurbitae vitreae ingeratur, eique successive et crebra sub agitatione admisceatur
Aquae communis destillatae libra una,
admixtione finita, in vase vitreo epistomio vitreo et vesica bubula clauso servetur.

N. P. Sit coloris aquei, nec ab instillatione Terrae ponderosae salitae, nec Argenti in Acido nitroso soluti turbetur.

SPIRITUS SALIS FUMANS, seu SPIRITUS SALIS CONCENTRATUS IMPURUS.

Rec. Salis communis depurati, decrepitati, exsiccati et pulverisati librae duae,

im-

immittantur retortae vitreae, melius terreae, tubulatae cautionis causa cum operculo mobili calefactae, dein miscela antea separatim facta ex

Olei Vitrioli fumantis libra una, et
Aquae communis destillatae libra una;

(Oleum Vitrioli per vices Aquae instillatur), haec miscela antea refrigerata, instilletur pededentim Sali communi in retorta contento ope vasis separatorii, ut in praeparatione Spiritus Nitri fumantis dictum fuit; adaptetur, quod antea melius fit, excipulum magnum tubulatum commissuris, linteo supra quod Gypsum Aqua humectatum extensum fuit, probe lutatis ex balneo arenae igne primo lenissimo postea gradatim augendo instituatur destillatio, donec nulli amplius vapores in excipulum transeant.

Si vero adest apparatus Woulfianus, tunc Oleum Vitrioli sine Aqua adfundatur Sali communi, et primum excipulum pro tubo securitatis sit, in secundo autem et tertio haereant utrobique

Aquae destillatae unciae tres,

vasis refrigeratis, excipulo ablato, Spiritus Salis fumans seu Spiritus Salis concentratus impurus eadem cautela ut in Spiritu Nitri fumante dictum in lagenam vitream per infundibulum vitreum effundatur siccissimam angusti colli et orificii epistomio vitreo Cera superfusa et vesica duplici bubula claudendam. Quod in retorta residuum est, calcinetur ut bene candescat et sextupla Aquae quantitate solvatur tunc crystallisando largitur *Salem mirabilem.*

N. P. Spiritus Salis fumans seu Spiritus Salis concentratus impurus, Acidum minerale fluidum est Acido Vitrioli ex matrice sua expulsum; si concentratissimum ac purissimum coloris est nullius, hoc vero in hoc processu obtentum communiter est flavescentis, odoris fortis peculiaris quodammodo crocei et saporis singularis, Aeri expositum calidiori vapores emittit elasticos, crassos, albos vel cinereos, valde suffocantes. Aeri expositum nil fluidi attrahit sed potius plenarie avolat; substantias animales et vegetabiles nec in carbones redigit, nec colore flavo imbuit, sed macerat et corrodit. Cum Acido Nitri mixtum Aurum solvit; mediante Magnesia vitriariorum destillatum et phlogisto suo orbatum vocatur *Acidum Salis dephlogisticatum* quod per se sine additamento Aurum solvit, hoc etiam alia Acida mineralia dephlogisticata praestant. Terris alcalinis v. c. Calci vivae, Cretae, deliquescentiae statum conciliat. Maximam affinitatem habet cum Argento, per quod ab omnibus combinationibus separari potest, productum ex conjunctione Acidi muriatici cum Argento genitum, in igne in corneam funditur massam et *Luna cornua* vocatur. Spiritus Salis fumans, qui a Seplasiariis divenditur, mediante argilla destillatur et fere semper Ferro, Cupro et Acido vitriolico inquinatus est, praeterea nimis debilis. Sed etiam Spiritus Salis fumans hoc praescripto processu obtentus interdum Acido vitriolico contaminatus, quod dignoscitur, si admixtio Sacchari Saturni in Aqua destillata Spiritum Salis albide turbidum reddit et sedimentnm ex illo praecipitat album; par-

particulis ferreis inquinatus Spiritus Salis dignoscitur, si antea Sale alcalino vegetabili saturatus Spiritus Salis, a Tinctura Gallarum affusa, colore imbuitur nigrescente. Cum Cupro adulterationem denotat color coeruleus ex admixto Spiritu Salis Ammoniaci caustico.

SPIRITUS SALIS FUMANS DEPURATUS, seu ACIDUM SALIS CONCENTRATISSIMUM PURUM.

Rec. Salis Tartari depurati, siccati, drachmae sex,
retortae vitreae capaciori mundissimae et antea nonnihil calefactae immissis, sensim instillentur per infundibulum vitreum rostro incurvato instructum,

Spiritus Salis fumantis librae duae,
effervescentia et instillatione Spiritus penitus peracta, retorta balneo arenae imponatur eique adaptetur excipulum amplum et exsiccatum, subministretur ignis lenis et instituatur destillatio; unciis vero tribus primo abstractis excipulum auferatur et Acidum transgressum ob conspurcationem cum Ferro rejiciendum est. Aliud excipulum mundum et aeque capax ac siccum adglutinetur, et destillatio leni igne eo usque continuetur, donec unciae circiter septem abstractae fuerint, quae Acidum Salis concentratissimum purum praebent. Vasis refrigeratis, Acidum Salis concentratissimum purum ex recipiente exemtum in lagena vitrea angusti colli epistomio vitreo et Cera arctissime clausa servetur.

N. P. Sit coloris aquei, vapores leniter emittens albos, odoris minus ingrati, ab instillatione Terrae ponderosae salitae minime turbandus, et Aurum foliatum immissum intactum et insolutum relinquens.

⊙ SPIRITUS SALIS ACIDUS VULGARIS, seu TENUIOR, seu ACIDUM SALIS DILUTUM.

Rec. Aquae communis destillatae unciae duodecim,
cucurbitae vitreae immissis, instilleutur succesive

Spiritus Salis fumantis depurati unciae sex,
seponatur miscela per dies aliquot in cucurbita clausa et subinde agitanda, postea in vitro optime clauso servetur.

N. P. Sit limpidus coloris aquei et notis probitatis Spiritus Salis fumantis depurati conspicuus.

V. ⊙ SPIRITUS VITRIOLI CONCENTRATUS DEPURATUS, seu OLEUM VITRIOLI CONCENARATUM DEPURATUM, seu RECTIFICATUM ALBUM.

Rec. Olei Vitrioli Nordhusiani fumantis unciae sedecim,
immittantur retortae vitreae minime suspectae et colli bene inclinati ac talis capacitatis, ut solummodo ejus dimidium repleatur; haec retorta praeterea

sit

sit cupellae proportionata, ita, ut parietes retortae a cupellae parietibus unius tantum digiti spatio undique distent; retorta sic impleta ponatur in balneum arenae; rostrum retortae excipulo immissum non firmetur glutine, ne forte crepet apparatus vaporum elasticitate, sed ejus loco charta tantum obvolvatur, quo facilius excipulum mutari possit; adposito sic recipiente tunc cupella obtegatur patina ferrea, aliove idoneo vase ac subministretur ignis, successive ad sexcentos gradus, quo nempe ebulliat Oleum augendus. Sic ab initio lenioris ignis gradu expellitur phlegma et quidem hoc fiat tardissime, ac in magnis guttis, imminuta vero phlegmatis destillantis quantitate, augeatur ignis, quo pellatur Spiritus Vitrioli dilutus; dum vero et hoc ignis gradu nihil amplius in recipientem transeat, nulli quoque vapores aquosi, aut in collo retortae nullae guttae roris adinstar amplius appareant, augeatur sensim ignis ad gradum caloris sexcentesimum, vel donec Liquor in retorta ebulliat; quo ignis gradu continuetur usque dum Liquor in striis unctuosis cohaerentibus destillare incipiat, quamprimum simul vapores albicantes appareant, qui Acidum concentratum tunc transiturum indicant, illico ignis gradus multum diminuatur, et ablato priori excipulo, aliud excipulum prius calefactum et siccissimum apponatur, ignis autem iterum augeatur ad sexcentesimum gradum, nempe illum priorem, ubi Liquor in striis unctuosis destillare incepit; conservetur nunc talis ignis gradus, ut inter guttarum duarum lapsum octo vel novem numerare possimus; sic omne liquidum abit ex retorta, quod est Oleum Vitrioli concentratissimum purum seu rectificatum album, valde ponderosum, aquei coloris. Vasis refrigeratis, Oleum Vitrioli concentratissimum in lagenam vitream siccissimam transfundatur, epistomio vitreo exacte claudente munitam et insuper Cera ac vesica bubula duplici muniendam. Servetur in loco frigido.

N. P. Sit limpidum, coloris aquei, ponderosum et omnes notas Acidi Vitrioli purissimi et concentratissimi praebeat Parte I, dictas.

⊙ SPIRITUS VITRIOLI PHLOGISTICATUS, seu SPIRITUS SULPHURIS VOLATILIS, seu PER CAMPANAM.

Rec. Olei Vitrioli concentrati rectificati albi libra semis, in hoc extinguantur aliquot prunae candentes eo usque, donec Oleum odorem sulphureum adquisiverit, tum vero Oleum Vitrioli decantatum sensim in cucurbita vitrea

Aquae communis destillatae libris quatuor,

instilletur et saepius agitetur, donec ebullitio et effervescentia cessent, Liquor in vitro epistomio vitreo Cera et vesica bubula munito servetur in loco frigido.

NOTA. Differt hic Spiritus a Spiritu Vitrioli vulgari, ratione odoris sulphurei, et volatilitatis, quae a phlogisto admixto dependent, et ideo etiam longe debilior est, quam Spiritus Vitrioli vulgaris, hinc in febribus, ubi Spiritus Vitrioli vulgaris indicatur, hic copiosius et majori emolumento exhiberi poterit.

V. ⊙

V. ⊙ SPIRITUS VITRIOLI VULGARIS, seu ACIDUM VITRIOLI DILUTUM.

Rec. Aquae communis destillatae librae quatuor,
cucurbitae vitreae immissis instillentur successive et provide
Olei Vitrioli concentrati depurati seu rectificati albi libra una,
admixtione peracta, miscela per aliquot dies in loco frigido seponatur, et subinde ad perfectam unionem agitetur. Servetur in vitro optime clauso.

SPIRITUS ACIDO - DULCIFICATI.

V. LIQUOR ANODYNUS MINERALIS, seu SPIRITUS VITRIOLI DULCIS DESTILLATIONE PARATUS.

Rec. Spiritus Vini rectificatissimi librae quatuor,
phialae altiori et ampliori, epistomio vitreo instructae infusis, per vices guttatim instillentur
Olei Vitrioli Nordhusiani fumantis libra una,
forti post instillationem exorta incalescentia, phiala claudatur et per quadrantem horae sub crebra versatione seponatur, penitus finita instillatione successiva, Liquor per quatuordecim dies, phiala clausa, in loco frigido collocetur et subinde versetur; postea in rstortam vitream infundatur et lege artis ex balneo arenae, lenissimo ignis gradu ita ut Liquor leniter solummodo ebulliat, destillentur librae circiter tres, sive donec nullae amplius in retortae collum et excipulum transierint striae oleosae, vel donec odor sulphureus ex commissuris lutatis percipiendus fuerit, tunc destillatio interrumpenda est, et excipulum, vasis refrigeratis, auferendum. Residuum in retorta, sive *offa* illa *nigra*, ad repetitam Liquoris Anodyni mineralis destillationem adhiberi potest, praevia autem et nova admixtione Alcoholis Vini debita quantitate, ac frigida per plures dies in vase clauso digestione. Liquor destillatus in excipulo contentus super Magnesiae albae calcinatae uncia una lege artis rectificetur et denique in vase vitreo optime clauso servetur.

N. P. Sit limpidus, saporis grati et refrigerantis, minime autem subacidi, odoris suavis, nec sulphurei, omnis deflagrans, Tincturam Laccae coeruleae non rubefaciens, et a Saccharo Saturni in Aqua destillata soluto minime turbetur.

V. ⊙ LIQUOR ANODYNUS MINERALIS, seu SPIRITUS VITIOLI DULCIS SOLA MISCELA PARATUS.

Rec. Spiritus Vini rectificatissimi libra una,
phialae vitreae immissae sensim instilletur
Naphthae Vitrioli spirituosae unciâ una,

mix-

mixta stent per dies quatuordecim quiete in phiala bene clausa, ut plenarie sibi invicem uniantur.

LIQUOR ANODYNUS VEGETABILIS, seu ACETUM DULCIFICATUM SOLA MISCELA PARATUM.

Rec. Spiritus Vini rectificatissimi libra una,
phialae vitreae immissae sensim instilletur
Naphthae Aceti spirituosae uncia una,
mixta stent per dies quatuordecim quiete in phiala bene clausa, ut plenarie sibi invicem uniantur.

NAPHTHA ACETI SPIRITUOSA, seu AETHER ACETOSUS SPIRITUOSUS.

Vide *Naphtham Aceti spirituosam.*

NAPHTHA VITRIOLI SPIRITUOSA, seu AETHER VITRIOLI SPIRITUOSUS.

Vide *Naphtham Vitrioli spirituosam.*

V. ⊙ SPIRITUS FORMICARUM DULCIS.

Rec. Formicarum cum Crysalidibus librae duae,
Spiritus frumenti librae octo,
immittantur cucurbitae vitreae et adplicato alembico excipuloque ac lutatis juncturis permittatur maceratio per viginti quatuor horas, postea instituatur lenissimo igne destillatio, eo usque protrahenda, donec librae quatuor abstractae fuerint. Servetur Spiritus in vitro optime clauso.

V. ⊙ SPIRITUS NITRI DULCIS.

Rec. Nitri prismatici depurati, pulverati et siccati unciae duodecim et drachmae duae,
Magnesiae nigrae pulveratae unciae sex,
cucurbitae vitreae immissis affundatur sequens miscela antea parata:
Spiritus Vini rectificatissimi unciae triginta sex,
his instillentur guttatim et per vices
Olei Vitrioli Nordhusiani fumantis unciae sex,
affusione peracta, imponatur cucurbita balneo arenae, adplicetur capitellum et excipulum, postea per quatuor dies stent in digestione frigida; tunc, commissuris lutatis, subministretur ignis gradum Aquae ebullientis non exsuperans, instituatur destillatio, conservato dicto ignis gradu, eo usque protrahenda, donec Spiritus unciae triginta sex transierint. Vasis refrigeratis eximatur Spiritus dulcificatus et gustetur, Acidum saporem si adhuc exhibuerit, super Magnesiae albae calcinatae uncia una ex retorta denuo abstrahatur. Spiritus saporis acidi plane expers, nec Tincturam Guajaci spiri-

tuosam coeruleam reddens, lagenae vitreae angusti colli, cui antea Salis Tartari depurati uncia dimidia immissa fuit, infundatur et lagena epistomio vitreo et vesica bubula clausa servetur.

N. P. Sit limpidissimus, odoris pomorum borsdorfianorum, saporis dulcis amariusculi; cum Lixivio Salis alcalini vegetabilis seu Liquore Salis Tartari minime effervescens, nec Liquorem Terrae foliatae Tartari turbans, nec Tincturam Guajaci spirituosam coeruleo imbuens colore. Eo melius censendus est, quo plus Gummi-Resinae v. c. Gummi Ammoniaci, Myrrhae etc. solvit.

SPIRITUS SALIS DULCIS.

Rec. Magnesiae nigrae pulveratae uncia una cum semisse,
retortae vitreae immissis affundantur
Spiritus Vini rectificatissimi libra una cum semisse,
et postea instillentur successive
Spiritus Salis fumantis depurati unciae quatuor cum semisse,
retorta balneo arenae imposita et excipulo rite adglutinato, instituatur leni igne destillatio, et libra una Spiritus Salis dulcis prolicita, ex excipulo eximatur, residuo in retorta denuo affundatur
Spiritus Vini rectificatissimi libra una,
postea instillentur adhuc
Olei Vitrioli concentrati depurati, seu rectificati albi drachmae duae,
excipulum iterum adglutinetur, destillatio leni igne continuetur et porro unciae novem abstrahantur, quibus abstractis destillatio finienda est. Residuum in retorta ad proximam Spiritus Salis dulcis destillationem adhiberi potest, et vasis refrigeratis, Spiritus Salis dulcis ultimo prolicitus, priori admisceatur nempe librae uni Spiritus Salis dulcis in prima destillatione obtentae; servetur Spiritus Salis dulcis ut *Spiritus Nitri dulcis.*

N. P. Sit limpidissimus, odoris grati, saporis quodammodo caryophyllacei, cum Liquore Salis Tartari minime effervescens, nec etiam Aetherem largiens, cum Solutione Argenti in Acido Nitri mixtus Lunam cornuam praecipitans. Si vero Acidi non satis dulcificati notas exhiberet, denuo super Magnesiae albae calcinatae uncia una ex retorta abstrahatur.

SPIRITUS INFLAMMABILES SIMPLICES.

SPIRITUS SEMINUM AMOMI, seu PIPERIS JAMAICENSIS.

Rec. Seminum Amomi libra una,
conquassatis et cucurbitae vitreae immissis addantur
Cinerum clavellatorum depuratorum unciae tres,
his affundantur

Spi-

Spiritus Vini rectificati librae octo,
alembico et excipulo applicato, lutatisque commissuris, macerentur per viginti quatuor horas, tunc destillentur ex balneo arenae, lenissimo igne, librae quatuor, servetur Spiritus in vitro epistomio vitreo et vesica bubula duplici clauso.

SPIRITUS SEMINUM ANISI.

Paratur ut *Spiritus Seminum Amomi.*

V. ⊙ SPIRITUS CORTICUM AURANTIORUM.

Rec. Flavedinis Corticum Aurantiorum recentium libra una,
Cinerum clavellatorum depuratorum unciae tres,
cucurbitae vitreae immissis affundantur
Spiritus Vini rectificati librae quatuor,
alembico et excipulo applicato, lutatisque commissuris, macerentur per viginti quatuor horas, tunc destillentur ex balneo arenae, lenissimo igne, donec segmentum chartae Liquore destillante madefactum minime amplius inflammari poterit, vel Liquor transeuns lactescere inceperit. Servetur dicto modo.

V. SPIRITUS FLORUM AURANTIORUM, seu NAPHAE.

Rec. Florum Aurantiorum, seu Naphae recentium unciae sex,
leviter contusis et cucurbitae vitreae ingestis, addantur
Cinerum clavellatorum depuratorum unciae duae,
his affundantur
Spiritus Vini rectificati librae sex,
adglutinato alembico et excipulo macerentur per viginti quatuor horas, postea alembico ablato addantur adhuc
Aquae communis librae sex,
alembico et excipulo iterum adplicatis lutatisque commissuris instituatur lenissimo igne destillatio, donec librae sex abstractae fuerint. Servetur in vitro epistomio vitreo et duplici vesica bubula clauso.

V. ⊙ SPIRITUS CASSIAE FLORUM.

Rec. Florum Cassiae unciae sex,
contusis et cucurbitae vitreae ingestis addatur
Cinerum clavellatorum depuratorum uncia una cum semisse,
his affundantur
Spiritus Vini rectificati librae sex,
adglutinato alembico et excipulo applicato ac rostro alembici clauso macerentur per viginti quatuor horas, postea admisceantur adhuc
Aquae communis librae sex,
et adplicato excipulo et juncturis lutatis instituatur lenissimo igne destillatio,

tio, donec librae sex abstractae fuerint. Servetur in vitro epistomio vitreo et duplici vesica bubula clauso.

V. ⊙ SPIRITUS HERBAE COCHLEARIAE.

Rec. Herbae Cochleariae recentis librae sex,
Herba concisa et nonnihil conquassata immittatur vesicae destillatoriae, addantur
Cinerum clavellatorum depuratorum unciae octodecim,
his affundantur
Spiritus Vini rectificati,
Aquae communis ana librae quatuor,
juxta legem artis instituatur destillatio leni igne, donec librae quatuor transcenderint. Servetur in vase vitreo dicto more clauso.

V. ⊙ SPIRITUS BACCARUM JUNIPERI.

Paratur ut *Spiritus Seminum Amomi* ex Baccis Juniperi recentibus et maturis.

V. SPIRITUS FLORUM LAVANDULAE.

Rec. Florum Lavandulae recentium libra una,
Cinerum clavellatorum depuratorum unciae tres,
immittantur cucurbitae vitreae, his superaffundantur
Spiritus Vini rectificati librae sex,
alembico et excipulo instruendae, juncturis lutatis macerentur per triduum, quo facto ex balneo arenae et lenissimo igne destillentur librae tres. Servetur uti dictum.

V. ⊙ SPIRITUS HERBAE MELISSAE SIMPLEX.

Paratur ex Herba Melissae citratae, ut *Spiritus Lavandulae.*

V. ⊙ SPIRITUS HERBAE MENTHAE PIPERITAE.

Paratur ut *Spiritus Lavandulae.*

V. SPIRITUS NUCIS MOSCHATAE.

Rec. Nucis Moschatae unciae duae,
contusis et cucurbitae immissis addatur
Cinerum clavellatorum depuratorum uncia semis,
his affundantur
Spiritus Vini rectificati librae quatuor,
applicato alembico macerentur per viginti quatuor horas, postea admisceantur
Aquae communis librae quatuor,

ap-

applicato adhuc excipulo juncturisque lutatis abstrahantur ex balneo arenae et lenissimo igne librae quatuor. Servetur uti dictum.

V. SPIRITUS HERBAE RORISMARINI, seu ANTHOS.

Paratur ex Herba Rorismarini cum Floribus, leniter solummodo siccatis, ut *Spiritus Lavandulae.*

V. ⊙ SPIRITUS FOLIORUM SALVIAE.

Paratur ex Foliis Salviae recentibus leniter siccatis ut *Spiritus Lavandulae.*

V. ⊙ SPIRITUS SAPONACEUS, seu SPIRITUS SAPONIS.

Rec. Salis Tartari uncia una,
Saponis Alicantini rasi unciae octo,
Fecum Cerevisiae unciae duae,

immittantur cucurbitae vitreae, hisque superaffundantur

Spiritus Vini rectificatissimi librae quatuor,

cucurbita vesica madida clausa, cui acicula major immissa fuit, digestioni committatur leni per viginti quatuor horas, crebra autem sub agitatione ad extractionem Tincturae flavae, decantatus Spiritus filtretur, cui ad gratum odorem conciliandum additur Olei Bergamottae sufficiens quantitas, et in vitro bene clauso servetur.

V. ⊙ SPIRITUS HERBAE SERPILLI.

Paratur ex Herba Serpilli cum Floribus ut *Spiritus Lavandulae.*

V. SPIRITUS VANILLAE.

Paratur ut *Spiritus Florum Cassiae.*

V. ⊙ SPIRITUS VINI VULGARIS DESTILLATUS.

Rec. Carbonum vegetabilium praeparatorum pulveratorum librae duae,

vesicae Stanno probo obductae immissis affundantur

Spiritus vinosi frumenti librae viginti quatuor,

constituto lege artis apparatu destillatorio, subministretur ignis moderatus et abstrahatur Spiritus, donec Liquor quasi lactescens prodierit, sive ad medietatem. Vasis refrigeratis, ex recipiente demtus Spiritus in vitro angusti colli arctissime clauso servandus.

N. P. Sit limpidissimus, odoris grati et saporis blandi, eique immissum Calcis vivae frustulum minime colore viridescente imbuat.

V. ⊙

V. ⊙ SPIRITUS VINI RECTIFICATUS.

Rec. Spiritus Vini rectificatissimi; seu Alcoholis Vini,
Aquae communis destillatae partes aequales,
misceantur et in vitro augusti colli arctissime clauso servetur.

N. P. Gravitas specifica hujus Spiritus erit 9, 42; seu vasculum, continens Aquae communis destillatae uncias sex, continebit hujus Spiritus Vini rectificati uncias quinque, drachmas sex, grana duo.

V. ⊙ SPIRITUS VINI RECTIFICATISSIMUS, seu ALCOHOL VINI.

Rec. Spiritus Vini vulgaris destillati librae sedecim,
cucurbitae vitreae amplae immissis balneo arenae imponendae, alembico et excipulo adplicato juncturisque probe lutatis, destillentur leni calore inde unciae octo, cum sint magis aquosae, separentur, et alio excipulo siccissimo calefacto applicato abstrahantur inde lenissimo igne solummodo librae quatuor. Cucurbitae vitreae ingestis, admisceantur nunc ad singulam libram Spiritus abstracti
Salis Tartari depurati unciae duae,
quae crucibulo antea immissae igne forti ad siccitatem excandefiant, adhuc fervidae et contusae, optime agitata, in cucurbita clausa, sub versatione nonnulla reponantur per aliquot dies; Spiritus tunc provide a subsidentia per decantationem separatur; huic de novo Sal Tartari in eadem proportione additur, et repetitur haec operatio, hoc est additio Salis Tartari candescentis antea, adhuc fervidi, agitatio, et decantatio Spiritus tamdiu, donec Sal Tartari in fundo cucurbitae siccum maneat. Si hoc apparet, Spiritus per decantationem separatus immittatur retortae vitreae et excipulo applicato lutatisque commissuris lenissimo calore, remanente quarta parte in retorta, inde abstrahantur tres partes; quae sunt Spiritus Vini rectificatissimus seu Alcohol Vini omni nota fortissimum et purissimum, servetur in vitris pluribus colli angusti et arctissime epistomio vitreo et duplici vesica bubula clausis.

N. P. Sit limpidissimus, valde volatilis, odoris fortissimi spirituosi, saporis ignei, minime autem linguae imprimentis ardorem perdurantem, intra manus tritus nullum relinquat odorem ingratum. Deflagret facillime admoto igne flammante, flamma lucida alba in lateribus coerulea et plane sine omni remanentia nec aquosa nec carbonaria. Dimidia circiter drachma Salis Tartari sicci aliquot unciis Spiritus Vini rectificatissimi injecta minime deliquescat sed ferme sicca remaneat et nil aquosi ex eo absorbeat. Gravitas specifica hujus Alcoholis Vini erit 8, 29; seu vasculum continens Aquae communis destillatae uncias sex, continebit hujus Alcoholis Vini uncias quatuor, dracmas septem, grana triginta novem.

SPI-

SPIRITUS INFLAMMABILES COMPOSITI.

SPIRITUS ANTIHYSTERICUS.

Rec. Asae foetidae,
Castorei optimi ana unciae duae,
Florum Cotulae foetidae,
Herbae Rutae,
Herbae Vulvariae recentium ana unciae duae,
concisa, contusa, mixta macerentur in
Vini Austriaci montani libris octo,
stent per viginti quatuor horas, et dein inde abstrahantur librae quatuor servetur in vitro exacte clauso.

V. SPIRITUS AROMATICUS.

Rec. Pulveris Aromatici unciae quatuor,
Cinerum clavellatorum depuratorum uncia una,
cucurbitae vitreae immissis, adfundantur
Spiritus Vini rectificati librae quatuor,
adglutinato alembico tubulato macerentur per viginti quatuor horas, quo facto admisceantur
Aquae communis librae quatuor,
adplicato excipulo et junctura lutata, destillentur ex balneo arenae et lenissimo igne librae quatuor. Servetur Spiritus in vitro epistomio vitreo et vesica bubula duplici clauso.

V. ⊙ SPIRITUS MELISSAE COMPOSITUS, vulgo SPIRITUS CARMELITARUM.

Rec. Herbae Melissae citrinae recentis leniter siccatae librae duae,
Corticis Citri recentis unciae sex,
Seminum Carvi,
Seminum Cardamomi minoris ana unciae quatuor,
Nucis Moschatae unciae duae,
Caryophyllorum aromaticorum uncia semis,
Florum Cassiae unciae tres,
Herba et Cortice concisis, reliquis contusis, mixtis, immittantur cucurbitae vitreae capaci, addatur
Cinerum claveliatorum depuratorum libra una,
his adfundantur
Spiritus Vini rectificati librae octo,
adglutinato alembico tubulato macerentur per viginti quatuor horas, quo facto admisceantur
Aquae destillatae Herbae Melissae librae duae,
adplicato excipulo, et juncturis clausis, destillentur ex balneo arenae et lenissimo igne librae septem. Si hae librae septem de novo lenissimo calore

re separatim destillantur, Spiritus fit magis gratus. Servetur in vitro epistomio vitreo et vesica bubula duplici clauso.

SPIRITUS ALCALINO - VOLATILES.

V. ⊙ SPIRITUS CORNU CERVI RECTIFICATUS.

Rec. Spiritus Cornu Cervi vulgaris librae quatuor,
Cretae albae pulveratae unciae quatuor,
immittantur cucurbitae vitreae, alembico excipuloque applicato et juncturis lutatis, instituatur destillatio ex balneo arenae et lenissimo igne, quamdiu Spiritus limpidus et flavescens destillaverit. Servetur in vitro epistomio vitreo et vesica bubula clauso.

N. P. Sit limpidus, flavescens, nullum amplius ei immissum Sal Cornu Cervi solvat et in cochleari argenteo super prunis evaporatum, nullam relinquat massam gelatinosam.

V. ⊙ SPIRITUS SALIS AMMONIACI AQUOSUS, seu SIMPLEX.

Rec. Salis volatilis Salis Ammoniaci sicci unciae quatuor,
Immittatur Sal cucurbitae vitreae et affundatur successive
Aquae communis destillatae sufficiens quantitas,
usque dum omnis Sal penitus solutus fuerit; plerumque dupla Aquae quantitas sufficit, tunc servetur solutio in vitro angusti colli arctissime clauso.

N. P. Sit coloris aquei, limpidus, odoris ac saporis Salis alcali volatilis, Spiritus Vini rectificatissimus instillatus, nullam praecipitet massam salinam congelascentem; nullumque amplius solvat Sal alcali volatile ei immissum.

V. ⊙ SPIRITUS SALIS AMMONIACI CAUSTICUS.

Rec. Calcis vivae recenter ustae unciae sedecim,
immittantur vasi figulino vel lapideo et exstinguantur successiva affusione
Aquae communis librarum sex,
massa pultacea et penitus refrigerata cucurbitae capaci immittatur eique admisceantur
Salis Ammoniaci depurati pulverati unciae octo,
Salis communis pulverati uncia una cum semisse,
agitetur miscela per temporis momentum, et imponatur cucurbita balneo arenae, antea jam nonnihil calefacto, applicetur illico alembicus et excipulum amplum ac commissurae velociter vesica bubula duplicata et madida lutentur; tunc instituatur igne lenissimo destillatio, donec circiter unciae octo Spiritus summe volatilis transiverint in excipulum, quae ex reci-

cipiente exemtae in pluribus vitris arctissime epistomio vitreo Cera et vesica bubula clausis serventur.

N. P. Sit limpidissimus, odoris penetrantissimi volatilis, improvide attracti suffocationem minitantis, saporis pungentis, urentis. Admodum levis, ita ut vitrum Aquae communis destillatae unciam unam capiens, hujus Spiritus solummodo unciae dimidium capere possit. Ab instillato Alcohole Vini minime praecipitetur, cum Acidis mixtus calefiat quidem, ast plane non effervescat, Aquam Calcis vivae minime turbet.

V. SPIRITUS SALIS AMMONIACI VINOSUS.

Rec. Salis volatilis Salis Ammoniaci sicci uncia una cum semisse,
Aquae communis destillatae unciae novem,
immittantur cucurbitae vitreae, solutis admisceantur
Spiritus Vini rectificatissimi libra una cum semisse,
agitatione crebra optime in cucurbita clausa uniantur, quo facto, in vitro arctissime clauso serventur.

SPIRITUS SALIS AMMONIACI VOLATILIS OLEOSUS.

Rec. Spiritus Melissae compositi unciae quatuor,
Spiritus Salis Ammoniaci vinosi uncia una,
Olei essentialis Menthae piperitae uncia semis,
Olei essentialis Macis drachmae duae,
Olei essentialis Florum Cassiae drachma una,
misceantur et serventur in vitro arctissime clauso.

SPONGIA MARINA CERATA.

Rec. Spongiae marinae majoris, quantum volueris,
tusione et versatione optime liberetur a lapillis inhaerentibus, quo facto, Spongia integra immergatur sufficiente quantitate Cerae flavae super prunis in vase figulino liquefactae et satis adhuc ferventi. Spongia perfectissime Cera liquida impraegnata et adhuc calida prelo committatur et comprimatur, sub quo ad perfectam refrigerationem permaneat.

SPONGIA MARINA TOSTA.

Rec. Spongiarum marinarum quantum volueris,
in frustula concisae minora, et a lapillis purgatae impactis, immittantur vasi ferreo clauso, optime vasi ferreo cylindrico tostioni fabarum Coffeae destinato, et super igne tam diu continua sub agitatione torreantur, donec in totum e fusco-nigrescente colore imbutae et friabiles evaserint, probe tamen cavendo, ne in Cineres comburantur. Serventur in vitro arcte clauso.

⊙ SQUILLA SICCATA, seu SQUILLA PRAEPARATA.

Bulbus Squillae recentis, Cortice exteriori ablato, in orbiculos dissecetur tenues, qui cribro imponantur et calore fornacis leni eo usque exsiccentur, donec fragiles evaserint. Serventur in vitro exacte clauso.

N. P. Sint frigales, sed acrimonia et amaritudine naturali adhuc praeditae.

⊙ STYRAX VULGARIS DEPURATUS.

Paratur ut *Galbanum Gummi depuratum.*

V. SUCCUS AURANTIORUM MATURORUM RECENS.

Paratur ut *Succus Berberum.*

V. ⊙ SUCCUS EXPRESSUS ET DEPURATUS BERBERUM.

Rec. Fructuum Berberum recentium maturorum quantum vis, contundantur cum pistillo ligneo in mortario lapideo, per aliquot dies in cellam reponantur, dein exprimatur Succus, hic iterum per aliquot dies stet in cella, ut impuritates fundum petant, postea Succus decantatus per pannum colatur et in lagena collo angustiori praedita, superadfuso Oleo Olivarum optimo, recenti et vesica bubula clausa in loco frigido servetur. Loco Succo Citri adhiberi potest in usum pauperum.

V. ⊙ SUCCUS CATECHU DEPURATUS.

Rec. Succi Catechu quantum vis,
solve in
Aquae communis fervidae sufficiente quantitate,
colatura inspissetur in consistentiam Mellis spissioris leni igne.

V. SUCCUS CITRI RECENS.

Paratur ex Malis Citreis ut *Succus Berberum.*

V. SUCCUS CYDONIORUM RECENS.

Paratur ex Fructibus Cydoniorum ut *Succus Berberum.*

V. SULPHUR ANTIMONII AURATUM.

Rec. Calcis vivae recenter ustae librae tres cum unciis quatuor, ollae lapideae immissis affundantur
Aquae communis librae viginti,
simulac Calx viva incalescere et dilabi inceperit, statim admisceantur

Sa-

Salis Tartari depurati librae duae cum unciis sex, in
Aquae communis libris quatuor, liquatis,

miscela bene agitetur et per diem ad plenissimam subsidentiam reponatur, tunc Liquor supernatans vel Lixivium causticum per pannum linteum expansum coletur. Quo facto,

Antimonii crudi subtilissime pulverati unciae quatuor,
Sulphuris citrini aeque pulverati unciae sex,

invicem misceantur et in vase ferreo cum Lixivii caustici supra praescripti libris viginti coquantur, donec quarta Lixivii pars decocta fuerit, tunc Lixivium sulphuratum adhuc calidum, a residuo per filtrum e charta bibula alba constructum separetur. Quodsi in residuo adhuc apparuerint partes sulphureae nondum solutae, residuum rursus cum Lixivii caustici sex vel pluribus libris, jûxta Sulphuris nondum soluti proportionem, uti dictum, coquatur et filtretur. Omne obtentum Lixivium sulphuratum per triginta horas in loco frigido reponatur, deinde iterum per chartam bibulam albam filtretur, et vitro cylindrico immissum cum tertia parte Aquae communis destillatae diluatur, eique tandem *Spiritus Vitrioli vulgaris* seu *Acidum Vitrioli dilutum* tamdiu instilletur, donec nulla amplius fiat Sulphuris aurati praecipitatio, cavendo tamen, ne nimia Acidi praecipitantis quantitas instilletur, quae colorem praecipitati obscuriorem et minus vividum reddituta est. Tunc miscela per diem seponatur, ut Liquor supernatans perfecte clarus evadat, qui postea decantetur et praecipitatum Sulphur Antimonii in filtro ex charta bibula alba confecto, Aqua fervida destillata eo usque abluatur, donec Aqua decurrens neque salsum saporem neque ingratum ovi putridi odorem exhibuerit. Praecipitatum sic optime ablutum super charta alba bibula dispersum, lenissimo calore lente exsiccetur et in vitro servetur optime clauso.

N. P. Sit aurantii coloris, saporis et odoris nullius; cum Sale Ammoniaco tritum nullum exhibeat odorem urinosum, in crucibulo candenti penitus avolet, cum Acido Nitri non effervescat, et in Lixivio caustico coctione solvatur et per refrigerationem solutionis minime praecipitetur.

V. ⊙ SUPPOSITORIUM ALVUM SOLICITANS.

Rec. Salis communis uncia una,
Saponis Alicantini rasi unciae duae,
Mellis coctione inspissati quantum satis,

misceantur, formentur inde suppositoria variae magnitudinis, quae ante applicationem Oleo illiniuntur.

SUPPOSITORIUM HAEMORRHOIDALE, seu HAEMORRHOIDES EXCITANS.

Rec. Aloes pulveratae,
Salis Gemmae ana scrupulum unum,
Pulveris Colocynthidis gummosi grana quinque,

 Mel-

Mellis quantum satis,
coctione redigatur in Suppositorium numero unum.

V. ⊙ SYRUPUS ACETI, seu OXYSACCHARUM SIMPLEX.

Rec. Aceti Vini concentrati libra una,
Sacchari Canariensis librae duae,
mixta in vase vitreo et balneo mariae eo usque inspissentur sub crebra agitatione, donec gutta laminae metallicae instillata nec ex ejus inclinatione defluxerit, nec congelaverit. Servetur in vitro clauso et in loco frigido.

V. SYRUPUS ACETOSITATIS CITRI.

Rec. Succi Citri unciae decem,
Salis essentialis Tartari seu Acidi Tartari crystallisati uncia semis,
Sacchari Canariensis contusi unciae sedecim,
vasi vitreo immittantur, et in balneo mariae uti *Syrupus Aceti* ad consistentiam debitam inspissentur. Servetur ut *Syrupus Aceti*.

V. ⊙ SYRUPUS ALTHAEAE.

Rec. Radicis Althaeae decorticatae unciae octo,
incisae Radices coquantur in vase figulino optime vitreato cum
Aquae communis libris octo,
ad consumtionem dimidii, decoctum coletur et exprimatur, tunc per duodecim horas ad subsidentiam seponatur, quo facto, Liquori decantato admisceantur
Sacchari Canariensis in frustula contusi librae tres,
committatur miscela vasi terreo optime vitreato et facta super leni igne unica ebullitione saccharique plena solutione, Syrupus per pannum laneum coletur et in vase porcellaneo servetur.

V. ⊙ SYRUPUS AMYGDALINUS, seu EMULSIVUS.

Rec. Amygdalarum dulcium decorticatarum unciae octo,
Amygdalarum amararum decorticatarum uncia una,
in mortario lapideo ope pistilli lignei contundantur et per aliquot horas terantur, sub trituratione autem successive affundatur
Aquae communis libra una,
massa optime trita, sacco novo ex linteo forti confecto ingeratur, et prelo ligneo exprimatur, Liquori admisceantur
Sacchari clarificati ad consistentiam tabulati cocti unciae sedecim,
et in patina terrea satis ampla probe conquassentur, donec refrixerint et consistentiam Syrupi acceperint. Servetur in vase vitreo vel porcellaneo clauso.

SY-

SYRUPUS AROMATICUS.

Rec. Pulveris Aromatici unciae duae,
Vini Austriaci montani libra una cum semisse,
mixta macerentur in vase vitreo clauso et loco calido per viginti quatuor horas, postea infusum decantatum filtretur, eique admisceantur
Sacchari clarificati ad consistentiam tabulati cocti libra una cum semisse,
et miscela, probe conquassando, in Syrupum redigatur, qui in vase vitreo optime clauso servetur.

V. SYRUPUS BACCARUM BERBERUM.

Paratur ex Succo Berberum ut *Syrupus Aceti.*

V. SYRUPUS CASSIAE FLORUM.

Paratur ex Floribus Cassiae contusis ut *Syrupus aromaticus.*

V. SYRUPUS CERASORUM RUBRORUM ACIDORUM.

Rec. Cerasorum rubrorum acidorum maturorum quantum volueris,
contundantur in mortario lapideo, et massa contusa per dies quinque vel sex vasi vitreo tecto immissa seponatur in cella, postea sacculo ingeratur et prelo ligneo exprimatur, succusque expressus per pannum laneum coletur;
Succi hujus colati unciis octodecim,
addantur
Sacchari Canariensis in frustula contusi librae duae,
superque leni igne in sartagine testacea minime vitreata, una vel altera ebullitione fiat Syrupus, per pannum laneum colandus et in vase vitreo clauso servandus.

V. SYRUPUS CERASORUM NIGRORUM.

Rec. Cerasorum nigrorum maturorum quantum volueris,
contundantur in mortario lapideo pistillo lapideo una cum nucleis, stent in figulino vase per duodecim horas, exprimatur Succus per linteum rude, addantur dein
Sacchari clarificati ad consistentiam tabulati cocti unciae octodecim,
ad Succi expressi libram unam, solvantur leni igne, trajiciantur per pannum laneum, dein huic Syrupo praeparato addantur
Sacchari clarificati unciae duae cum semisse,
leni calore in Aquae Cerasorum nigrorum uncia una cum semisse soluti. Servetur in vitro clauso.

SY-

SYRUPUS FLORUM CHAMOMILLAE VULGARIS.

Rec. Florum Chamomillae vulgaris recentium leniter siccatorum unciae duae,
in vase vitreo superaffundatur
Aquae communis fervidae libra una,
stent in infusione vase clauso per horam. Infusum forti expressione colatum, cum dupla quantitate Sacchari albi, unica ebullitione coquatur in Syrupum.

SYRUPUS CORTICIS CHINAE, seu CORTICIS PERUVIANI.

Paratur ex Pulvere Corticis Chinae seu Peruviani lutei ut *Syrupus Corticum Aurantiorum.*

V. SYRUPUS COCCIONELLAE.

Rec. Coccionellae orientalis optimae subtilissime pulveratae uncia una,
Salis Tartari depurati pulverati grana quatuordecim,
ingerantur vasi vitreo, et superaffundantur
Aquae destillatae Rubi Idaei librae duae,
stent in infusione frigida vase clauso per viginti quatuor horas, saepius vitrum agitando, dein addantur
Aluminis Romani pulverati grana octo,
probe agitentur et misceantur; coletur Liquor et addantur in patina terrea satis ampla
Sacchari clarificati in consistentiam tabulati cocti unciae triginta sex;
probe conquassentur, et parumper refrigeratis addantur
Aquae Florum Naphae unciae quatuor,
conquassentur denuo, donec penitus refrixerint et consistentiam Syrupi acceperint. Servetur Syrupus in vase vitreo vel porcellaneo clauso

V. ⊙ SYRUPUS COMMUNIS.

Vide *Botryomel.*

V. ⊙ SYRUPUS CORTICUM AURANTIORUM.

Paratur ex Corticibus Aurantiorum recentium, optime ab albedine mundatis et concisis ut *Syrupus aromaticus.*

V. SYRUPUS CYDONIORUM.

Rec. Fructus Cydoniorum recentium immaculatorum et minime corruptorum quantum volueris,
in taleolas dissecentur tenues, quae sacculo linteo inclusae prelo ligneo com-

comprimantur, Succus expressus in vase testaceo, non vitreato ad tertiae partis remanentiam sub crebra agitatione leni igne evaporetur, postea per pannum laneum coletur;

hujus Succi inspissati et colati libra una,
Sacchari Canariensis contusi unciae viginti,

invicem mixta in vase figulino non vitreato sub continua agitatione leni igne in Syrupum redigantur. Servetur in vase porcellaneo clauso.

SYRUPUS ERYSIMI.

Rec. Herbae recentis Erysimi florentis quantum volueris, contundatur in mortario lapideo et lege artis exprimatur Succus, qui per viginti horas ad subsidentiam seponatur;

hujus Succi partibus tribus addantur
Mellis depurati partes duae,

et in vase figulino non vitreato super leni igne et sub continua agitatione ad consistentiam Syrupi coquantur, qui Syrupus per pannum laneum colatus rite servetur.

SYRUPUS SEMINUM FOENICULI DULCIS.

Paratur ex Semine Foeniculi dulcis ut *Syrupus Florum Chamomillae.*

Syrupus Hellebori foetidi.

Rec. Foliorum recentium Hellebori foetidi quantum volueris, humectentur Aceto Vini, stent in vase vitreato terreo per horam, dein in mortario lapideo contundantur et exprimatur Succus ad libram unam, huic addantur

Sacchari crudi farinacei librae duae,

et fiat unica ebullitione Syrupus. Servetur in vitro clauso.

SYRUPUS IPECACUANHAE.

Rec. Radicis Ipecacuanhae contusae uncia semis,
Aquae communis librae quinque,

ebulliant in vase figulino per octo vel decem temporis minuta, postea per pannum linteum Liquor coletur eique addantur

Sacchari Canariensis contusi librae duae cum semisse,

et super leni igne sub crebra agitatione in Syrupi consistentiam redigantur, qui per pannum laneum coletur et cui addatur

Aquae Florum Naphae uncia una,

servetur in vase porcellaneo vel vitreo optime clauso.

V. ⊙ SYRUPUS MANNATUS.

Rec. Foliorum Sennae Alexandrinorum unciae quatuor,
Seminis Foeniculi vulgaris uncia una,

va-

vasi vitreo vel porcellaneo immissis affundantur

Aquae communis bullientis librae duae et unciae sex,

digerantur in vase clauso et loco calido per duodecim horas, postea infusum exprimatur et coletur;

hujus Infusi unciis viginti, admisceantur

Mannae electae unciae octo,

Sacchari liquidi seu Syrupi Sacchari unciae viginti,

super leni igne una vel altera ebullitione in Syrupum vertantur, per pannum laneum colandum et in vase porcellaneo clauso servandum.

⊙ SYRUPUS E MECONIO, seu PAPAVERIS ALBI, seu DIACODII.

Rec. Capitulorum Papaveris somniferi maturorum recentium, dum vulnerati lac fundere incipiunt, leniter siccatorum et exactissime a Seminibus purgatorum libra una,

minutim concisa vasi vitreo vel porcellaneo immittantur et affundantur

Aquae communis bullientis librae quinque,

duodecim horarum spatio in vase clauso et loco calido digerantur, exprimatur Liquor per pannum linteum:

hujus Infusi expressi librae duae,

Sacchari Canariensis contusi librae quinque,

invicem mixta super leni igne, unica ebullitione sub crebra agitatione convertantur in Syrupum, qui per pannum laneum coletur et in vase porcellaneo vel vitreo optime clauso servetur.

V. SYRUPUS MENTHAE PIPERITAE.

Paratur ex Herba Menthae Piperitae recentis leniter siccatae ut *Syrupus aromaticus.*

V. SYRUPUS FLORUM NAPHAE, seu AURANTIORUM.

Paratur ex Floribus Naphae recentibus ut *Syrupus aromaticus.*

SYRUPUS NICOTIANAE, seu TABACI.

Rec. Foliorum Nicotianae siccatorum uncia semis,

minutim concisa coquantur per horam in

Aquae communis unciis sex,

Liquor excoctus tanquam inutilis effundatur, Foliis autem a decoctione relictis addantur

Radicis Liquiritiae pulveratae uncia una,

Aquae communis bullientis libra una,

et coquantur sub crebra agitatione ad quartae circiter partis consumtionem, Liquori postea expresso et colato addantur

Mellis depurati unciae octo,

coctione leni ad Syrupi consistentiam redigantur. Servetur debito more.

SY-

SYRUPUS ONONIDIS, loco QUINQUE RADICUM.

Rec. Radicis Ononidis recentis leniter siccatae unciae duae,
concisae Radices coquantur in
Aquae communis libris duabus,
ad remanentiam librae unius, postea addantur
Seminis Petroselini uncia una cum semisse,
Seminis Foeniculi dulcis uncia semis,
stent in infusione calida vase clauso per sex horas, coletur et exprimatur, expresso Liquori addantur
Sacchari liquidi seu Syrupi Sacchari librae duae,
invicem mixta super leni igne, unica ebullitione sub crebra agitatione convertantur in Syrupum, qui per pannum laneum coletur et in vase porcellaneo vel vitreo optime clauso servetur.

V. SYRUPUS PAPAVERIS ERRATICI, seu RHOEADOS.

Rec. Florum Papaveris erratici siccatorum libra una,
Aquae communis bullientis librae quinque,
digerantur in vase vitreo vel porcellaneo, et loco calido per duodecim horas, postea infusum exprimatur et in sartagine terrea non incrustata ad consumtionem dimidii decoquatur, tunc addantur
Sacchari Canariensis in frustula contusi librae tres,
et leni ebullitione ad consistentiam Syrupi redigantur, per pannum laneum colentur et servetur Syrupus in vase porcellaneo vel vitreo.

V. ⊙ SYRUPUS PECTORALIS DEMULCENS.

Rec. Specierum Decocti pectoralium demulcentium unciae octo,
Caricarum minutim concisarum unciae quatuor,
Aquae communis librae sex,
coquantur in vase terreo non incrustato ad remanentiam librarum quatuor sub crebra simul agitatione, postea decoctum per pannum linteum exprimatur, expresso admisceantur
Sacchari liquidi seu Syrupi Sacchari librae octo,
et una vel altera ebullitione in Syrupum redigantur, qui denique per pannum laneum coletur et sueto more servetur.

V. ⊙ SYRUPUS RHABARBARI, seu RHEI.

Rec. Tincturae Rhabarbari aquosae seu Animae Rhei recenter paratae unciae decem,
Sacchari Canariensis contusi unciae sedecim,
mixta in sartagine testacea non vitreata, sub continua agitatione, una vel altera ebullitione in Syrupum redigantur per pannum laneum colandum et in vase porcellaneo servandum.

V. ⊙ SYRUPUS RIBESIORUM RUBRORUM.

Rec. Baccarum Ribesiorum rubrorum optime maturarum quantum volueris,
a foliis et petiolis liberentur et in mortario lapideo contundantur; massa contusa in vase vitreo vel lapideo cooperto tam diu in cella reponatur, donec penitus speciem gelatinae fluidae acquisiverit, tunc statim sacculo inclusa linteo, prelo ligneo exprimatur et Succus expressus iterum coopertus, in cella seponatur, usque superficies ejus spumescere inceperit, quo facto per pannum laneum coletur et
Succi hujus colati unciae octodecim,
Sacchari Canariensis in frustula contusi libris duabus,
addantur, et porro ut *Syrupus Cerasorum rubrorum acidorum* paretur et servetur.

V. SYRUPUS RUBI IDAEI cum ACETO.

Rec. Aceti Rubi Idaei libra una,
Sacchari Canariensis librae duae,
porro paratur ut *Syrupus Aceti* seu *Oxysaccharum simplex*, et ita servetur.

V. ⊙ SYRUPUS RUBI IDAEI SIMPLEX.

Paratur ex Baccis Rubi Idaei, ut *Syrupus Sambuci.*

V. SYRUPUS SAMBUCI.

Rec. Baccarum Sambuci maturarum a foliis et petiolis liberatarum quantum volueris,
exprimatur Succus ut in praeparatione *Roobis Baccarum Berberum* praescriptum fuit, hujus
Succi expressi et per pannum laneum colati unciis decem,
addantur
Sacchari Canariensis in frustula contusi unciae sedecim,
mixta porro praeparentur ut *Syrupus Aceti* et ita etiam servetur Syrupus.

SYRUPUS E SENNA, seu ROSARUM SOLUTIVUS.

Rec. Florum Rosarum pallidarum seu Rosae Centifoliae uncia semis,
Foliorum Sennae Alexandrinorum uncia una,
Aquae communis bullientis librae duae,
digerantur in vase vitreo vel porcellaneo clauso et loco calido per sex horas, postea infusum coletur per linteum et exprimatur, colatura cum
dupla quantitate Sacchari Canariensis,
mixta, in sartagine testacea non vitreata, sub continua agitatione una vel altera ebullitione in Syrupum redigatur, per pannum laneum colandum, et in vitro vel vase porcellaneo clauso servandum.

V. ⊙

V. ⊙ SYRUPUS SIMPLEX, seu SACCHARUM CLARIFICATUM.

Rec. Sacchari Canariensis pulverati librae tres,
solvantur in
Aquae communis bullientis unciis viginti septem,
super leni igne, et debita despumatione in sartagine terrea, una vel altera ebullitione, in Syrupum redigantur, qui per pannum laneum coletur et debite servetur.

⊙ SYRUPUS SPINAE CERVINAE, seu SYRUPUS DOMESTICUS.

Rec. Baccarum Spinae Cervinae optime maturarum quantum volueris,
contundantur in mortario lapideo et Succus terendo per cribrum e pilis factum trajiciatur, qui in vase vitreo cooperto per octo vel duodecim dies in cella reponatur, posteaque per pannum laneum leni expressione coletur;
hujus Succi libra una,
Sacchari liquidi seu Syrupi Sacchari librae duae,
invicem mixta superque leni igne in sartagine testacea minime vitreata, una vel altera ebullitione redigantur in Syrupum, qui per pannum laneum colandus et in vase vitreo clauso servandus.

SYRUPUS SQUILLAE, seu OXYSACCHARUM SQUILLAE.

Rec. Aceti Squillitici unciae octodecim,
Corticis Cinnamomi contusi uncia una cum semisse,
digerantur in cucurbita vitrea clausa leni calore per tres dies, postea colentur per linteum et exprimantur, addantur
Sacchari Canariensis pulverati unciae quadraginta duae,
mixta, probe conquassando in Syrupum redigantur, qui per pannum laneum colatus, servetur in vase vitreo vel porcellaneo optime clauso.

SYRUPUS FLORUM TUNICAE, seu CARYOPHYLLORUM RUBRORUM.

Rec. Florum Tunicae seu Caryophyllorum rubrorum recentium ablato calyce libra una cum semisse,
his in cucurbita vitrea superaffundantur
Syrupi simplicis seu Sacchari clarificati calidi librae tres,
digerantur vase clauso leni calore per unum diem, postea colentur per pannum laneum et Syrupus in vase vitreo vel porcellaneo clauso servetur.

V. ⊙ SYRUPUS FLORUM VIOLARUM.

Rec. Florum Violarum recentium solertissime a calyculis et omnibus viridibus et flavis partibus purgatorum libra una,
contundantur leviter in mortario vitreo vel lapideo, antea optime mundato,

 mas-

massae levissime contusae et vasi vitreo immissae superinfundantur
Aquae communis destillatae librae tres,
vas bene clausum leni calidae digestioni per duodecim horas committatur, postea per linteum novum leni expressione coletur infusum in vas vitreum;
hujus Infusi libra una,
lagenae vitreae, ita capaci, ut ab infuso dimidium solummodo repleatur, immittatur, eique addantur
Sacchari Canariensis pulverati unciae viginti,
et miscela in balneo mariae in Syrupum redigatur, qui per pannum laneum colatus, in vase vitreo optime clauso servetur.

N. P. Sit coloris coerulei levissime in rubrum vergentis, ab instillato Liquore Salis Tartari viridescat et ab admixto Spiritu Vitrioli rubescat.

⊙ TARTARUS EMETICUS COMMUNIS FORTIOR.

Rec. Cremoris Tartari pulverati unciae quinque,
Pulveris Algarotti unciae duae et drachmae duae,
haec miscela immittatur cucurbitae vitreae et huic superaffundantur
Aquae communis destillatae librae quatuor,
balneo arenae commissa, coquantur leniter per horae dimidium; sic pauca copia Pulveris nigri indissoluti remanet in cucurbita; Lixivium filtretur et postea evaporetur in vase vitreo in balneo arenae ad siccitatem pulverulentam, haec massa pulverulenta in mortario vitreo in Pulverem redigatur subtilissimum, qui in vitro exacte clauso servetur.

NOTA. Tartari hujus emetici juxta celeb. BERGMANN praescripti *Dosis* scopo vomitorio est a grano uno ad duo et tria. Semper tamen cum Aqua destillata communi solutus exhibendus; nam Aqua communis saepe Terram calcaream continet, hinc Acidum Tartari huic jungitur, et partes regulinae excutiuntur et fundum petunt; et si Solutio hujus Tartari emetici non semper agitatur in vase, in quo continetur, manet major portio reguli in fundo, quae dein exhibita nimiam emesin excitat; hoc autem contingit ab omni Tartaro emetico cujuscunque praeparationis excepto *Tartaro emetico mitiori* mox praescribendo, hinc *Tartarus emeticus communis fortior* potius in substantia forma Pulveris exhibendus.

⊙ TARTARUS EMETICUS MITIOR.

Rec. Tartari emetici communis fortioris unciae duae,
Salis Ammoniaci depurati et pulverati unciae duae,
misceantur terendo in mortario vitreo, postea vasi vitreo immissa solvantur in
Aquae communis destillatae calidae unciis sex,
solutio filtretur et in balneo arenae leni calore evaporetur ad siccitatem pul-

pulverulentam, quae massa pulverulenta in mortario vitreo redigatur in Pulverem subtilissimum, in vitro excactissime clauso servandum.

NOTA. *Tartarus emeticus mitior* in dupla dosi vires similes cum *Tartaro emetico fortiori* exserit. Hanc vero praerogativam possidet *Tartarus emeticus mitior*, quod in Aqua destillata semel solutus, etsiamsi in majori copia Aquae divisus haereat, nihil inde praecipitetur; sed semper solutus maneat. Hinc *Tartarus emeticus mitior* Aqua destillata solutus scopo alterante, resolvente et diaphoretico saepius refracta dosi exhibitus in quamplurimis morbis egregias vires exserit; etiam *Antimonium diaphoreticum ablutum* et *non ablutum* valde infidum pulcherrime supplet.

TARTARUS SOLUBILIS.

Rec. Cremoris Tartari libra semis,
Aquae communis librae sex,
coquantur in vase vitreo vel lapideo ad solutionem, et solutione peracta successive admisceantur
Salis volatilis Salis Ammoniaci sicci quantitas sufficiens,
ad saturationem usque, ita tamen ut alcali nonnihil exsuperet; tunc solutio saturata per duodecim horas in loco frigido seponatur, postea Liquor per chartam bibulam albam filtretur, et iterum vasi vitreo immissus in balneo arenae sub crebra agitatione ad siccitatem evaporetur. Servetur in vase arctissime clauso vitreo.

N. P. Sit saporis refrigerantis, subamari, leniter pungentis, tractu temporis in superficie farinescens, in Aqua facile solubilis, ejus vero solutio mox mucorem ducat, cum Sale alcali fixo tritus odorem spargat volatilem.

V. ⊙ TARTARUS TARTARISATUS.

Rec. Cremoris Tartari libra una,
Aquae communis librae duodecim,
coquantur in sartagine lapidea vel aheno probe stanneo et solutis, continuata sub coctione, per vices addatur
Salis Tartari depurati quantitas sufficiens,
ad plenissimam saturationem usque, quo facto, Lixivium per duodecim horas in loco frigido quiescat, postea per chartam filtretur bibulam albam et vasi vitreo vel probe porcellaneo immittatur et leni igne ad siccitatem evaporetur, cavendo ne in fine evaporationis in grumos abeat, quod solertissima praecaveatur agitatione et sartaginis cum Liquore contento saepius per aliquod tempus ab igne remotione. Sal obtentus super charta bibula alba extensus exsiccetur, et in vase vitreo clauso servetur.

N. P. Sit albus, saporis pungentis, subacris et subamari, in Aere minime humescens, in Aqua facile solubilis, vix autem in Spiritu Vini.

Vini. Ex ejus solutione aquosa omnia Acida sedimentum praecipitent album (Tartarum regeneratum) et in crucibulo candenti cum odore empyreumatico acidulo in carbonem uratur penitus alcalinum. Quodsi durante ejus solutione in Aqua exorta fuerit effervescentia, et in vasis fundo Pulvis remanserit albus, factitium est ex mera Cremoris Tartari et Salis alcali vegetabilis mixtione.

V. ⊙ TARTARUS VITRIOLATUS.

Cum *Tartarus vitriolatus* diversis sub operationibus pharmaceuticis obtineatur v. c. in praeparatione Magnesiae albae; depuratione Cinerum clavellatorum et praeparatione Salis alcali mineralis fixi puri, et ab *Arcano duplicato depurato* minime diversus sit, singulari praeparatione opus non est.

N. P. Sint Crystalli albissimae, parvae, durae, breves exhibentes columnas sexlateras extremis etiam sexlateris, saporis amaricantis, in Aere invariabiles, in igne crepitantes, in Aqua difficile solubiles, nec Tincturam Fernambucinam, nec Laccae coeruleae alterantes. Solutio hujus Salis aquosa ab instillato Liquore Salis Tartari non turbetur.

TERRA FOLIATA TARTARI CRYSTALLISATA, seu SODA ACETATA.

Rec. Salis alcali mineralis fixi puri libra una,
immittatur vasi vitreo majori, eique successive superfundatur
Aceti Vini concentrati quantitas sufficiens,
ut Sal saturetur quidem, alcali autem quodammodo adhuc emineat; Lixivium saturatum per chartam bibulam filtretur, et vasi evaporatorio immissum leniter ad punctum crystallisationis evaporetur, posteaque loco frigido ad crystallisandum reponatur. Crystalli obtentae in vitro contra accessum Aeris serventur clauso.

N. P. Crystalli sint longae, spiculatae, in calore et in Aere farinescentes, minime autem humescentes et in Spiritu Vini rectificatissimo solubiles.

TERRA PONDEROSA PURA, seu BARYTES PURUS.

Rec. Spati ponderosi pellucidi penitus nivei coloris et crystallisati, intus ab omnibus punctis metalliferis purissimi et extus Florum metallicorum expertis unciae sex,
{ *quod, si Pharmacopola sibi comparare tale Spatum purum minime valuerit, impurum antea ab heterogeneis particulis usui medico nocivis purgare eum oportet, et modum hujus purgationis, juxta qualitatem impuritatis,* } *di-*

diversum, *cel.* WESTRUMB *in* CRELLII *chemischen Annalen* 1792. *St. V. pag.* 397, *peritissime docuit. Nunquam Spatum ponderosum ex Mineris Cobalthi sed Ferri colligendum.*

redigantur in Pulverem subtilissimum et misceatur trituratione exactissime cum

Salis Tartari depurati libra una cum semisse,

mixta ingerantur crucibulo hassiaco, alio majori supertegendo et furno anemio imponendo, postea ignis subministretur fortis, ita ut crucibulum per tres vel quatuor horas colore candeat lucide cerasino. Tunc post refrigerationem eximatur massa, concreta quidem, sed crucibulo vix adhaerens, in mortario vitreo in Pulverem subtilem teratur; Pulveri cucurbitae vitreae balneo arenae impositae et laxe coopertae immisso affundantur

Aquae communis destillatae libra una cum semisse,

coquantur crebra sub agitatione cum bacillo vitreo, postea, Aqua decantata, residuum tam diu Aqua communi destillata bullienti edulcoretur, donec pura defluat et nec Tincturam Fernambucinam decoloret, nec ab Solutione Argenti in Acido Nitri turbida reddatur. Pulvis edulcoratus super charta bibula alba exsiccetur et postea solvatur in

Spiritus Salis acidi vulgaris, tenuioris, sufficienti quantitate,

solutio filtretur, ab remanente parte non soluta (Spato ponderoso decomposito) per chartam bibulam albam separata et clara, in patina porcellanea leni igne ad siccitatem evaporetur; massa sicca crucibulo hassiaco optime puro immittatur et eo usque igne forti calcinetur, donec neque ullus ascenderit ex crucibulo fumus. Barytes calcinatus ex crucibulo demtus solvatur in

Aquae communis destillatae sufficiente quantitate,

solutio filtretur per chartam bibulam albam, eique tamdiu per vices adfundatur

Lixivium Salis alcalini vegetabilis, donec nullum amplius exoriatur praecipitatum;

Terra ponderosa hac praecipitatione obtenta, decantato prius Liquore supernatante, tam diu cum Aqua communi destillata edulcoretur, donec Aqua defluens ab affusa Solutione Argenti in Acido Nitri nullo modo turbida evaserit, denique rite edulcorata super charta bibula alba extensa lenissimo calore exsiccetur et in vitro optime clauso servetur.

N. P. Sit alba, subtilis, ponderosissima, in crucibulo candenti minime liquescens, in Acidis sine effervescentia penitus solubilis, in Acido vero Vitrioli in Spatum ponderosum reducatur, ab affuso Liquore Vini probatorio HAHNEMANNI minime decoloretur.

TERRA PONDEROSA SALITA, seu BARYTES SALITUS.

Rec. Terrae ponderosae purae uncia una,

cucurbitae vitreae immissae affundatur

Spiritus Salis acidi vulgaris seu tenuioris quantitas sufficiens,

ut plane solvatur et solutio segmentum chartae Tincturae Laccae coeruleae

leae tinctae minime rubellum reddat, tunc diluatur cum

Aquae communis destillatae quantitate duplici,

et admisceatur adhuc

Terrae ponderosae purae uncia semis,

quo facto, solutio in patina porcellanea usque ad tertiae partis remanentiam coctione evaporetur; Liquor filtratione a residuo separetur et filtratus in vase vitreo ad cuticulam evaporetur, ac crystallisationi committatur. Crysalli obtentae super charta bibula alba leni calore exsiccentur et in vitro clauso serventur.

N. P. Crystalli tessellatae vel squamosae sint albissimae, in Aere invariabiles, saporis acris subamari, in tripla ad minimum Aquae destillatae communis quantitate solubiles, minime vero in Alcohole Vini, solutio earum aquosa ab omnibus Vitriolicis Salibus mediis ac neutris praecipitetur. Nec Liquor Vini probatorius HAHNEMANNI, nec Tinctura Gallarum Terrae ponderosae salitae solutionem in Aqua communi destillata ullo imbuant colore, ac, si Terra ponderosa ex ejus solutione aquosa per affusionem Spiritus Vitrioli separata fuerit, nullum Sal alcali Liquorem remanentem turbidum reddat.

NOTA. *Terram ponderosam puram* et *Terram ponderosam salitam* non ut medicamenta, quorum laudes aliis relinquo, sed ut *Reagentia* ad examinandam quorundam Praeparatorum pharmaceuticorum probitatem huic *Dispensatorio* inserere volui. Habemus efficaciora et tutiora in similibus morbis usu multiplici et longa annorum serie comprobata.

TESTAE OVORUM CALCINATAE.

Parantur ex Testis ovorum ut *Ostracodermata calcinata.*

TESTAE OVORUM PRAEPARATAE.

Parantur ut *Lapides Cancrorum praeparati.*

⊙ THERIACA VIENNENSIS cum OPIO.

Vide *Electuarium Anodynum.*

⊙ THERIACA VIENNENSIS sine OPIO.

Vide *Electuarium roborans.*

TINCTURAE seu ESSENTIAE.

Amarae, aromaticae, balsamicae, adstringentes, acres.

TINCTURAE seu ESSENTIAE COMPOSITAE.

V. TINCTURA seu ESSENTIA AMARA.

Rec. Herbae Absynthii pontici unciae tres,
Herbae Cardui Benedicti uncia una,
Fructuum Aurantiorum curassaviensum, seu viridium immaturorum contusorum uncia semis,
Radicis Galangae,
Radicis Calami aromatici ana uncia semis,
concisa, contusa et permixta infunde frigide in
Vini Austriaci montani annosi libris quatuor,
stent in lagena vitrea capaci clausa in infusione frigida ast cum creberrima agitatione per sex dies, dein colentur, residuum fortiter exprimatur, expressumque colato mixtum, filtretur per chartam bibulam. Servetur Tinctura in vitro angusti colli et epistomio vitreo clauso.

TINCTURA seu ESSENTIA CATECHU COMPOSITA, seu BALSAMICA GINGIVALIS.

Rec. Myrrhae electae
Succi Catechu depurati ana unciae duae,
in Pulverem trita irrorentur cum
Balsami Peruviani drachmis duabus,
superfusis denique
Spiritus Cochleariae,
Spiritus Vini rectificati ana unciis sex,
in vitro vesica bubula, acu pluribus locis perforata clauso, per quatuor dies digestioni leni calore committantur calidae, postea colentur, residuum fortiter exprimatur, expressumque colato mixtum filtretur per chartam bibulam. Servetur Tinctura in vitro angusti colli et epistomio vitreo clauso.

TINCTURA seu ESSENTIA CORTICIS CHINAE RUBRAE, seu PERUVIANI COMPOSITA.

Rec. Corticis Peruviani rubri pulverati unciae duae,
Radicis Gentianae rubrae pulveratae,
Flavedinis Corticum Aurantiorum pulveratae ana drachmae sex,
his in lagena vitrea capaci superaffundantur
Vini Austriaci montani annosi librae duae,

 al-

lagena clausa stent in infusione frigida cum crebra agitatione per sex dies, dein colentur, residuum fortiter exprimatur, expressumque colato mixtum filtretur per chartam bibulam. Servetur Tinctura in vitro angusti colli et epistomio vitreo clauso.

⊙ TINCTURA seu ESSENTIA FULIGINIS.

Rec. Fuliginis ex Camino splendentis pulveratae unciae duae,
Salis Ammoniaci depurati uncia una,
Salis Tartari unciae sex,
Aquae communis destillatae librae tres,

mixta digerantur in cucurbita vitrea clausa leni calore per quatuor dies, tunc Tinctura per chartam bibulam duplicatam filtretur et servetur in vitro clauso.

V. ⊙ TINCTURA seu ESSENTIA LACCAE ALUMINOSA.

Rec. Gummi Laccae quod bacculis adhaeret pulverati et cui color nondum extractus unciae duae,
Pulveris Aluminis romani drachmae tres,
Aquae destillatae Salviae,
Aquae destillatae Cochleariae ana libra una cum semisse,
Spiritus Cochleariae unciae tres,

mixta in vase vitreo vesica clauso in balneo mariae leni calore digerantur per sex horas ad profundam rubedinem, dein filtretur et servetur Tinctura in vitro epistomio vitreo clauso.

TINCTURAE seu ESSENTIAE SIMPLICES.

⊙ TINCTURA seu ESSENTIA ALOES.

Rec. Aloes succotrinae pulveratae unciae duae,
Spiritus Vini rectificati unciae sedecim,

digerantur in vase vitreo vesica bubula perforata clauso per quatuor dies, et sub crebra agitatione, in balneo arenae, postea filtretur Tinctura et dicto more servetur.

V. TINCTURA seu ESSENTIA AMBRAE.

Rec. Ambrae verae griseae drachmae duae,

immittantur phialae vitreae et lenissimo carbonum igne liquetur et tunc affundatur

Liquoris Anodyni mineralis Hoffmanni parum calefacti libra una,

servetur in vitro angusti colli et epistomio vitreo clauso.

⊙

⊙ TINCTURA seu ESSENTIA RADICIS ANGELICAE.

Rec. Radicis Angelicae Sativae recentis concisae unciae tres, his in lagena vitrea capaci superaffundatur
Vini Austriaci montani libra una,
in lagena clausa stent in infusione frigida sub crebra autem agitatione per sex dies, dein colentur, residuum fortiter exprimatur, expressum cum colato mixtum, filtretur per chartam bibulam. Servetur Tinctura in vitro angusti colli et epistomio vitreo clauso.

TINCTURA seu ESSENTIA ASAE FOETIDAE BALSAMICA.

Rec. Asae foetidae electae pulveratae unciae duae,
Liquoris Anodyni mineralis Hoffmanni unciae sedecim,
paratur porro ut *Tinctura Aloes.*

⊙ TINCTURA seu ESSENTIA ASAE FOETIDAE VINOSA.

Rec. Asae foetidae electae pulveratae unciae duae,
Vini Austriaci montani unciae sedecim,
paratur porro ut *Tinctura Angelicae.*

V. ⊙ TINCTURA seu ESSENTIA CORTICUM AURANTIORUM.

Rec. Flavedinis Corticum Aurantiorum pulveratae unciae tres,
Fructus Aurantiorum immaturorum viridium pulveratorum uncia una,
Spiritus Corticum Aurantiorum libra una,
per quatuor dies in cucurbita dicto more clausa, leni calore digerantur, postea addantur
Aquae destillatae Corticum Aurantiorum unciae tres,
digestione, uti antea, adhuc per duodecim horas continuata, coletur Tinctura cum leni expressione, colatura seponatur ad subsidentiam per aliquot dies, tunc Liquor clarus decantetur, residuum turbidum filtretur, Liquor filtratus decantato admisceatur et in vitro optime epistomio vitreo clauso servetur.

TINCTURA seu ESSENTIA BALSAMI PERUVIANI.

Paratur ut *Tinctura Aloes.*

V. TINCTURA seu ESSENTIA BENZOES.

Paratur ut *Tinctura Aloes.*

⊙ TINCTURA seu ESSENTIA CANTHARIDUM.

Rec. Cantharidum pulveratorum uncia semis,
Aquae communis destillatae unciae quatuor,
per duodecim horas in cucurbita vitrea clausa leni calore digestis superinfundatur
Spiritus Vini rectificati libra una,
continuata digestione per quatuor dies, Tinctura filtretur et rite servetur.

TINCTURA seu ESSENTIA SEMINUM CARDAMOMI.

Paratur ut *Tinctura Angelicae.*

TINCTURA seu ESSENTIA CORTICIS CASCARILLAE.

Paratur ut *Tinctura Angelicae.*

TINCTURA seu ESSENTIA CASTOREI BALSAMICA.

Paratur ut *Tinctura Asae foetidae balsamica.*

V. ⊙ TINCTURA seu ESSENTIA CASTOREI VINOSA.

Paratur ut *Tinctura Asae foetidae vinosa.*

TINCTURA seu ESSENTIA CATECHU SIMPLEX.

Rec. Succi Catechu depurati ruditer tusi unciae tres.
Spiritus Vini rectificati libra una,
paratur porro ut *Tinctura Aloes.*

TINCTURA seu ESSENTIA CORTICIS CHINAE RUBRAE, seu PERUVIANI RUBRI SIMPLEX.

Paratur ut *Tinctura Angelicae.*

TINCTURA seu ESSENTIA CORTICIS CHINAE, seu PERUVIANI VOLATILIS.

Rec. Corticis Peruviani lutei in Pulverem subtilissimum redacti unciae quatuor,
Spiritus Salis Ammoniaci vinosi librae duae,
digerantur frigide in vase clauso, saepius vas concutiendo per 6 dies, colatura expressa, filtretur, servetur in vitro exacte clauso.

NOTA. Exhibetur ad guttas triginta, octuaginta, imo ad drachmam pro dosi.

⊙

⊙ TINCTURA seu ESSENTIA CORTICIS CINNAMOMI.

Rec. Corticis Cinnamomi optimi ruditer contusi unciae tres,
Spiritus Vini rectificati libra una,
per quatuor dies in cucurbita vitrea dicto more clausa digerantur, postea Tinctura cum leni expressione per pannum linteum coletur et ad subsidentiam per aliquot dies in vitro clauso seponatur; tunc Liquor clarus decantetur et residuum turbidum per chartam bibulam filtretur, liquorique decantato admisceatur. Servetur Tinctura in vitro angusti colli et epistomio vitreo clauso.

TINCTURA seu ESSENTIA COLOPHONII.

Paratur ut *Tinctura Aloes.*

TINCTURA seu ESSENTIA CROCI.

Paratur ut *Tinctura Aloes.*

TINCTURA seu ESSENTIA EUPHORBII.

Rec. Euphorbii pulverati uncia una,
Spiritus Vini rectificati unciae sedecim,
paratur porro ut *Tinctura Aloes.*

TINCTURA seu ESSENTIA SEMINUM FOENICULI.

Paratur ut *Tinctura Angelicae.*

TINCTURA seu ESSENTIA RADICIS GALANGAE.

Paratur ut *Tinctura Angelicae.*

TINCTURA seu ESSENTIA RADICIS GENTIANAE RUBRAE.

Paratur ut *Tinctura Angelicae.*

TINCTURA seu ESSENTIA FLORUM HYPERICI.

Rec. Florum Hyperici recentium unciae quatuor,
Spiritus Vini rectificatissimi unciae sedecim,
et paratur porro ut *Tinctura Corticis Cinnamomi.*

TINCTURA seu ESSENTIA GUAJACI SIMPLEX.

Rec. Gummi Guajaci nativi pulverati unciae duae,
Vini Austriaci montani unciae sedecim,
porro paratur ut *Tinctura Angelicae.*

TINCTURA seu ESSENTIA GUAJACI VOLATILIS.

Rec. Gummi Guajaci nativi pulverati unciae duae,
Spiritus Salis Ammoniaci vinosi unciae sedecim,
porro paratur ut *Tinctura Angelicae.*

DOSIS. A guttis decem ad sexaginta.

TINCTURA seu ESSENTIA GUMMI KINO.

Rec. Gummi Kino pulverati unciae duae,
Aquae communis destillatae,
Spiritus Nitri dulcis ana unciae sex,
cucurbitae vitreae claudendae immittantur et per octo dies leni calore digerantur, postea filtretur Tinctura et servetur more dicto.

NOTA. Vires roborantes et adstringentes possidet. Exhibetur a drachma una ad unciam semis.

TINCTURA MACIDIS.

Paratur ut *Tinctura Aloes.*

TINCTURA seu ESSENTIA MARTIS APERITIVA.

Rec. Florum Salis Ammoniaci martialium, seu Residui e sublimatione Florum Salis Ammoniaci martialium unciae duae,
Naphthae Vitrioli spirituosae unciae octo,
in cucurbita vitrea clausa frigide digerantur per sex dies, postea filtrentur et servetur Tinctura in vitro bene clauso.

NOTA. Viribus praedita est incidentibus, aperientibus et roborantibus; exhibetur a guttis 40 ad 60. Vires adhuc potentius solventes et incidentes possidet, quam Tinctura Martis aurea.

⊙ TINCTURA seu ESSENTIA MARTIS AUREA.

Rec. Limaturae Martis purae finissimae unciae duae,
Spiritus Vini rectificati unciae decem,
cucurbitae vitreae immissis instillentur sensim et per vices
Spiritus Salis acidi unciae quinque,
in cucurbita clausa per quatuor dies leni calore digerantur, postea Tinctura decantetur et in vitro clauso servetur.

NOTA. Exhibetur a drachma semis ad unam pro dosi.

⊙

⊙ TINCTURA seu ESSENTIA MARTIS CYDONIATA.

Rec. Extracti Martis uncia una,
Succi expressi et colati Fructus Cydoniorum unciae octo,
in cucurbita vitrea clausa digerantur sub crebra agitatione per duos dies, postea filtretur Tinctura et uti dictum servetur.

NOTA. Exhibetur a scrupulo uno ad drachmam unam; scopo stomachico vero a drachma ad unciam semis.

⊙ TINCTURA seu ESSENTIA MASTICHES.

Rec. Pulveris Mastiches unciae duae,
Spiritus Vini rectificati libra una,
paratur porro ut *Tinctura Aloes.*

TINCTURA seu ESSENTIA MOSCHI ARTIFICIALIS.

Rec. Moschi artificialis unciae duae,
Spiritus Vini rectifiatissimi unciae sedecim,
digerantur invicem in cucurbita vitrea clausa, leni calore ad plenariam solutionem. Servetur in vitro optime clauso.

NOTA. Exhibetur a guttis quindecim, triginta, imo ad drachmam unam et ultra.

TINCTURA seu ESSENTIA MOSCHI NATURALIS.

Rec. Moschi in vesicis genuini optimi concisi drachmae duae,
Vini Austriaci montani libra una,
paratur porro ut *Tinctura Angelicae.*

⊙ TINCTURA seu ESSENTIA MYRRHAE.

Rec. Myrrhae rubrae pulveratae unciae duae,
Vini Austriaci montani librae quatuor,
paratur porro ut *Tinctura Aloes.*

⊙ TINCTURA seu ESSENTIA OPII VINOSA, seu ANODYNA, seu LAUDANUM LIQUIDUM SYDENHAMI.

Rec. Extracti Opii seu Opii puri uncia una et grana triginta duo,
Vini Austriaci montani unciae sedecim,
digerantur in vase vitreo clauso ad perfectam Opii solutionem, et filtrata Tinctura, servetur in vase vitreo exacte clauso.

NOTA. Guttae quindecim hujus Tincturae continent granum unum Opii. Haec Tinctura *externe* quoque egregias vires anodynas exserit et

et summum remedium est in sistendo vomitu symptomatico, qui ante variolarum eruptionem contingit, aut in hystericis aut in Ileo morbo; si linteum duos pollices longum et latum hac Tinctura madidum et impraegnatum regioni epygastricae seu scrobiculo cordis *externe* applicatur; haec Tinctura enim per os sumta saepe in similibus morbis vomitu iterum ejicitur, et in enemate applicata, alia incommoda gignit.

TINCTURA seu ESSENTIA SEMINUM OREOSELINI.

Paratur ut *Tinctura Angelicae.*

TINCTURA seu ESSENTIA RADICIS PIMPINELLAE.

Paratur ut *Tinctura Angelicae.*

TINCTURA seu ESSENTIA TURIONUM PINI.

Rec. Turionum Pini recentium unciae quatuor,
forfice concindantur et cucurbitae vitreae immissis affundantur
Spiritus Vini rectificati unciae octo,
et paretur porro ut *Tinctura Corticis Cinnamomi.*

⊙ TINCTURA seu ESSENTIA GEMMARUM POPULI BALSAMIFERAE.

Ex Gemmis recentibus paratur ut *Tinctura Turionum Pini.*

TINCTURA seu ESSENTIA RHEI SPIRITUOSA, seu DULCIS.

Rec. Radicis Rhabarbari pulveratae unciae duae,
Seminis Cardamomi minoris contusi uncia semis,
Spiritus Vini rectificati libra una,
et paratur porro ut *Tinctura Corticis Cinnamomi.*

TINCTURA seu ESSENTIA RADICIS SQUILLAE.

Rec. Radicis Squillae praeparatae et pulverisatae,
Salis Tartari puri ana uncia una,
probe in mortario vitreo tritis et mixtis ac cucurbitae vitreae immissis adfundantur
Spiritus Vini rectificati unciae octo,
in cucurbita sueto more clausa digerantur leni calore per diem, postea cum miti expressione colentur, reponantur per aliquot dies, Liquore supernatante claro decantato, residuum turbidum filtretur et decantato filtratus Liquor addatur. Servetur Tinctura dicto more.

DOSIS. Guttae quindecim ad viginti.

TING-

TINCTURA seu ESSENTIA STYRACIS VULGARIS DEPURATI.

Rec. Styracis vulgaris depurati unciae duae,
Spiritus Vini rectificati unciae sedecim,
paratur porro ut *Tinctura Aloes.*

⊙ TINCTURA seu ESSENTIA SUCCINI.

Rec. Pulveris Succini pellucidi unciae quatuor,
Liquoris Anodyni mineralis unciae sedecim,
paratur porro ut *Tinctura Corticis Cinnamomi.*

⊙ TINCTURA seu ESSENTIA HERBAE TRIFOLII FIBRINI.

Paratur ut *Tinctura Angelicae.*

TINCTURA seu ESSENTIA RADICIS VALERIANAE SIMPLEX.

Paratur ut *Tinctura Angelicae.*

TINCTURA seu ESSENTIA RADICIS VALERIANAE VOLATILIS.

Rec. Radicis Valerianae concisae unciae duae,
Aquae destillatae Radicis Valerianae unciae sex,
Spiritus Vini rectificati unciae duae,
in cucurbita vitrea sueto more clausa digerantur leni calore per viginti quatuor horas, colatura expressa filtretur, filtratae Tincturae addantur
Salis volatilis Cornu Cervi scrupuli quatuor,
misceantur, servetur Tinctura in vitro angusti colli epistomio vitreo et vesica bubula clauso.

NOTA. Exhibetur a guttis viginti ad octoginta pro dosi.

TROCHISCI DE CASTOREO.

Rec. Castorei pulverati drachmae duae,
Sacchari albi pulverati unciae quatuor,
Mucilaginis Gummi Tragacanthae sufficiens quantitas,
ut fiant Trochisci granorum trium. Serventur in vitro clauso.

TROCHISCI CATECHU.

Rec. Pulveris Succi Catechu depurati unciae duae,
Pulveris Gummi Tragacanthae uncia semis,
Pulveris Sacchari Canariensis libra una,
Aquae destillatae aromaticae,
Aquae destillatae Vanillae ana quantum satis.

 fiant

fiant lege artis Trochisci, singuli ponderis drachmae unius. Serventur in vitro clauso.

TROCHISCI PECTORALES.

Rec. Pulveris Radicis Liquiritiae uncia una,
Pulveris Radicis Iridis Florentinae,
Florum Sulphuris lotorum ana uncia semis,
Florum Benzoes drachma una,
Sacchari Candi flavi pulverati libra una,
exactissime mixta, fiant cum Mucilaginis Gummi Tragacanthae quantitate sufficiente Trochisci.

⊙ UNGUENTUM AEGYPTIACUM, seu AERUGINIS, seu OXYMEL AERUGINIS.

Rec. Viridis Aeris crystallisati electi pulverati uncia una,
Aceti Vini unciae tres,
trituratione in mortario vitreo mixtis, addantur successive sub trituratione protracta
Mellis depurati unciae sex,
postea coquatur Massa in aheno cupreo lento igne et sub continua cum bacillo ligneo agitatione ad Mellis crudi consistentiam, tunc per pannum laneum cum expressione miti coletur et in vase vitreo servetur.

V. ⊙ UNGUENTUM ALBUM SIMPLEX.

Rec. Cerussae in laminis seu Schiferae albae subtilissime pulveratae unciae octo,
Axungiae Porcinae depuratae libra una,
misceantur successive solertissima in mortario vitreo trituratione, serventur in vase porcellaneo.

V. ⊙ UNGUENTUM ALTHAEAE SIMPLEX.

Rec. Radicis Althaeae,
Seminum Lini ana libra una,
concisis et in Pulverem redactis affundantur in vase terreo vitreato
Aquae communis bullientis librae duodecim,
digerantur leni calore, donec Aqua spissescat, tunc per linteum exprimatur Mucilago;
hujus Mucilaginis librae duae,
Axungiae Porcinae depuratae librae quatuor,
in vase figulino misceantur, et leni igne sub continua agitatione coquantur, usque dum omne aquosum exhalatum fuerit, tunc addantur
Croci Austriaci pulverati drachmae tres,
Cerae citrinae unciae octo,

li-

liquatis et perfectissime mixtis, Unguentum adhuc calidum per pannum laneum coletur et in vase porcellaneo servetur.

V. ⊙ UNGUENTUM ALTHAEAE cum TEREBINTHINA.

Rec. Unguenti Althaeae simplicis librae duae,
Resinae Pini unciae tres,
in vase figulino supra lenem ignem liquatis et ab igne dein remotis addatur
Terebinthinae communis uncia una,
Unguentnm adhuc calidum per pannum laneum coletur et in vase porcellaneo clauso servetur.

UNGUENTUM ANTHELMINTICUM.

Rec. Butyri insulsi librae duae,
Pulveris Aloes hepaticae uncia una cum semisse,
Pulveris Colocynthidis gummosi uncia semis,
Fellis Tauri inspissati,
Petrolei ana unciae tres,
in vase terreo vitreato lenissimo calore colliquescant omnia, sub continua agitatione, tunc massa ab igne remota cum spathula lignea continue agitetur, donec refrigerata evaserit, servetur in vase porcellaneo clauso.

V. ⊙ UNGUENTUM BASILICUM.

Rec. Cerae citrinae,
Terebinthinae,
Sevi Vervecini ana libra semis,
Resinae Pini,
Axungiae Porci ana libra una,
colliquefiant et colata serventur.

V. UNGUENTUM CARMINATIVUM.

Rec. Florum Chamomillae vulgaris recentium uncia semis,
Herbae recentis Abrotani,
Herbae recentis Rutae,
Seminis Aneti ana uncia una cum semisse,
concisae Herbae et Flores, Semina contusa, immittantur Digestorio vitreo vel lagenae tenui lapideae et affundantur
Axungiae Porci depuratae et leni igne liquatae librae sex,
vas optime clausum committatur per plures horas balneo maris, postea Axungia liquata, juxta artis leges exprimatur et in vase vitreo clauso per aliquot dies, ut partes crassiores subsideant, seponatur, postea rite decantetur et adhuc calida ingeratur mortario vitreo antea calefacto, ac refrigeratione appropinquante admisceatur solerti trituratione
Olei Baccarum Lauri libra semis,

exacte mixta serventur in vase vitreo exactissime vesica bubula clauso et loco frigido.

UNGUENTUM DIGESTIVUM CEREUM.

Rec. Cerae albae quantum volueris,
in parva frustula diffractae superaffunde in vase vitreato
Olei Terebinthinae rectificati tantum,
ut hoc super Ceram ad altitudinem digiti transversi emineat, vas optime tectum in loco frigido stet per 30 horas, his elapsis Cera jam soluta agitetur cum spathula lignea optime, et si non omnis Cera soluta fuerit, adhuc parva quantitas Olei Terebinthinae additur, ut sit consistentia Unguenti, servetur in vase clauso. Si hoc Unguentum mora nimis spissum fit, additur aliqua quantitas Olei Terebinthinae ut agitando fiat consistentia Unguenti.

NOTA. Hoc Unguentum forte supplet omnia reliqua Unguenta digestiva pinguia et unctuosa, ita etiam Unguentum de Styrace. Si hoc per se applicatur, praecipuas vires exserit in ulceribus sarcoticis, impuris, fungosis, callosis, et in gangraena. Si vires irritantes, digestivas et suppurantes imminuere volumus, ut instar mitioris digestivi agat, pro varia indicatione una quarta, tertia aut dimidia pars aut aequalis quantitas Sevi Vervecini vel Axungiae Porci depuratae frigide admisceri poterit.

⊙ UNGUENTUM DIGESTIVUM COMPOSITUM, seu FORTIUS.

Rec. Unguenti Digestivi simplicis libra una,
Pulveris Myrrhae rubrae,
Pulveris Mastichis ana drachmae sex,
terantur invicem in mortario vitreo antea calefacto et intime misceantur, servetur Unguentum in vase porcellaneo clauso.

NOTA. Pro varia indicatione etiam *Unguento digestivo simplici* Resina Pini, Sapo Alicantinus aut Camphora aut Unguentum Aegyptiacum, aut Mercurius praecipitatus ruber addi et adhuc fortius reddi potest.

⊙ UNGUENTUM DISGESTIVUM SIMPLEX.

Rec. Terebinthinae Laricis seu Larignae librae duae,
in mortario vitreo perfectissime admisceantur
Axungiae Porci depuratae unciae tres,
trituratione in Unguentum convertantur, quod in vase porcellaneo clauso servandum.

UN-

UNGUENTUM DIGITALIS, seu AD SCROPHULAS.

Rec. Foliorum Digitalis recentium concisorum librae duae, contundantur in mortario lapideo et misceantur cum
Butyri non saliti libris duabus cum semisse,
digerantur in vase figulino et leni calore per viginti quatuor horas, postea coquantur miti igne et sub continua agitatione per semihoram, tunc per pannum laneum trajiciantur et Unguentum servetur in vase porcellaneo.

⊙ UNGUENTUM ELEMI, seu BALSAMUS ARCAEI.

Rec. Sevi Cervini depurati unciae octo,
Axungiae Porci depuratae unciae quatuor,
Gummi Elemi pulverati,
Terebinthinae Laricis seu Larignae ana unciae sex,
in vase figulino super leni igne sub continua agitatione, penitus liquefiant, tunc massa ab igne remota coletur et cum spathula lignea continuo agitetur, donec refrigerata evaserit. Servetur in vase porcellaneo clauso.

V. UNGUENTUM LINARIAE.

Rec. Herbae Linariae recentis libra semis,
contundatur in mortario lapideo et misceatur cum
Axungiae Porci depuratae libra una cum semisse,
porro paratur ut *Unguentum Digitalis* et eodem modo servetur.

⊙ UNGUENTUM LITHARGYRII, seu UNGUENTUM NUTRITUM.

Rec. Olei Olivarum recentis libra una,
Cerae albae unciae septem,
in vase terreo vitreato liquatis et semirefrigeratis in mortario lapideo successive et sub continua agitatione addatur
Aceti Lithargyrii concentrati seu Extracti Saturni libra una, aut quantum Oleum recipere potest, redigantur in Unguentum, quod in vase porcellaneo servetur.

UNGUENTUM MATRIS FUSCUM.

Rec. Axungiae Porci depuratae,
Butyri insulsi,
Cerae flavae,
Servi Vervecini depurati ana unciae quatuor,
Olei Olivarum unciae sex,
in vase figulino super leni igne liquefiant et ebullientibus successive et per vices admisceantur
Lithargyrii pulverati unciae quatuor,

et

et coctio protrahatur sub continua agitatione, ut Unguentum ex fusco nigrescat. Servetur in vase porcellaneo.

⊙ UNGUENTUM MERCURIALE, sive NEAPOLIATANUM.

Rec. Mercurii vivi depurati seu revivificati unciae duae,
Sacchari Candi flavi unciae quatuor,
uniantur exactissime per triturationem in mortario vitreo, ita ut nullus Mercurii globulus armato quidem oculo minime detegi possit, tunc sub continua trituratione admisceantur,
Axungiae Porci depuratae unciae sex,
Sevi Vervecini depurati unciae duae,
et fiat Unguentum, servetur in vase porcellaneo vel lapideo clauso.

⊙ UNGUENTUM NERVINUM.

Rec. Unguenti Althaeae cum Terebinthina unciae quatuor,
Liquoris Cornu Cervi succinati,
Tincturae Cantharidum ana uncia una cum semisse,
Olei Nucistae pressi,
Olei Baccarum Lauri ana uncia semis,
Camphorae Spiritu Vini solutae scrupuli quatuor,
Unguentum Althaeae in vase figulino liquescat, et adhuc calidum ingeratur mortario vitreo antea calefacto, et refrigeratione appropinquante admisceantur solerti trituratione reliqua ingredientia, exacte mixta serventur in vase vitreo exactissime vesica bubula clauso.

V. ⊙ UNGUENTUM CONTRA PEDICULOS.

Rec. Seminis Petroselini pulverati unciae quatuor,
Axungiae Porci depuratae librae duae,
Olei Baccarum Lauri expressi unciae octo,
Olei Seminis Anisi destillati drachmae duae,
in mortario vitreo antea calefacto exactissima trituratione uniantur et in vitro optime clauso serventur.

⊙ UNGUENTUM POMADINUM.

Rec. Sevi Vervecini depurati libra una,
Axungiae Porci depuratae librae tres,
in vase terreo vitreato leni igne liquescant, dein colata per linteum ingerantur vasi alio terreo vitreato amplo, semirefrigerata cum cochleari ligneo agitentur et conquassentur tamdiu donec spumam niveam repraesentent, circa finem concussionis instillentur sensim inter concutiendum Olei de Bergamo unciae duae, et optime concussione unita in vase porcellaneo optime clauso serventur.

⊙

⊙ UNGUENTUM POPULEUM.

Rec. Butyri insulsi libra una,
Resinae Gemmarum Populi balsamiferae unciae tres,
in vase figulino super lenissimo igne sub continua agitatione liquefiant, tunc massa ab igne remota cum spathula lignea continue agitetur, donec refrigerata evaserit, servetur Unguentum in vase porcellaneo clauso.

V. ⊙ UNGUENTUM SIMPLEX.

Rec. Cerae flavae unciae sex,
Olei Olivarum unciae quindecim,
in vase figulino sub continua agitatione et lento igne, ad consistentiam debitam coquantur et refrigerata in vase clauso asserventur.

⊙ UNGUENTUM DE STYRACE.

Rec. Oleo Been libra una,
Styracis vulgaris depurati,
Olei Terebinthinae,
Gummi Elemi,
Cerae citrinae ana unciae tres,
Colophonii pulverati libra semis,
in vase figulino absque Styrace reliqua leni igne sub continua agitatione liquefiant, demum admisceatur Styrax, perfecte unitis, trajiciantur calida per pannum laneum, massa colata cum spathula lignea continue agitetur, donec refrigerata evaserit, servetur Unguentum in vase porcellaneo clauso.

⊙ VINUM AMARUM.

Rec. Herbae Absynthii vulgaris recentis leniter siccatae uncia semis,
Herbae Cardui Benedicti recentis leniter siccatae drachmae tres,
Radicis Calami aromatici uncia semis,
Corticum Aurantiorum recentium drachmae tres,
concisis, mixtis in lagena vitrea superaffundantur
Vini Austriaci montani librae octo,
stent vase clauso in infusione frigida per sex dies, postea colatura per inclinationem vasis servetur in lagena vitrea optime clausa.

⊙ VINUM ANTIMONIATUM, seu EMETICUM.

Rec. Tartari emetici mitioris grana viginti quatuor,
Vini Austriaci montani libra una,
in lagena vitrea solvantur digestione frigida; servetur Vinum lagena clausa et in loco frigido.

DO-

DOSIS. Scopo emetico exhibetur a drachmis duabus, ad unciam semis aut unciam unam; a guttis decem ad triginta scopo alterante, resolvente et diaphoretico in quamplurimis morbis convenit. *Tartarus emeticus mitior* hanc praerogativam possidet, quod definita quantitate solutus, non praecipitetur, sed semper solutus maneat. Hinc Vinum hoc Antimoniatum ob determinatas vires magis securum et omnes infidas Tincturas Antimoniales optime supplet.

VINUM IPECACUANHAE.

Rec. Radicis Ipecacuanhae pulveratae drachmae sex,
Vini Austriaci montani unciae sex,
in vitro clauso, sine calore, digerantur per quatuor dies et subinde agitentur; dein filtrentur et in vitro optime clauso serventur.

DOSIS. Est ab uncia semis ad unam, aut unam et semis.

VINUM MARTIS seu CALYBEATUM.

Rec. Limaturae Martis purissimae uncia una,
Vini Austriaci montani libra una,
immittantur cucurbitae vitreae claudendae et digerantur sine calore per quatuor dies et subinde agitentur; postea filtrentur et serventur in vitro clauso.

⊙ VITRIOLUM ALBUM DEPURATUM.

Rec. Vitrioli albi libra una,
Aquae bullientis librae duae,
coquantur invicem in vase testaceo non vitreato ad solutionem, solutis addantur
Zinci orientalis limati drachmae sex,
digerantur adhuc per sex horas calide, postea Liquor clarus a subsidentia decantetur, et ad cuticulam evaporatus in loco frigido crystallisationi committatur. Crystalli obtentae inter chartam albam siccentur et in vitro clauso serventur. Crystalli Aqua soluti affuso Spiritu Salis Ammoniaci examinentur, an cuprea labe immunes sint.

⊙ VITRIOLUM MARTIS ARTIFICIALE, seu PURUM.

Rec. Aquae communis libra semis,
vasi vitreo colli ampli immittatur, eique successive instillentur
Olei Vitrioli Nordhusiani unciae duae,
mixtioni peractae successive et partitis vicibus ingerantur
Limaturae Martis purae unciae sex,
caveas a vaporibus inflammabilibus et suffocantibus ex admixtione Ferri oriundis. Miscela per nychthemerum modico digeratur calore; tunc, effervescentia plane finita et aliqua Limaturae Martis portione in fundo vasis

sis insoluta remanente, Liquor decantetur et filtretur; quodsi vero omnis Ferri Limatura soluta fuerit, solutioni denuo admisceatur

Limaturae Martis purae drachma una,

hac drachma iterum soluta, nova ingeratur et sic continuetur eo usque, donec ultima injecta Limatura Martis non amplius soluta fuerit, tunc, uti jam dictum, Liquor decantetur et filtretur. Liquor filtratus vasi ferreo infundatur et subministretur talis ignis, ut ebullitioni semper quidem proximus sit, minime tamen ebulliat; simulac in superficie Liquoris cuticula formetur sive parvae appareant Crystalli, Liquor ab igne removeatur et vasi evaporatorio immissus in loco frigido crystallisationi committatur. Crystalli exortae eximantur et Liquor denuo evaporetur, novaeque exponatur crystallisationi; qui labor tam diu repetatur, donec nullae amplius exortae fuerint Crystalli. Omnes Crystalli obtentae intra chartam bibulam albam et duplicatam exsiccentur et in pluribus vitris arctissime clausis serventur.

N. P. Sint Crystalli rhomboidales, coloris viridis minime in coeruleum vergentis, saporis ab initio amari, postea vero dulciusculi cum acredine constringente, ab Aere accedente in Pulverem dilabentes flavescentem. Solutioni ex drachma una hujus Vitrioli Martis et Aquae communis destillatae uncia una paratae immissum Ferrum politum minime induat colorem rubescentem, et dictae solutioni instillatus Spiritus Salis Ammoniaci causticus nullum progeneret colorem coeruleum vel saphirinum, etiam quodsi haec solutio antea per affusionem Liquoris Salis Tartari praecipitata fuerit.

SECTIO II.

CONTINENS MEDICAMENTA PRAEPARATA ET COMPOSITA, QUAE IN PHARMACOPOLIIS NON ASSERVANTUR, QUIA MORA CORRUMPUNTUR, SED SEMPER *EX TEMPORE RECENTER* PARANTUR.

V. ACETUM VINI CAMPHORATUM.

Aceti Vini cuilibet unciae praescriptae admisceantur in mortario vitreo solerti trituratione

Camphorae pulveratae grana quinque,

in Mucilaginis Gummi arabici drachma semis soluta, servetur in vitro clauso.

DOSIS. *Interne*, a drachmis duabus ad unciam dimidiam.

V. ALBUMEN OVORUM SPIRITUOSUM.

Rec. Albuminis ovorum quantum volueris,
conquassetur cum spathula lignea addendo
Spiritus Vini rectificati quantum satis,
misceantur et inspissentur in linimentum.

V. AQUA AERATA ALCALINA, seu MEPHITICA ALCALINA ARTIFICIALIS.

Rec. Sodae depuratae drachmae duae,
Aquae destillatae communis libra una,
Alcali in Aqua solutum, in apparatu Woulfiano impraegnetur Acido Aereo seu Aere fixo, evoluto ex solutione Cretae in frustula contusae, in Spiritu Vitrioli vulgari seu diluto, eo usque, donec Acidum Aereum superabundet. *Aqua Aerata alcalina* obtenta, in lagena vitrea epistomio vitreo et duplici vesica bubula clausa servetur. Videantur etiam ea, quae in *Praenoscendis Sect. V. §. IV. No.* 13. de hac Aqua dicta erant.

AQUA AERATA ALCALINA. seu AQUA MEPHITICA ALCALINA COMMUNIS.

Rec. Cinerum clavellatorum depuratorum vel Salis Tartari drachmae duae,
solvantur in Aquae destillatae communis libra una,
signetur No. 1. deinde

Rec. Aquae fontanae libra una,
Spiritus Vitrioli tenuioris seu diluti unciae duae,
misceantur signetur No. 2.

Primo sumitur de solutione signata No. 1. uncia una, et postea statim de Mixtura No. 2. eadem quantitas, et hoc omni hora reiteretur.

NOTA. Pauperibus loco *Aquae Aeratae alcalinae* seu *Aquae mephiticae alcalinae artificialis* exhiberi poterit.

V. AQUA AROMATICA SPIRITUOSA, vulgo BALSAMUS EMBRYONIS.

Rec. Spiritus Melissae compositi partes duodecim,
Salviae,
Menthae,
Lavandulae,
Tinctura Macidis ana partem unam,
misceantur.

AQUA

AQUA CARMINATIVA.

Rec. Aquae destillatae Chamomillae vulgaris partes duodecim,
Aquae destillatae Corticum Aurantiorum,
Aquae destillatae Seminum Carvi,
Aquae destillatae Menthae Piperitae simplicis ana partes duas,
misceantur, dentur.

V. AQUA FLORUM CASSIAE SPIRITUOSA vel VINOSA.

Rec. Aquae destillatae Florum Cassiae simplicis partes duae,
Spiritus Florum Cassiae pars una;
misceantur invicem exactissime et serventur in vitro optime clauso.

DOSIS. Cochlear unum ad duo.

Eodem modo parantur:

V. AQUA HERBAE MELISSAE SPIRITUOSA.

V. AQUA HERBAE MENTHAE PIPERITAE SPIRITUOSA.

V. AQUA VANILLAE SPIRITUOSA.

V. AQUA HEPATICA ACIDULATA, seu LIQUOR VINI PROBATORIUS HAHNEMANNI.

Rec. Aquae communis libra una,
coquatur in vase fictili optime vitreato clauso per horam, postea refrigerationi ad Lactis teporem committatur; simul
Hepatis Sulphuris calcarei drachma una,
Cremoris Tartari drachma una cum semisse,
invicem misceantur et lagenae vitreae forti, librae ferme unius capaci immittantur et immissis affundantur
Aquae, uti dictum, coctae et tepidae unciae octo,
statim post affusionem lagena exactissime obturaculo claudatur, pluries agitetur et postea per quatuor horas quieti committatur. Subsidentia facta, liquidum clarum supernatans in vitra decantetur unciae unius capacia, quorum singulo antea
Spiritus Salis acidi vulgaris diluti guttae viginti quatuor,
instillatae sunt, quae vitra deinde optime claudantur, Ceraque Terebinthinata obliniantur, tunc aliquoties versentur et in loco frigido serventur.

AQUA NEPHRITICA.

Aquae Calcis vivae cuilibet unciae praescriptae,
lagenae vitreae immissae admisceantur

Salis alcali mineralis puri grana decem,
detur in vitro clauso.

AQUA OPHTHALMICA SAPHIRINA.

Aquae Calcis vivae cuilibet unciae praescriptae,
lagenae vitreae ingestae admisceantur
Salis Ammoniaci depurati grana quinque,
Viridis Aeris crystallisati electi pulverati granum semis,
detur in vitro clauso.

V. AQUA VEGETO-MINERALIS, seu ACETUM PLUMBI DILUTUM.

Rec. Aquae communis destillatae partes quadraginta octo,
Extracti Saturni pars dimidia,
misceantur et serventur in vase vitreo.

BALSAMUS AROMATICUS, seu CARYOPHYLLORUM.

Rec. Olei essentialis Caryophyllorum,
Olei essentialis Benzoes,
Balsami Peruviani ana partem unam,
Olei Nucis Moschatae pressi partes tres,
terendo in mortario vitreo frigide misceantur.

BALSAMUS ODONTALGICUS.

Rec. Olei Cajeput rectificati partes sex,
Opii puri,
Camphorae ana partes duae,
Olei Nucistae pressi partes octodecim,
Opium in Pulverem redigitur, et Camphora Spiritu Vini solvitur, postea adduntur reliqua et perfecte mixtis servetur Balsamus in vitro exacte clauso.

DOSIS. Hujus Balsami quantitas magnitudine pisi mediante Gossypio denti dolenti applicatur.

BALSAMUS OPHTHALMICUS RUBER.

Rec. Butyri recentis insulsi uncia una cum semisse,
super leni igne in mortario vitreo liquatis et quodammodo rursus refrigeratis admisceantur sub perpetua trituratione
Mercurii praecipitati rubri subtilissime pulverati grana quindecim,
Opii puri grana duo,
perfectissime mixta dentur in pyxide porcellanea.

NOTA. Ad pterygia et maculas corneae curandas, subinde etiam in inveteratis ophthalmiis ac aliis oculorum vitiis quotidie bis corneae affricatur seu potius applicatur ut per se deliquescat quantitas ac majoris acus capitulum est.

BALSAMUS SAPONACEUS EXTERNUS.

Rec. Saponis Alicantini rasi exsiccati et pulverati partes sedecim,
Olei Terebinthinae partes triginta et duae,
Salis Tartari depurati partes tres,
in mortario vitreo vel lapideo solerti trituratione misceantur et solvantur.

NOTA. Tanquam resolvens et discutiens *externe* infricetur partibus luxatis, debilibus, paralyticis, ad tumores frigidos discutiendos et in anchylosi.

BALSAMUS SAXONICUS.

Rec. Olei essentialis Lavandulae,
Succini rectificati ana partes quatuor,
essentialis Majoranae,
essentialis Menthae Piperitae ana partes tres,
essentialis Rorismarini partes sex,
essentialis Macidis partes duae,
Nucis Moschatae pressi partes centum et viginti,
misceantur terendo in mortario vitreo frigide in Balsamum.

BALSAMUS TRAUMATICUS, seu COMMENDATORIS.

Rec. Tincturae Myrrhae,
Mastiches ana partes duae,
Aloes pars dimidia,
Balsami Peruviani pars una,
Tincturae Florum Hyperici partes viginti quatuor,
misceantur.

NOTA. Conducit in capitis laesionibus, vulneribus partium nervosarum et tendinosarum et in genere ubi vulnera statim consolidanda; in carie ossium, doloribus periostii et dentium doloribus, a carie et pituitosis stagnationibus ortis, quos, si aliquot guttulae pluma exceptae denti dolenti impositae fuerint, lenit.

V. CATAPLASMA ANODYNUM DE MICA PANIS.

Rec. Micae Panis albi unciae sex,
coque in sufficienti quantitate Lactis Vaccini in consistentiam cataplasmatis, sub finem addendo
Vitelli Ovorum No. 2,

Cro-

Croci Austriaci pulverati grana viginti quatuor,
misceantur, dentur.

CATAPLASMA ANTISEPTICUM.

Rec. Corticis Salicis albae pulverati,
Corticis Quercus pulverati ana pars una,
Aceti Vini camphorati partes sex,
exactissime mixta dentur.

V. CATAPLASMA EMOLLIENS.

Rec. Pulveris Specierum emollientium pro cataplasmate libra semis,
coquatur in sufficienti quantitate Aquae communis in consistentiam cataplasmatis, detur.

CATAPLASMA MATURANS.

Rec. Cataplasmatis emollientis partes sex,
Saponis Alicantini rasi partes duae,
misceantur, dentur.

NOTA. Pro ratione circumstantiarum loco Saponis, poterit addi Fermentum Panis acidum, aut Gummi Galbanum Vitello Ovi subactum, aut Unguentum digestivum compositum etc.

CATAPLASMA RESOLVENS.

Rec. Specierum resolventium concisarum libra semis,
Aquae vegeto-mineralis quantum satis,
coquantur in consistentiam cataplasmatis, dentur.

CEREVISIA ANTISCORBUTICA.

Rec. Radicis Raphani rusticani in minutas taleolas dissecti unciae duae,
Turionum Pini uncia una,
his in lagena vitrea ampla superaffundantur
Cerevisiae frigidae librae quatuor,
stent vase clauso in infusione frigida per quadraginta octo horas, colatura per inclinationem vasis detur.

CLYSMA BALSAMICUM, seu TEREBINTHINATUM.

Rec. Terebinthinae drachmae duae,
Vitello Ovorum subactae addantur
Decocti emollientis unciae decem,

Olei

Olei Lini uncia una,
misceantur, dentur.

V. CLYSMA CARMINATIVUM.

Rec. Specierum pro clysmate carminativarum uncia una,
Aquae communis libra una,
ebulliant aliquoties in vase tecto, colaturae addatur
Olei Baccarum Lauri expressi uncia semis,
mixta dentur et adhibeantur adhuc calida.

DOSIS. Pro adulto.

V. CLYSMA ECCOPROTICUM.

Rec. Specierum emollientium drachmae sex,
coquantur per quadrantem horae in
Aquae communis unciis octo,
in colatura expressa, dissolvantur
Electuarii lenitivi uncia una cum semisse,
misceantur, dentur.

V. CLYSMA EMOLLIENS.

Rec. Specierum emollientium concisarum pro cataplasmatae uncia una,
Aquae communis libra una,
coquantur ad remanentiam medietatis, colaturae expressae addantur
Olei Lini unciae quatuor,
mixta, dentur et adhibeantur adhuc calida.

DOSIS. Pro adulto.

NOTA. Etiam ex Butyro parari potest, si Butyri recentis in taleolas secti unciis quatuor paulatim affundantur Infusi Florum Chamomillae vulgaris aut Decocti Furfurum Tritici aut Decocti Hordei fervidi adhuc unciae octo et ligno versatili strenue conquassando uniantur, obtinetur ex. gr. in itinere aut ruri, ubi alia non habentur, clysma emolliens, quod ad dimidiam portionem tepide injectum, intestinum, in quo Butyrum in coagulum tendens diutius remoratur, quam optime relaxat.

CLYSMA LENIENS.

Rec. Specierum emollientium pro cataplasmate concisarum uncia semis,
coquatur in
Aquae communis libra semis ad residuum unciarum trium,
co-

colaturae expressae addantur
Mucilaginis spissioris Gummi arabici,
Olei Lini ana unciae tres,
Vitelli Ovorum No. 1,
misceantur, dentur.

NOTA. Etiam ex Amylo tale clysma parari potest, si Amyli drachma aut scrupuli quatuor, pauca Aqua seorsim bacillo ligneo agitentur, ut Amylum conglobatum dissolvatur, quod dein Aquae fontanae purae fervidae unciis tredecim admisceatur; ebulliant parum et haec quantitas in duas partes divisa ad clysmata bina inservit. In dysenteria, tenesmo, colicis doloribus etc. cum fructu adhibentur. Subinde etiam Laudanum liquidum Sydenhami ad guttas decem vel duodecim addi poterit.

CLYSMA OPIATUM.

Rec. Specierum emollientium uncia semis,
coquatur in
Aquae communis libra una,
ad remanentiam unciarum sex,
colaturae expressae addantur
Laudani Liquidi Sydenhami guttae triginta,
misceantur, dentur.

V. CLYSMA ORDINARIUM.

Rec. Decocti Hordei unciae sex,
Olei Olivarum unciae duae,
misceantur, dentur.

CLYSMA PURGANS.

Rec. Specierum emollientium pro cataplasmate concisarum uncia semis,
Aquae communis libra una,
coquantur ad remanentiam unciarum sex,
colaturae expressae addantur
Salis Sedlizensis amari uncia una,
Oxymellis simplicis unciae tres,
mixta, adhuc calida dentur et adhibeantur.

CLYSMA RESOLVENS, seu VISCERALE.

Rec. Specierum pro clysmate resolventium uncia una,
coquatur in
Aquae communis libra una,
ad remanentiam medietatis, colatura expressa exhibeatur.

CLYS-

CLYSMA REVELLENS, seu IRRITANS.

Rec. Decocti Hordei unciae decem,
Pulveris Radicis Squillae siccatae drachma una,
misceantur, dentur.

NOTA. Etiam tale clysma parari potest solvendo grana octo *Tartari emetici mitioris* in Aquae destillatae communis unciis sex. Ad clysma irritans quoque, Acetum frigidum, si Aquae fervidae additur, adhiberi potest, et irritando alvum solicitat. Huc pertinent quoque clysmata ex fumo Tabaci aut Decocto vel Infuso hujus parata.

COLLUTORIUM ADSTRINGENS.

Rec. Specierum pro gargarismate adstringentium uncia una cum semisse,
coquantur in
Aquae communis libra una cum semisse,
ad remanentiam librae unius,
colatura detur.

V. COLLUTORIUM ODONTALGICUM.

Rec. Radicis Ptarmicae drachmae duae,
Salis Ammoniaci drachma una,
Opii puri grana duo,
Aceti Vini,
Aquae destillatae Foliorum Salviae ana unciae duae,
misceantur et in vase vitreo clauso digerantur in balneo mariae per horam unam, colatura servetur.

V. COLLYRIUM ANODYNUM.

Rec. Lactis Vaccini calidi unciae quatuor,
Croci Austriaci pulverati scrupuli duo,
terantur invicem in mortario vitreo ad solutionem; colatura expressa exhibeatur.

V. COLLYRIUM EX BORACE.

Rec. Aquae destillatae Florum Sambuci unciae tres,
Pulveris subtilissimi Boracis grana quindecim,
Pulveris subtilissimi Sacchari albi drachma semis,
misceantur, dentur.

COLLYRIUM ROBORANS.

Rec. Aquae ophthalmicae saphirinae unciae tres,
Aquae stypticae vulnerariae drachmae tres,
Aquae destillatae communis unciae duae,
misceantur, dentur.

NOTA. In epiphora et lippitudine a debilitate convenit; praeterea loco hujus Aquae simpliciter Collyrium ex Aluminis Romani granis quinque in Aquae communis destillatae unciis quinque solutis adhiberi potest.

COLLYRIUM SATURNINUM.

Rec. Aquae destillatae Sambuci unciae tres,
Extracti Saturni grana decem,
misceantur, dentur.

COLLYRIUM EX VITRIOLO ALBO.

Rec. Aquae destillatae Rosarum unciae tres,
Vitrioli albi depurati grana tria,
misceantur, dentur.

V. DECOCTUM ALBUM, seu CORNU CERVI.

Rec. Specierum Decocti albi uncia una cum semisse,
Aquae communis librae tres,
coquantur ad remanentiam librarum duarum,
colatura expressa sine clarificatione exhibeatur.

NOTA. Vim demulcentem et temperantem possidet, et praecipue in morbis chronicis conducit pro potu ordinario.

V. DECOCTUM HORDEI.

Rec. Hordei decorticati unciae duae,
Aqua frigida probe abluantur, postea cum
Aquae communis circiter libra semis,
semel ebulliant; qua decantata et abjecta, Hordeum remanens denuo immittatur
Aquae bullientis libris quatuor,
tunc ad remanentiam dimidii coquantur, et colatura detur.

DE-

DECOCTUM SALEP.

Rec. Pulveris simplicis Radicis Salep drachma una,
in mortario vitreo tam diu affundatur per vices Aquae communis frigidae cochlear unum, usque dum Pulvis ab Aqua optime penetratus fuerit et spatium circiter quadruplo majus quam antea expleverit, tunc sub continua agitatione successive affundantur
Aquae communis bullientis libra una cum semisse,
miscela tandem in vase fictili super igne leni et sub crebra agitatione per semihoram coquatur et Decoctum gelatinosum in vase clauso detur.

ELECTUARIUM ANTHELMINTICUM.

Rec. Seminis Cinae pulverati,
Radicis Valerianae sylvestris pulveratae ana drachma una cum semisse,
Radicis Jalappae pulveratae drachma una,
Oxymellis Squillitici,
Syrupi simplicis ana uncia una,
exactissime in mortario vitreo misceantur et dentur in pyxide clausa.

DOSIS. A drachma semis, ad unciam semis, bis de die exhibetur; plerumque per epicrasin datur.

V. ELECTUARIUM GINGIVALE.

Rec. Succi Catechu depurati pulverati,
Radicis Calami aromatici ana drachma una,
Myrrhae rubrae pulveratae drachma semis,
Olei aetherei Caryophyllorum aromaticorum guttae duodecim,
Mellis Rosarum uncia una cum semisse,
misceantur exactissime, triturando in mortario lapideo, et mixta dentur in pixide pro usu externo.

ELECTUARIUM PURGANS.

Rec. Roob Sambuci,
Roob Ebuli,
Roob Juniperi ana partes quatuor,
Pulveris Radicis Jalappae,
Pulveris Arcani duplicati ana partem unam et dimidiam,
Syrupi de Spina Cervina sufficiens quantitas,
misceantur omnia in mortario lapideo exactissime et mixta dentur.

DOSIS. Drachmae quatuor aut sex, rarissime uncia una solet pro dosi exhiberi, plerumque per epicrasin datur, vel aliis admiscetur.

ELEOSACCHARA.

Parantur terendo Saccharum, cujus cuilibet unciae semis Olei ejusdem aetherei, a quo Eleosaccharum praescriptum nomen suum accepit, guttae duodecim instillatae sunt. Eleosaccharum autem *Corticum Aurantiorum* vel *Citri* etiam paratur adfricando Saccharum Canariense Fructibus Aurantiis vel Citreis recentibus, donec odore et sapore probe imbutum sit.

ELIXIRIUM ACIDUM.

Rec. Spiritus Vitrioli acidi,
Spiritus Nitri dulcis partes aequales,
misceantur, dentur.

NOTA. ELIXIR ACIDUM hoc gratius non solum, sed et temperatius est nec ventriculum adeo afficit ut *Spiritus Vitrioli* purus atque pluribus aegrotis melius conducit quam ELIXIR ACIDUM HALLERI; in hoc enim, quoniam ex Oleo Vitrioli et Alcohole Vini simpliciter mixtis constat, non exigua pars Alcoholis Vini libera et immutata manet, eaque medicamentum hoc calidum reddit; aliqua pars Alcoholis Vini cum Acido vitriolico in Spiritum sulphureum ingratum et pectori inimicum abit. Quavis igitur occasione in praxi mea ELIXIR ACIDUM supra positum praetuli et non sine exoptato eventu substitui ELIXIRIO ACIDO HALLERI.

DOSIS. Guttae decem, ad triginta, unciis aliquot Aquae fontanae purissimae instillatae et pro dosi haustae, egregias vires antispasmodicas, carminativas, analepticas, antiputredinosas exserunt; hinc in febribus putridis, *Statu nervoso* febrium, affectibus chronicis convulsivis et spasticis optime convenit.

ELIXIRIUM VITRIOLI AROMATICUM.

Rec. Elixirii aromatici partes octo,
Elixirii acidi pars una,
misceantur exactissime et dentur in vitro clauso.

DOSIS. Guttae quadraginta, ad septuaginta.

V. EMPLASTRUM MAMMILLARE COMMUNE, loco SPERMATIS CETI.

Rec. Cerae albae partem unam unam,
Sevi Cervini partem unam et dimidiam,
Sevi Vervecini partem dimidiam,
omnia in vase figulino vitreato leni igne liquescant et adhuc calida per pannum laneum trajiciantur et fiat Emplastrum.

EM-

EMPLASTRUM MAMMILLARE cum GALBANO.

Paratur, si singulis unciis Emplastri Mammillaris communis, additur Pulveris Gummi Galbani depurati drachma una.

V. EMPLASTRUM AD CLAVOS PEDUM.

Rec. Cerae citrinae
Pulveris Gummi Ammoniaci ana partes octo,
Pulveris Viridis Aeris partes sex,
colliquatis leni igne in vase terreo vitreato Cera et Gummi, ab igne remotis addatur viride Aeris, mixta dentur.

V. EMPLASTRUM VESICATORIUM COMMUNE.

Rec. Emplastri emollientis,
Emplastri adhaesivi simplicis seu cerei,
Cantharidum recenter grosso modo pulveratarum ana partes sex,
Camphorae partem dimidiam,
Emplastra in vase figulino vitreato leni igne liquefiant, liquefacta ab igne removeantur et sub perpetua agitatione ac paululum refrigeratis, sensim admisceatur exactissime Pulvis grossus Cantharidum et tandem Camphora cum aliquot guttis Spiritus Vini in Pulverem trita, fiat Emplastrum.

EMPLASTRUM VESICATORIUM PERPETUUM.

Rec. Emplastri vesicatorii communis partes sex,
in vase figulino vitreato leni calore liquatis et ab igne remotis sub perpetua agitatione sensim admisceantur exactissime
Cantharidum recenter grosso modo pulveratarum pars una et dimidia,
exacte subactis addatur
Pulveris Gummi Euphorbii pars una,
exacte mixtis, fiat Emplastrum.

V. EMULSIO AMYGDALARUM COMMUNIS.

Rec. Amygdalarum dulcium excorticatarum pars una,
Amygdalarum amararum excorticatarum pars quarta,
contundantur in mortario lapideo, affusa Aquae communis pauca quantitate, in massam penitus pultaceam, tunc affundantur perpetua trituratione
Aquae communis purae partes quatuor,
liquidum lacteum per linteum coletur et residuo iterum sub trituratione continua adfundantur
Aquae communis purae partes duae,
liquidum colatum priori admisceatur et addatur miscelae

Sac-

Sacchari albi pulverati pars semis,
ac in vase vitreo clauso detur.

EMULSIO ARABICA.

Rec. Emulsionem Amygdalarum communem mox praescriptam, addantur

Pulveris Gummi arabici drachmae duae,
misceantur exacte, dentur in vitro clauso.

EMULSIO CAMPHORATA.

Emulsionis Amygdalarum communis cuilibet unciae praescriptae,
admisceantur probe

Camphorae in Mucilagine Gummi arabici quantitate sufficiente solutae grana tria,
mixta, dentur in vase vitreo clauso.

V. EMULSIO ORDINARIA.

Rec. Seminum Melonum pars una,
Seminum Cucurbitae partes duae,
Aquae communis purae partes viginti quatuor,
porro paretur ut *Emulsio Amygdalarum communis*, colatura detur in vase clauso.

EXTRACTUM AMARICANS.

Rec. Extracti Herbae Trifolii fibrini,
Herbae Cardui Benedicti,
Herbae Centaurii minoris,
Rhabarbari ana partes aequales,
Extracti Corticum Aurantiorum partem dimidiam,
mixta, dentur.

FOMENTUM ANTIPHLOGISTICUM.

Rec. Saponis Alicantini partes tres,
solvantur in

Aquae Calcis vivae partibus viginti quatuor,
addantur

Spiritus Vini vulgaris destillati partes quinque,
Extracti Saturni partem dimidiam,
misceantur, dentur.

FO-

FOMENTUM ANTISEPTICUM CORTICIS QUERCUS.

Rec. Corticis Quercus contusi unciae duae,
coquantur in
Aceti Vini libris tribus,
ad remanentiam librarum duarum,
sub finem infundantur
Herbae Rutae,
Herbae Scordii ana drachmae tres,
stent vase clauso in Infusione per dimidiam horam, colaturae addatur
Salis Ammoniaci uncia semis,
misceantur, detur in vase clauso.

FOMENTUM ANTISEPTICUM CORTICIS SALICIS ALBAE.

Rec. Corticis Salicis albae unciae duae,
concisis affundantur
Aquae communis librae tres,
coquantur ad remanentiam librarum duarum,
colatura expressa, detur.

FOMENTUM EMOLLIENS.

Rec. Specierum emollientium pro cataplasmate concisarum unciae tres,
coquantur in
Aquae communis libris tribus,
ad remanentiam librarum duarum,
colatura expressa, detur.

FOMENTUM EX FECIBUS VINI.

Rec. Fecum Vini recentium libra una,
Aquae fontanae librae duae,
misceantur, coquantur invicem per quadrantem horae, colatura expressa detur.

FOMENTUM FRIGIDUM.

Rec. Pulveris Salis Ammoniaci crudi,
Pulveris Salis mirabilis Glauberi ana unciae duae,
Pulveri Nitri puri unciae quinque,
solvantur in
Aquae fontanae frigidae libris decem,
addatur
Aceti Vini optimi libra una,
misceantur, dentur.

FOMENTUM RESOLVENS ex HERBIS.

Rec. Specierum Resolventium pro cataplasmate concisorum unciae tres,
coquantur in
Aquae communis libris tribus,
ad remanentiam librarum duarum,
colatura expressa, detur.

FOMENTUM RESOLVENS SAPONACEUM.

Rec. Aquae communis partes viginti quatuor,
Balsami saponacei externi pars una,
mixta, dentur pro usu externo.

FOMENTUM TONICUM.

Rec. Aquae Calcis vivae recenter paratae partes viginti quatuor,
Spiritus Vini Camphorati pars una,
mixta, dentur in vitro clauso pro usu externo.

V. GELATINA CORNU CERVI ACIDA.

Rec. Gelatinae Cornu Cervi simplicis adhuc calidae partibus tribus,
probe admisceatur
Syrupi Aceti pars una,
{ *quodsi pro Syrupo Aceti admisceatur Vinum album, Gelatina Cornu Cervi vinosa, si admisceatur Syrupus Amygdalinus, Gelatina evadit Cornu Cervi Amygdalata.* }
reponantur in loco frigido ut in Gelatinam abeant.

V. GELATINA CORNU CERVI SIMPLEX.

Rec. Rasurae Cornu Cervi pars una,
Aquae communis partes octo,
coquantur in vase testaceo et lento igne, sine ulla agitatione, ad partium duarum remanentiam, quae cum expressione colentur et reponantur in loco frigido ut in Gelatinam abeant, detur in pyxide clausa.

GELATINA LICHENIS ISLANDICI.

Rec. Lichenis Islandici concisi unciae tres,
Aquae communis librae quatuor,
coquantur in vase testaceo lento igne et sub crebra agitatione ad tertiae partis remanentiam, quae cum expressione coletur, et porro ad libram unam inspissetur, eique adhuc calenti admisceantur

Sy-

Syrupi simplicis unciae tres,
denique ponantur in loco frigido, usque dum in Gelatinam abierint.

GLOBULI AD FONTICULOS.

Emplastrum vesicatorium commune formetur in Globulos pisi majoris magnitudinis.

HEPAR SULPHURIS VULGARE.

Rec. Cinerum clavellatorum depuratorum partes duae,
Sulphuris citrini pulverati pars una,
exactissime mixta et sartagini testaceae immissa, super admodum leni igne fluant, usque dum colorem hepatis coeruleo-rubrum nacta et portiuncula ejus exemta in Aqua penitus solubilis fuerit, tunc massa laminae metallicae effundatur, refrigerationi committatur et statim in Pulverem redigatur, in vitro contra accessum Aeris arctissime claudendum.

INFUSUM CORTICIS CHINAE, seu PERUVIANI FRIGIDUM.

Rec. Corticis Chinae electissimae pulverati pars una,
Aquae communis partes duodecim,
[*Si loco Aquae Vinum Austriacum montanum adhibetur eadem quantitate, Infusum Corticis Chinae vinosum paratur.*]
mixta seponantur in vase clauso vitreo et loco frigido per duas dies, crebra autem sub agitatione forti, postea colentur et dentur in vitro clauso.

INFUSUM RADICIS IPECACUANHAE.

Rec. Aquae communis bullientis cuilibet unciae praescriptae,
addatur
Radicis Ipecacuanhae pulveratae scrupulus unus,
quiescant loco calido per horae quadrantem, postea colentur et detur Infusum in vitro clauso.

V. INFUSUM LAXATIVUM, seu SENNAE ALEXANDRINAE.

Rec. Foliorum Sennae Alexandrinae drachmae sex,
Mannae electae unciae duae,
Aquae communis destillatae fervidae unciae octo,
in cucurbita vitrea clausa digerantur, leni calore per sex horas, tunc colentur sine expressione et colaturae admisceantur
Liquoris Anodyni mineralis destillatione parati guttae viginti quatuor,
dentur in vitro clauso.

DOSIS. Unciae tres vel quatuor.

INFUSUM MALTAE.

Rec. Aquae communis bullientis cuilibet librae praescriptae, addantur
Maltae Hordei furno siccatae contusae unciae quatuor,
mixta bene agitentur et per quatuor horas in vase figulino tecto calide digerantur, dein colentur.

V. INFUSUM RHABARBARI, seu RHEI AQUOSUM.

Vide *Tinctura Rhabarbari* seu *Rhei aquosa.*

JULAPIUM VITRIOLATUM.

Rec. Aquae destillatae Rubi Idaei partes viginti quatuor,
Spiritus Vitrioli acidi diluti pars una,
Syrupi Ribesiorum rubrorum partes octo,
mixtum detur in vase vitreo clauso.

LAC GUMMI AMMONIACI.

Rec. Gummi Ammoniaci pulverati partes duae,
Mucilaginis Gummi arabici,
vel Vitelli Ovorum pars una,
terantur in mortario lapideo sub affusione successiva
Aquae destillatae Hyssopi partium triginta duo,
donec Gummi vel Vitellus Ovi penitus solutus fuerit. Detur in vitro clauso.

LIMONADA EXTEMPORANEA.

Rec. Pulveris Salis essentialis Tartari drachma semis,
Eleosacchari Corticum Citri drachmae sex,
perfecte mixta solve in
Aquae fontanae libra una,
dentur usui.

V. LINCTUS OLEOSUS.

Rec. Olei Amygdalarum dulcium recentissimi partes quatuor,
Vitelli Ovorum recentium pars una,
in mortario lapideo tritis et subactis probe admisceantur
Syrupi Althaeae partes decem,
detur in pyxide clausa.

DOSIS. Cochlear parvum a potu Thee nominatum.

V. LINCTUS PECTORALIS DEMULCENS.

Rec. Oxymellis Squillitici,
Syrupi Althaeae,
Mucilaginis Gummi arabici partes anaticae,
trituratione in mortario lapideo in Linctum conversa dentur.

LINCTUS SAPONACEUS.

Rec. Saponis Alicantini rasi pars una,
Olei Amygdalarum dulcium recentissimi partes octo,
Syrupi Mannati partes duodecim,
trituratione in mortario lapideo soluta et in Linctum conversa dentur in pixide clausa.

LINIMENTUM ANTISPASTICUM.

Rec. Unguenti Althaeae simplicis cum Camphora partes sedecim,
Olei Hyosciami Infusi partes octo,
Spiritus Salis Ammoniaci aquosi partes duae,
Laudani Liquidi Sydenhami pars una,
exactissime trituratione in mortario vitreo mixta, dentur in vase clauso.

LINIMENTUM SAPONACEUM, seu RESOLVENS.

Rec. Saponis Alicantini rasi partes quatuor,
Spiritus Vini rectificati partes sedecim,
Saponem immitte in vas altum testaceum vitreatum, huic superaffundatur Spiritus, postea accendatur Spiritus et agitetur Massa spathula lignea, donec Spiritus flagrare cesset, dein Massae calidae in mortario vitreo calefacto addantur
Linimenti volatilis partes duodecim,
Unguenti Althaeae cum Terebinthina partes sedecim,
Camphorae Spiritu Vini solutae pars una,
exactissime trituratione mixta, dentur in vase clauso.

LINIMENTUM VOLATILE, seu SAPO AMMONIACALIS.

Rec. Spiritus Salis Ammoniaci caustici pars una,
Olei Olivarum partes tres,
in vitro clauso tam diu agitentur, donec perfecte invicem fuerint mixta in massam spissiorem ac albam. Detur in vase clauso.

LIQUAMEN MYRRHAE, seu OLEUM MYRRHAE.

Rec. Extracti Myrrhae aquosi partes duae,
Mellis crudi pars una,

Aquae communis partes tres,
terantur in mortario vitreo, usque dum miscela optime soluta evaserit.

LIQUOR STYPTICUS.

Rec. Aquae Calcis vivae unciae duae,
Myrrhae pulverisatae,
Succi Catechu depurati ana drachma semis,
misce, fiat solutio, quae colanda.

USUS. In gonorrhoea benigna, vel in stillicidio ex gonorrhoea maligna relicto et interna medicamenta respuente in urethram aliquoties de die injicitur. Forma fomenti hic Liquor applicatus varia ulcera phagedaenica sanat.

LOTIO ANTIPSORICA.

Rec. Hepatis Sulphuris calcarei pulverati,
Cremoris Tartari ana drachmae duae,
his in lagena vitrea superaffundantur
Aquae communis frigidae librae duae,
concutiendo misceantur.

NOTA. In quiete haec miscela iterum limpida fit, et cum Liquore hoc limpido decantato partes scabiosae ter de die lavantur.

MARS SOLUBILIS, seu TARTARUS CALYBEATUS.

Rec. Limaturae Martis purissimae subtilissime pulveratae grana quindecim,
Salis essentialis Tartari pulverati scrupulus unus,
Pulveris Florum Cassiae grana quinque,
misceantur exacte, fiat Pulvis pro dosi.

MASSA ODONTALGICA.

Rec. Pulveris Mastichis,
Sandaracae ana drachmae duae,
Gummi Kino grana decem,
Opii puri grana duo,
Olei Rorismarini aetherei guttae octo,
Spiritus Cochleariae quantum satis,
misce, fiat Massa Emplastri consistentiae.

NOTA. In odontalgia sanguinea, arthritica, venaesectione, cucurbitulis, vesicatoriis aliisque parum aut nihil proficientibus, praecipue autem in odontalgia rheumatica, hujus Massae portio Fabae magnitudine ipsis gingivis admota, dolores citissime ac felicissime dissipat.

MEL

MEL CHELIDONII.

Rec. Extracti Chelidonii pars una,
Mellis Rosarum partes octo,
in mortario vitreo exactissime trituratione mixta, dentur in vase clauso pro usu externo.

V. MUCILAGO CYDONIORUM SEMINIS.

Rec. Seminum Cydoniorum pars una,
Aquae communis destillatae fervidae partes octo,
in vase vitreo vel testaceo digerantur calide, donec Aqua extracta Mucilagine, admodum evaserit spissa, tum per linteum trajiciatur et detur.

V. MUCILAGO GUMMI ARABICI.

Rec. Gummi arabici electi pars una,
Aquae communis bullientis partes quatuor,
terantur invicem et satis fortiter in mortario vitreo usque ad solutionem Gummi et refrigerationem, tum Mucilago per pannum laneum prematur et in vitro probe clauso servetur.

V. MUCILAGO GUMMI TRAGACANTHAE.

Rec. Gummi Tragacanthae electae albae pars una,
Aquae communis frigidae partes duodecim,
macerentur invicem duodecim horis, postea forti trituratione in mortario vitreo misceantur et solvantur, Mucilago per laneum pannum pressa servetur in vitro probe clauso.

MUCILAGO SEMINIS LINI.

Rec. Seminum Lini pars una,
contusis affundantur
Aquae communis partes tres,
coquantur invicem, usque dum Decoctum Albumini Ovorum simile evadat, quo facto per pannum linteum mediante pressione coletur.

V. OLEUM AMYGDALARUM DULCIUM RECENTER PRESSUM.

Rec. Amygdalarum dulcium recentium et minime rancidarum quantitas conveniens,
ope lintei rudis penitus a Pulvere adhaerente detersae et postea crasse contusae sacco linteo forti includantur et prelo ferreo, prius in Aqua fervida calefacto, tam diu comprimantur, donec omne Oleum emiserint.

OLEUM ANODYNUM.

Rec. Laudani Liquidi Sydenhami partes quatuor,
Olei Olivarum albi optimi partes viginti,
misce, dentur in vitro clauso.

NOTA. Oleum hoc, probe agitatum et panno laneo simul et semel instillatum, in affectibus spasmodicis, arthriticis et rheumaticis etc. absente febre et inflammatione externe loco dolori proximo applicatum, insigne levamen cito tutoque adfert.

OLEUM CAMPHORATUM.

Rec. Camphorae partem unam,
solve in
Olei Lini partibus quatuor,
detur pro usu externo.

OLEUM LAXATIVUM.

Rec. Resinae Jalappae purae grana novem,
Saponis vegeto-mineralis grana tria,
diligenti trituratione in mortario lapideo solvantur cum
Olei Amygdalarum dulcium recenter pressi uncia una cum semisse,
dentur in vitro clauso.

NOTA. Adulti omni hora aut bihorio cochleare unum capiant, infantes dimidium, probe prius concusso vitro. Vires praestat demulcentes, antispasmodicas, alvum nimis siccam lubricat et blande ducit; hinc speciatim prodest in constipationibus alvi pertinacissimis, in passione iliaca ab obstructione canalis intestinorum, a spasmis aut herniis veniente, in stranguria, calculo, adversus Taeniam atque lumbricos, quos necat et pellit, inque aliis morbis *Oleo Ricini* infido et saepissime adulterato oppugnari solitis in locum ejus surrogatur. Ventriculo minime molestum vidi.

V. OLEUM LINI RECENTER PRESSUM.

Exprimatur ut *Oleum Amygdalarum*, prelo vero antea minime calefacto.

V. OLEUM OVORUM EXPRESSUM.

Rec. Ovorum recentium quot ad quantitatem
Olei praescriptam necessaria videntur,
coquantur in Aquae sufficienti volumine ad plenariam duritiem, postea Vitel-

telli eximantur et in sartagine ferrea, lenissimo primo igne, continua mediante agitatione conterantur et exsiccentur, postea igne leniter et sensim aucto, agitatio et assatio protrahatur, donec nullum amplius fumum emittant, rufescant et inter digitos pressi pinguedinis quasdam guttulas largiantur, tunc adhuc ferventes sacculo linteo forti includantur et prelo ferreo antea leniter calefacto, omne in iis contentum Oleum flavum et crassiusculum eliciatur.

OXYCRATUM SIMPLEX.

Rec. Aceti Vini praeparati,
Aquae communis ana partes aequales,
misceantur, dentur.

OXYCRATUM SPIRITUOSUM.

Rec. Oxycrati simplicis calefacti partes duodecim,
Spiritus Vini Camphorati partes duae,
misceantur, dentur.

PILULAE ALTERANTES.

Rec. Succi Liquiritiae depurati, seu Extracti Liquiritiae drachma una,
Pulveris gummosi scrupuli duo,
Pulveris Mercurii sublimati corrosivi grana decem,
Succus Liquiritiae pulverisatus et Pulvis gummosus misceantur seorsim in mortario vitreo et adfundatur dein Mercurius sublimatus pauca Aqua destillata in mortario vitreo probe solutus. Subigantur exactissime indeque fiat Massa, ex qua formentur pilulae numero centum, amylo conspergendae.

NOTA. In variis fereque infinitis morbis venereis felicissimo et exoptatissimo successu interne praescribuntur, earumque una, duae, tres ad quatuor, pro cujuscunque aetatis mensura ac modulo, ter de die ingeruntur, et quaque vice unciae aliquot Lactis meri vel Aqua mixti superbibuntur; interpolatis aliquot laxantibus antiphlogisticis. Hae Pilulae in Pulverem redactae et cum Saccharo albo simplici aut Eleosaccharo aliquo remixtae porriguntur iis, qui pilulas deglutire nesciunt. Hae Pilulae mitius et certius operantur, quam multae aliae compositiones, quas Mercurius sublimatus intrat.

PILULAE ex ARGENTO VIVO, seu MERCURIALES.

Rec. Mercurii vivi depurati revivificati drachma una,
Mellis depurati drachma una,
misceantur, terantur invicem in mortario vitreo, donec Globuli mercuriales

les penitus dispareant, postea addantur

Pulveris Radicis Saponariae rubrae per linteum tenue trajecti drachmae tres,

misceantur exacte, addatur adhuc

Mellis puri quantitas sufficiens,

ut fiat Massa pilularis et fiant inde Pilulae ponderis granorum duorum, exsiccentur Aere temperato, dein conspergantur Pulvere Seminis Lycopodii, dentur in scatula clausa.

DOSIS. Bis de die Pilulae numero quinque exhibentur, sensim ascendendo ad septem, imo decem Pilulas bis de die. Ob additum Mel hae Pilulae non indurantur.

PILULAE E MERCURIO SUBLIMATO CORROSIVO.

Rec. Mercurii sublimati corrosivi grana quindecim,

terantur in mortario vitreo in Pulverem subtilissimum, addatur

Aquae destillatae communis drachma semis,

exacte terendo mixtis addantur

Extracti Radicis Saponariae rubrae drachmae duae cum semisse,

misceantur et terantur invicem per horam unam, addendo adhuc Pulveris Herbae Saponariae rubrae sufficientem quantitatem ut perfectissime subigendo fiat Massa Pilularis et fiant inde Pilulae Nro. 150, exsiccentur Aere temperato, conspergantur Pulvere Seminis Lycopodii, dentur in scatula clausa.

NOTA. Haec formula in praeparatione nullam progignit difficultatem et Mercurius sublimatus per omnem Massam aequabiliter dispergitur, ac ob additum Extractum non indurantur, ita, ut ad minimum per medium annum servari posssint hae Pilulae; hinc nullus periculosus effectus metuendus, nec ano inefficaces iterum exeunt. Hac forma Mercurius sublimatus quoque facilius ac tutius in majori quantitate assumi atque a ventriculo absque incommodo ferri potest, quam in solutione aquosa. Pilulae enim sensim solutae non subito ac simul, ut hausta solutio, ventriculum afficere solent. Praeterea notum est, quod Opium irritationem Praeparatorum mercurialium corrosivorum multum imminuat, quod transpirationem promoveat, et, dummodo alvus aperta servetur, forte salivationem incommodam impediat; idcirco in plurimis casibus consultum erit, Praeparatis mercurialibus, praecipue Mercurio sublimato corrosivo et eo magis in subjectis irritabilibus huic semper adjungere Opium. Ita sentit quoque celeb. ALTHOF vide ejus egregias observationes (*Pracktische Bemerkungen über einige Arzneymittel, erstes Bändchen Göttingen* 1791. *p.* 233). saepe etiam Cortex Peruvianus simul adhiberi debet. Una Pilula decimam partem grani ex sublimato continet.

DO-

DOSIS. Initio in infantibus mane et vesperi Pilula una sensim ad tres, in adultis ad sex ascendendo; oportet autem matutino tempore jentaculum assumsisse aegrotum, ne in ventriculum veniant vacuum. Debita cautela adhibita nec infantibus nec adultis minimum incommodum excitant. In morbis venereis, rachitide, quae solummodo modificatio cacochymiae scrophulosae est, et scrophulis ipsis efficacissimas deprehendi, praecipue, si scrophulae non sint complicatae, e. g. cum pubertate aut affectionibus variis morbosis; nam cacochymia scrophulosa semper eadem videtur in omnibus subjectis, nisi complicationes variae curam difficiliorem reddant, praecipue si tempore pubertatis curam harum suscipere animus sit. Hinc complicationibus antea sublatis curatio harum multo minori difficultate peragitur.

V. PILULAE PURGANTES sine MERCURIO.

Rec. Pulveris Rhei electi,
Saponis Jalappae ana partes aequales,
Aquae communis destillatae sufficientem quantitatem,
misceantur in mortario lapideo exactissime trituratione, ut fiat Massa pilularis et fiant inde Pilulae ponderis granorum trium, conspergantur Pulvere Seminis Lycopodii, dentur in scatula clausa.

DOSIS. Adultis Pilulae numero decem, ad quindecim, Junioribus aetate quindecim aut sedecim annorum, dimidia quantitas exhibetur.

PILULAE PURGANTES cum MERCURIO.

Rec. Pulveris Rhei electi drachmae duae,
Saponis Jalappae drachma una et scrupulus unus,
Mercurii dulcis grana octo,
Aquae communis destillatae sufficiens quantitas,
misceantur in mortario vitreo exactissime trituratione solerti ut fiat Massa pilularis et fiant inde Pilulae granorum trium, conspergantur Pulvere Seminis Lycopodii, dentur in scatula clausa.

DOSIS. Exhibentur ut Pilulae purgantes sine Mercurio.

V. PILULAE SOLVENTES.

Rec. Saponis Cacao seu vegeto-mineralis uncia semis,
Pulveris simplicis Gummi Ammoniaci drachma una,
Extracti Herbae Fumariae,
Extracti Taraxaci ana drachmae duae,
Vini Antimoniati sufficiens quantitas,
misceantur terendo in mortario vitreo exactissime ut fiat Massa Pilularis et fiant inde Pilulae ponderis granorum trium, conspergantur Pulvere Seminis Lycopodii, dentur in scatula clausa.

DOSIS. Exhibentur bis de die septem, ad decem.

PILULAE SQUILLITICAE.

Rec. Pulveris simplicis Gummi Ammoniaci,
Radicis Squillae recentis ana drachmae duae,
contundantur simul in mortario lapideo et addantur
Seminum Cardamomi minoris drachmae duae,
contundantur et misceantur exacte addendo sensim
Terebinthinae Larigneae sufficientem quantitatem,
misceantur exactissime terendo ut fiat Massa Pilularis et fiant inde Pilulae ponderis granorum duorum, conspergantur Pulvere Seminis Lycopodii.

DOSIS. Exhibentur bis de die Pilulae quinque, ad septem.

PILULAE TONICAE BACHERI.

Rec. Extracti Hellebori nigri gummoso-resinosi,
Extracti Myrrhae aquosi ana uncia semis,
Pulveris Herbae Cardui Benedicti drachma una cum semisse et grana decem,
misceantur terendo in mortario lapideo ut fiat Massa Pilularis et fiant inde Pilulae ponderis grani unius.

DOSIS. Exhibentur Pilulae quinque, et haec dosis horae intervallo ter iteranda. Initio alvum laxant, postea lotium copiose pellunt et saepe morbum vincunt. Horum usus in hydrope vario multum inclaruit; locum vero non habent hae Pilulae praesente phlogosi, inflammatione, suppuratione interna vel initio gangraenae. Multum et spondent in asthmate humido et tuberculis pulmonum.

V. PULVIS AEROPHORUS.

Rec. Salis alcali mineralis pars una,
Crystallorum Tartari partes tres,
Sacchari Canariensis partes duae,
Primum Crystalli Tartari in mortario vitreo in subtilissimum Pulverem terantur, dein Sal alcali minerale et Saccharum terendo admisceantur et fiat Pulvis subtilissimus. Detur Pulvis in vitro clauso.

NOTA. Hic Pulvis Aquae inspersus et agitatus cum sibilo bullulas emittit copiosumque Aerem fixum largitur; hinc aerophorus dicitur. Vires possidet refrigerantes, antiemeticas et antiputredinosas. Hinc in phthysi pituitosa, ardore ventriculi et vomitu, in febribus putridis et biliosis, in cachexia pituitosa et vermibus egregias vires exserit. Aquae Selteranae vices gerit, imo ob largiores particulas salinas virtute superior est. Commodius etiam atque eventu securiori ac certiori praescribitur quam Medi-

dicamentum RIVERII et HULME. Omni secunda aut tertia hora ejus drachma dimidia vel scrupuli bini vel cochleare minus, quali ad potum Theae aut Coffeae utimur, injiciatur aliquot unciis Aquae fontanae purissimae, agitetur, et cito epotetur.

DOSIS. Drachma semis aut scrupuli duo omni secunda aut tertia hora.

PULVIS ALUMINOSUS.

Rec. Aluminis Romani pulverati, grana duo,
Gummi arabici pulverati,
Sacchari albi pulverati, ana grana decem,
misceantur in Pulverem pro dosi. In haemorrhagiis egregias vires usu interno exserit.

PULVIS ANAPLEROTICUS, seu CONSOLIDANS.

Rec. Ostracodermatum praeparatorum partes tres,
Pulveris Gummi arabici electi partes duae,
Pulveris Mastiches electi pars una,
misce, fiat Pulvis subtilissimus.

NOTA. Dolentes, humidae, molles, erosae, excoriatae et exulceratae papillae in gravidarum et puerperarum mammis exoptato successu consperguntur hoc Pulvere; id quod observationibus quamplurimis constat.

PULVIS ANTIEMETICUS.

Rec. Sacchari Canariensis drachmae sex,
Crystallorum Tartari drachmae duae,
Radicis Ipecacuanhae grana tria, ad quatuor,
misce, fiat Pulvis subtilis.

NOTA. In spasmodica herniarum incarceratione non modo, sed et in passione iliaca, ab obstructione alvina aut spasmis orta, mirifice saepius juvat. Irritis laxantibus, clysteribus, aliisque medicamentis, hoc Pulvere plures aegroti adulti optime restituti, quos alvus pertinaciter occlusa, vomitus continui adeoque stercorei, singultus etc. citra vero herniam notabilemque febrem, male multavit. Capiebant omni hora vel bihorio drachmam dimidiam vel scrupulos binos, usque dum praedicti vomitus atque singultus conticuerunt et alvus aperta fuit. Conducit quoque hic Pulvis additis drachmis duabus Nitri puri in haemorrhagiis fere omnibus, pulmonis, praesertim uteri; temperando et spasmos sedando.

PULVIS ANTIEPILEPTICUS, vulgo MARCHIONIS.

Rec. Pulveris Magnesiae albae partes viginti,
simplicis Radicis Rhabarbari partes quatuor,
simplicis Radicis Valerianae sylvestris,
Radicis Liquiritiae ana partes sex,
trituratione in mortario lapideo optime mixta serventur in vase clauso.

PULVIS OPHTHALMICUS.

Rec. Sacchari Canariensis,
Boli rubrae praeparatae,
Cremoris Tartari ana quantum lubet,
misceantur et fiat Pulvis subtilissimus per tenue linteum trajectus.

PULVIS PECTORALIS REROLVENS.

Rec. Pulveris gummosi partes octo,
Radicis Iridis florentinae pulveratae partes quatuor,
Florum Sulphuris partes duae,
Croci Austriaci pars una,
Sacchari Candi partes viginti quatuor,
terendo misceantur in Pulverem.

DOSIS. A scrupulo uno, ad drachmam.

PULVIS PURIFICANS.

Rec. Antimonii crudi alcoholisati seu praeparati uncia semis,
Magnesiae albae drachma una,
Sacchari Candi drachmae quinque,
misceantur exactissime et fiat Pulvis subtilissimus, detur in pyxide clausa.

DOSIS. Omni quarta aut quinta hora ab initio cochleare unum coffeanum, dein ad duo aut tria cochlearia sensim ascendendo sicca forma sine Aqua porrigitur. Ad gratiam etiam Pulveris, Florum Cassiae Pulvis ad grana decem addi poterit. Hic Pulvis Trochiscos antimoniales et Rotulas viribus multum superat; cavendum tamen in diaeta ab acidis, et fructibus horraeis recentibus.

V. PULVIS SALINUS, seu DIGESTIVUS,

Rec. Pulveris Cremoris Tartari solubilis scrupuli duo,
Pulveris Arcani duplicati depurati scrupulus unus,
misceantur pro dosi.

PUL-

PULVIS SQUILLAE COMPOSITUS.

Rec. Squillae siccatae grana quinque,
Pulveris Arcani duplicati depurati scrupuli duo,
Pulveris Nitri puri grana quindecim,
misceantur pro dosi.

PULVIS STERNUTATORIUS.

Rec. Pulveris simplicis Foliorum Asari partes duae,
Pulveris simplicis Herbae Majoranae pars una,
perfectissime in mortario lapideo terendo mixta, in pyxide clausa dentur.

PULVIS STYPTICUS.

Rec. Pulveris simplicis Aluminis Romani,
Pulveris simplicis Gummi Kino ana partes aequales,
perfectissime misceantur terendo in mortario lapideo, pro usu externo.

PULVIS STRUMALIS.

Rec. Pulveris simplicis Spongiae tostae drachma semis,
Pulveris Hepatis Sulphuris calcarei grana decem,
Sacchari albi grana viginti,
misceantur perfectissime in mortario lapideo et fiat Pulvis pro dosi.

DOSIS. Bis vel ter de die talis Pulvis exhibetur, superbibendo potum acidulum.

V. PULVIS TEMPERANS, seu REFRIGERANS.

Rec. Pulveris simplicis Nitri puri,
Pulveris Cremoris Tartari ana partes aequales,
terendo misceantur perfectissime, detur Pulvis.

DOSIS. A granis quindecim, ad drachmam unam.

SACCHARUM MYRRHAE.

Rec. Sacchari Lactis partes quatuor,
Extracti Myrrhae aquosi pars una,
redigantur in mortario vitreo vel lapideo in Pulverem tenerrimum homogeneum.

DOSIS. Exhibentur grana viginti vel triginta pro dosi.

V. SAL VOLATILE ODORIFERUM.

Rec. Salis Ammoniaci depurati pulverati uncia semis,
in mortario vitreo addantur
Salis Tartari depurati drachmae duae,
celerrime terendo misceantur addendo simul
Olei essentialis Bergamottae scrupulum unum,
mixta celerrime vitro ingerantur epistomio vitreo exactissime claudendo.

NOTA. Externe ad excitandum et stimulandum naribus admovetur.

SAPO ANTIMONIALIS.

Vide *Sulphur Antimonii auratum saponatum.*

SAPO ANTIMONIALIS CUM RESINA GUAJACI.

Rec. Saponis Antimonialis pars una,
addantur in mortario vitreo exacte terendo
Resinae Guajaci arte factae purae partes tres,
exacte mixta exhibeantur.

SAPO GUMMI GUTTAE.

Rec. Pnlveris subtilissimi Gummi Guttae pars una,
Saponis Alicantini albi partes tres,
perfectissime in mortario vitreo invicem misceantur.

V. SERUM LACTIS ACIDUM.

Rec. Lactis Vaccini partes octodecim,
ebulliat Lac in olla testacea, tunc admisceatur
Cremoris Tartari pars una,
mixta ebulliant, sub agitatione, dum caseosa Lactis pars in coagulum abierit, quo facto Lac coagulatum coletur, et Serum adhuc per chartam bibulam filtretur.

NOTA. Si ad libras duas Lactis solummodo drachma una Cremoris Tartari sumitur, *Serum Lactis dulce* manet.

SERUM LACTIS ALUMINOSUM.

Rec. Lactis Vaccini partes triginta sex,
ebulliant in vase idoneo, tunc admisceatur
Aluminis Romani pulverati pars una,
ebulliant simul et sub agitatione ut fiat coagulum, quo facto Lac coagulatum coletur et Serum adhuc filtretur.

V. SERUM LACTIS DULCE.

Rec. Lactis Vaccini, cui flos ademtus est, librae duae,
ollae testaceae vel vasi vitreo ingerantur, ventriculi vitulini segmentum digitalis magnitudinis, antea in unciis circiter duabus Aquae maceratum Lacti addatur, simul cum Aqua macerante;

{ *ventriculus vitulinus per aliquot horas in Aceto Vini maceretur, postea debite infletur et inflatus siccetur, hocce modo per longum tempus ad hanc Seri Lactis praeparationem servari potest.* }

quo facto Lac cum coagulo vitulino fornaci calidae vel cineribus calidis imponatur, ita ut lente calefiat, minime vero ebulliat; post horae circiter quadrantem, exorta super Lacte tunica caseosa dissecetur, et sic paulatim Serum secernitur limpidum, quod sensim a coagulo caseoso decantetur, Lacte autem semper in digestione calida manente, quo longior enim digestio, eo largior secretio Seri.

SERUM LACTIS SINAPINUM.

Rec. Lactis Vaccini partes duodecim,
Seminis Sinapios contusi pars una,
coquantur invicem in vase idoneo ad separationem casei, tunc colentur et Serum colatum per chartam emporeticam filtretur.

SERUM LACTIS TAMARINDINATUM.

Rec. Lactis Vaccini partes quatuor,
ebulliant in vase idoneo, tunc admisceantur
Tamarindorum pars una,
et protrahatur coctio, sub crebra agitatione, usque dum Lac penitus coagulatum fuerit, tunc Serum coletur.

SERUM LACTIS VINOSUM.

Rec. Lactis Vaccini partes tres,
ebulliant in vase idoneo et inter ebulliendum adfundatur
Vini Austriaci montani pars una,
simulac coagulatio facta fuerit, Serum coletur.

V. SINAPISMUS, seu CATAPLASMA EPISPASTICUM.

Rec. Fermenti panis acerrimi,
Seminis Sinapios contusi ana partes aequales,
Aceti Squillitici quantum satis,
ut mixtione exactissima fiat Cataplasma siccius.

SO-

SOLUTIO GUMMI GUAJACI NATIVI AQUOSA.

Rec. Gummi Guajaci nativi pulverati,
Sacchari Canariensis pulverati,
Gummi arabici pulverati ana pars una,
terantur invicem in mortario lapideo vel vitreo sensim addendo
Aquae communis destillatae partes duodecim,
usque dum terendo Solutio plenaria facta fuerit, et emulsum repraesentet, quod in vitro clauso exhibetur.

DOSIS. Gummi Guajaci in hac Solutione contentum ita exhibeatur, ut de die grana quindecim vel triginta aegrotus acquirat.

NOTA. Optima forma Gummi Guajacum exhibendi est forma Pilularis aut forma Pulveris, quia hoc in Solutione aquosa facile mora fundum petit et tunc potissimum alvum purgat. Hinc cum Extracto conveniente Pulvis in formam Pilularem redigitur, aut cum aequali quantitate Sacchari forma Pulveris exhibetur subtilissimi; hujus dosis est a granis quinque ad decem, bis vel ter de die; eodem modo RESINA GUAJACI ARTEFACTA PURA ex Gummi Guajaco nativo parata et haec longe efficacior dimidia hujus dosi exhiberi potest.

SOLUTIO MERCURII PRAECIPITATI SOLUBILIS NIGRI HAHNEMANNI.

Rec. Mercurii praecipitati solubilis nigri grana octo,
in mortario vitreo his superaffundantur
Aceti concentrati loco destillati unciae duae,
terantur invicem donec Mercurius perfecte solutus fuerit, dein addantur
Aquae destillatae communis unciae duae,
misceantur, dentur in vitro clauso pro usu externo.

SPECIES PRO BALNEO SULPHUREO ARTIFICIALI.

Rec. Calcis vivae recenter ustae,
Sulphuris citrini vulgaris ana unciae duae,
contusa in Pulverem rudem, dentur in scatula clausa.

NOTA. Si haec quantitas praescripta cum Aquae communis libris octo per quadrantem horae in vase vitreato clauso coquitur et dein ab igne remota, fervida una cum sedimento, Balneo ex Aqua fluviatili calida parato, adfunduntur, habetur tunc Balneum sulphureum artificiale, et quidem satis forte naturali simillimum; si debilius Balneum parare volumus, dimidia quantitas Specierum preescriptarum adhibetur. Vires Balneo sulphureo naturali simillimas exserit.

SPE-

SPECIES PRO SUBSTITUTO BALNEI FERRI GRANULATI.

Rec. Hepatis Sulphuris vulgaris uncia una,
solvatur in
Aquae communis fervidae unciis viginti,
ebulliant aliquoties, et dentur in lagena vitrea exacte clausa, signetur No. 1.

Rec. Vitrioli Martis drachmae sex,
solvantur in
Aquae communis destillatae unciis decem,
solutis addatur
Limaturae Martis purae,
Spiritus Vitrioli acidi ana drachma semis,
misceantur, dentur in lagena vitrea clausa, signetur No. 2.

NOTA. Principia Balnei ex his Speciebus parati sunt ferme eadem ut Balnei veri Ferri granulati vide (*Partem I. hujus Dispensatorii. pag. 377.*) nempe Vitriolum Ferri, Ferrum calciforme subtilissime divisum, Tartarus vitriolatus et Aer hepaticus; et cum Aer inflammabilis basis sit Aeris hepatici, qui adhuc magis penetrans et nervos stimulat, hinc Balneum ex his Speciebus eandem, aut majorem efficaciam exserit, ut verum Balneum ex Ferro granulato. In iis, ubi adhuc solvendum et qui Acido laborant, etiam prima miscela sola pro Balneo adhiberi potest; saepissime post adhibitum Balneum infantibus alvus laxa sequitur.

DOSIS. Pro infante trium annorum vasculum unum coffeanum de No. 1. Aquae calidae infunditur, antequam infans balneo imponitur, et postea si balneo insidet, dimidium vasculum de No. 2 infunditur. Aqua pro balneo tam calida sit, quantum aegrotus calorem sufferre potest.

SPIRITUS BALSAMICUS, vulgo BALSAMUM SCHAUERIANUM.

Rec. Tincturae Aloes,
Castorei vinosae,
Benzoes,
Mastic.hes,
Myrrhae,
Styracis ana partem dimidiam,
Olei Terebinthinae partes tres,
Spiritus Rorismarini,
Salviae ana partes sex,
Melissae compositi partes viginti quatuor,
misceantur.

SPIRITUS CARMINATIVUS.

Rec. Spiritus Seminum Carvi,
Spiritus Menthae Piperitae,
Tincturae Corticis Aurantiorum ana partes aequales,
misceantur, dentur.

SPIRITUS CORNU CERVI EX TEMPORE PARATUS.

Rec. Olei empyreumatici seu Cornu Cervi foetidi drachma una,
Spiritus Salis Ammoniaci caustici uncia una,
exacte commixtis, addantur
Aquae communis destillatae unciae tres,
Liquor filtratus, servetur.

SPIRITUS MINDERERI.

Rec. Salis Ammoniaci acetosi seu Spiriritus Mindereri forma sicca pars una,
Aquae communis destillatae partes octo,
misceantur invicem ad solutionem et miscela detur in vitro clauso.

SPIRITUS SALIS AMMONIACI ANISATUS.

Rec. Spiritus Anisi partes quatuor,
Spiritus Salis Ammoniaci vinosi partem unam,
misceantur, dentur.

SPIRITUS SALIS AMMONIACI LAVENDULATUS, seu AQUA ANODYNA.

Rec. Spiritus Lavandulae partes duae,
Spiritus Salis Ammoniaci vinosi pars una,
mixta, dentur.

V. SPIRITUS VINI CAMPHORATUS.

Rec. Spiritus Vini rectificati partes sedecim,
Camphorae pulveratae pars una,
solvantur in vitro clauso, lenissimo calore, et solutio servetur et detur in vitro optime clauso.

V. SPIRITUS VINI CROCATUS.

Rec. Spiritus Vini Camphorati partes octo,
Tincturae seu Essentiae Croci pars una,
misceantur in vase vitreo et serventur, denturque in vitro clauso.

SUC-

SUCCI HERBARUM ANTISCORBUTICI.

Rec. Succi expressi Herbae Cochleariae,
expressi Herbae Becabungae,
expressi Herbae Nasturtii aquatici,
expressi Radicis Armoraciae ana uncia semis,
Aurantiorum maturorum unciae duae,
misceantur, dentur in vitro clauso pro una dosi.

SUCCI HERBARUM SOLVENTES.

Rec. Succi expressi Herbae et Radicis Taraxaci,
Succi expressi Herbae Fumariae ana unciae duae,
misceantur, dentur in vitro clauso pro una dosi.

SULPHUR ANTIMONII AURATUM SAPONATUM, seu SAPO ANTIMONIALIS.

Rec. Sulphuris Antimonii aurati pars una,
Saponis Cacao seu vegeto-mineralis partes decem,
in mortario vitreo exacte terendo mixta, exhibeantur.

SYRUPUS ACIDO-ANIMALIS.

Rec. Salis acidi Phosphori puri liquidi pars una,
Roob Rubi Idaei partes quatuor,
misceantur, dentur in vitro clauso.

NOTA. Multa Aqua dilutus Syrupus exhibetur in febribus biliosis et putridis etc.

SYRUPUS ACIDO-MINERALIS.

Rec. Spiritus Vitrioli vulgaris seu diluti pars una,
Roob Rubi Idaei partes quatuor,
misceantur, dentur in vitro clauso, in morbis similibus.

SYRUPUS ACIDO-VEGETABILIS.

Rec. Salis essentialis Tartari seu Acidi Tartari crystallisati pars una,
solvatur in
Aquae destillatae communis parte una,
solutis addantur
Roob Rubi Idaei partes quatuor,
misceantur, dentur in vitro clauso, in morbis similibus.

SYRUPUS ARMORACIAE, seu RAPHANI RUSTICANI.

Rec. Succi e Radice Armoraciae rasa recenter expressi et per subsidentiam depurati,
Sacchari Canariensis pulverati ana partes aequales,
terantur invicem in mortario vitreo ad solutionem, et conquassentur in vitro ad consistentiam Syrupi.

SYRUPUS BALSAMICUS.

Rec. Resinae Gemmarum Populi balsamiferae partes duae,
Gummi arabici pulverati pars una,
terantur per semihoram in mortario vitreo, sensim addendo
Syrupi simplicis seu Sacchari clarificati partes quadraginta octo,
exactissime soluta et mixta, dentur in vase clauso.

SYRUPUS EMETICUS.

Rec. Syrupi Acetositatis Citri uncia una,
Tartari emetici mitioris grana duo,
misceantur in mortario vitreo exactissime, dentur.

TINCTURA AMARA MARTIALIS, seu ELIXIRIUM VISCERALE.

Rec. Elixirii stomachici partes tres,
Tincturae Martis Cydoniatae partem unam,
misceantur, dentur.

TINCTURA seu ESSENTIA LIGNORUM.

Rec. Tincturae Gummi Guajaci simplicis,
Pini Turionum,
Gemmarum Populi balsamiferae ana partes aequales,
misceantur, dentur.

TINCTURA MASTICHES COMPOSITA, seu SPIRITUS MATRICALIS.

Rec. Tincturae Mastiches partes tres,
Myrrhae,
Gemmarum Populi balsamiferae ana pars una,
misceantur.

V.

V. TINCTURA RHABARBARI, seu RHEI AQUOSA, seu ANIMA RHABARBARI.

Rec. Radicis Rhabarbari electae in taleolas tenuissimas concisae partes duae,
Aquae communis destillatae bullientis partes sedecim,
stent in vase fictili vel vitreo clauso per duas horas in digestione calida, postea coletur Infusum cum leni expressione, eique addatur
Salis Tartari depurati pars semis,
Spiritus Vini rectificati pars una,
servetur in vitro clauso.

DOSIS. Guttae centum ad unciam unam.

TROCHISCI ANTHELMINTICI.

Rec. Pulveris Seminis Cinae seu Santonici drachmae sex,
Radicis Jalappae drachma una cum semisse,
Radicis Valerianae sylvestris drachmae duae,
Mercurii dulcis drachma semis,
Sacchari albi unciae quinque,
in mortario vitreo omnibus trituratione solerti exactissime mixtis, addatur Mucilaginis Gummi Tragacanthae sufficiens quantitas, ut fiant inde Trochisci numero sexaginta.

DOSIS. Pro varia infantum aetate exhibetur unus, duo aut tres Trochisci pro dosi.

TROCHISCI ANTIMONIALES.

Rec. Antimonii crudi praeparati uncia semis,
Sacchari Candi pulverati drachmae sex,
Magnesiae albae pulveratae drachmae duae,
Olei de Cedro,
Olei aetherei Florum Cassiae ana guttae duodecim,
misceantur invicem exactissime et formentur exinde, mediante Mucilagine tenuiori
Gummi Trgacanthae quantitate sufficiente,
quadraginta octo Trochisci aequales, exsiccenturque lento et leni calore.

NOTA. In singulo Trochisco continentur Antimonii crudi grana quinque; sic dosis pro varia aetate et circumstantiarum varia erit augendo vel minuendo quantitatem Trochiscorum. Etiam loco Oleorum destillatorum, his omissis, Eleosaccharum, loco simplicis, Corticum Citri vel Aurantiorum praescribi et Pulveris Florum Cassiae scrupulus unus addi poterit.

TROCHISCI, seu PASTILLI CAUSTICI ALBI.

Rec. Gummi Tragacanthae pulverati drachma una,
solvatur in
Aquae fontanae sufficiente quantitate,
solutioni addatur
Mercurii sublimati corrosivi uncia semis,
fiat inde Trochiscus unciae semis.

TROCHISCI, seu PASTILLI CAUSTICI RUBRI.

Rec. Mercurii praecipitati rubri pulverati,
Aluminis usti pulverati,
Farinae Tritici ana uncia semis,
Aquae communis sufficiens quantitas,
ut fiant Trochisci unciae semis.

NOTA. Ad erodendum nucleum, quem in ulceribus praecipue scrophulosis glandula corrupta format, et sanationem impedit, et in aliis tumoribus induratis suppuratione consumendis, subinde adhiberi solent.

TROCHISCI MENTHAE PIPERITAE.

Rec. Sacchari Canariensis subtilissime triti unciae tres et drachmae quinque,
dein admisceatur sequens jam paratum Eleosaccharum:
Sacchari Canariensis drachmis tribus,
instillentur
Olei aetherei Menthae Piperitae guttae triginta,
Mucilaginis Gummi Tragacanthae cum Aqua Menthae Piperitae simplici paratae sufficiens quantitas,
ut fiant inde Trochisci singuli granorum trium. Serventur in vitro probe clauso.

V. UNGUENTUM ALBUM CAMPHORATUM.

Unguenti albi simplicis cuilibet drachmae praescriptae,
trituratione in mortario vitreo admisceantur
Camphorae cum paucis guttulis Olei Olivarum subactae grana duo,
mixtione exactissime facta, detur Unguentum in pyxide clausa.

UNGUENTUM ALTHAEAE cum CAMPHORA.

Unguenti Althaeae simplicis aut Unguenti Althaeae cum Terebinthina cuilibet unciae semis praescriptae,
trituratione in mortario vitreo admisceantur

Cam-

Camphorae paucis guttulis Olei Olivarum subactae grana decem,
mixtione exactissime facta, detur Unguentum in pyxide clausa.

UNGUENTUM COLOPHONII.

Rec. Colophonii subtilissime pulverati pars una,
Axungiae Porci partes tres,
Sevi Vervecini pars una,
misceantur exacte, fiat Unguentum.

NOTA. Colophonium egregias proprietates Terebinthinae possidet, simul caret incommodis hujus, et quia mitius agit, huic praeferendum. Vires hujus Unguenti ex tempore parati sunt digestivae et consolidantes, hinc loco *Unguenti Elemi* seu *Balsami Arcaei* adhiberi poterit. Praeterea *Unguentum digestivum cereum* loco *Unguenti de Styrace*, *Unguenti Basilici* et omnium reliquorum *Unguentorum digestivorum officinalium* inservire potest; inde numerus Unguentorum officinalium multum diminuitur, cum solummodo *Unguentum digestivum cereum* in officinis praesto esset, et *Unguentum Colophonii* ex tempore parandum omnia reliqua Unguenta digestiva superflua reddant.

V. UNGUENTUM seu BUTYRUM MAJORANAE.

Butyri recentis insulsi cuilibet praescriptae drachmae,
admisceantur, trituratione solerti, in mortario vitreo vel lapideo
Olei aetherei Majoranae guttae duae,
detur in pyxide porcellanea clausa.

UNGUENTUM E MERCURIO PRAECIPITATO SOLUBILI NIGRO.

Unguenti Pomadini cuilibet unciae semis praescriptae,
trituratione in mortario vitreo admisceantur
Mercurii praecipitati solubilis nigri grana quatuor,
mixtione exactissime facta, detur Unguentum in pyxide clausa.

UNGUENTUM MUNDIFICANS, seu UNGUENTUM MERCURIALE ALBUM.

Unguenti Pomadini cuilibet unciae semis praescriptae,
trituratione in mortario vitreo admisceatur
Mercurii praecipitati albi drachma semis,
mixtione exactissime facta, detur Unguentum in pyxide clausa.

UNGUENTUM PSORICUM, seu AD SCABIEM.

Rec. Unguenti Pomadini partes duodecim,
Florum Sulphuris Lotorum partes sex,

tri-

trituratione in mortario lapideo misceantur, exactissime mixtis, addatur
Olei Baccarum Lauri pars una,
terendo uniantur perfectissime, et Unguentum detur in vase clauso.

NOTA. Pro ratione circumstantiarum huic Unguento vel Unguentum Lithargyrii, vel Pulvis Hellebori albi, aut Vitrioli albi depurati, vel Sal Ammoniacum addi possunt.

V. UNGUENTUM VESICATORIUM.

Rec. Unguenti digestivi simplicis partes octo,
Pulveris Mastichis pars una,
in mortario vitreo trituratione mixtis, addatur
Cantharidum subtilissime pulveratarum pars una,
exactissime terendo misceantur, et detur Unguentum in vase clauso.

UNGUENTUM ZINCI FLORUM.

Rec. Florum Zinci pars una,
Axungiae Porcinae depuratae partes tres,
Butyri insulsi recentis partes sex,
in mortario vitreo solerti trituratione optime misceantur in Unguentum.

VINUM SQUILLITICUM.

Rec. Extracti Squillae aquosi grana duodecim,
Vini Austriaci montani unciae decem,
in mortario vitreo solerti trituratione soluta, colentur per pannum linteum, colaturae addantur
Tincturae Rhei aquosae,
Elixirii stomachici ana uncia una,
misceantur, dentur in vitro clauso.

DOSIS. Bis vel ter de die cochlear unciae semis, ad duo.

NOTA. Amaricantia Squillae incommoda optime inhibent; usus Squillae vitandus, ubi temperamentum calidum, siccum, ubi inflammatio aut suppuratio aut obstructio alicujus visceris adest, ubi pulsus subdurus, aut vitia in pulmonibus latent. Ceterum his absentibus in corpore phlegmatico pituitoso convenit.

F I N I S.

I N D E X
MEDICAMENTORUM SIMPLICIUM, PRAEPARATORUM ET COMPOSITORUM,

TAM

IN PRIMA QUAM SECUNDA PARTE

DISPENSATORII UNIVERSALIS

CONTENTORUM.

A.

Aqua

Bac-

Cor-

Eli-

Ex-

 Flo-

Fruc-

Her-

Li-

O

O.

Pul-

Q.

R.

Ra-

Roob

Sal

Se-

Spe-

Sti-

Ther-

Vi-

VIENNAE,

TYPIS CATHARINAE NOBILIS DE KURTZBEK.

1798.

ERRATA.

Pag.	lin.	loco	lege
XIX	22	mi	mit
LXVI	31	vet	vel
XCVII	17	Minerale	Minerali
CXI	19	vulgari	vulgare
2	3	abluitione	ablutione
3	2	refiduus	residuus
24	21	vesculis	vesiculis
36	11	turciae	turcicae
39	29	simplfx	simplex
42	8	acrios	acrior
43	18	Raphanus rusticanus	Raphani rusticani
45	21	collecta erat Copiose	collecta erat. Copiose
45	36	balsamicus sapor	balsamicus, sapor
46	2	volatilis	volatiles
46	32	copiat	capiat
48	11	idigena	indigena
56	30	exrerne	externe
60	1	¤	V.
62	20	stomachium	stomachicum
62	34	Pyrenaicis	Pyrenacicis
98	13	Shakarill	Schakarill
99	13	dua	duo
115	1	Ramornm	Ramorum
115	2	catharacta	cataracta
115	26	floribns	floribus
128	26	asinuta	sinuata
160	22	infactum	infarctum
176	30	Chamamillae	Chamomillae
177	5	sicci	sicci
194	45	antiphlogosticis	antiphlogisticis
204	21	addditur	additur
205	13	suppedidant	suppeditant
205	17	Erysipelae	Erysipelate
212	1	gallici	gallico
219	8	symtomatibus	symptomatibus.
236	21	Eselsmöbremsaamen	Eselsmöhrensaamen
240	23	valdo	valde
240	37	es	et
240	34	Mumma	Momma
247	25	Pi guedo	Pinguedo
250	32	tum	tam
251	44	et	ad
255	22	ruffi	rufi
263	8	velde	valde
299	26	gratissimnm	gratissimum
302	24	Hahneuann	Hahnemann
304	27	hectia	hectica
316	20	lan-	*dele*
318	31	debilta	debita
325	29	PULIS	PULVIS
326	24	elegentissima	elegantissima
330	30	quo	qua
341	30	sequitus	sequitur
344	2	pyrei pyreus	pyrii pyrius
350	26	colcia	colica
361	18	laterales	lateras
362	44	virreo	vitreo
364	33	sexlaterales	sexlateras
368	34	consituentes	constituentes
377	5	humectates	humectantes
382	3	Ratzuch	Batzuch
388	2	Hungaria	Hungariae

Pag.	lin.	loco	lege
396	3	Austra	Austria
396	22	exillo	ex illo
399	41	Therma	Thermae
403	11	diaphoreticae	diaphoreticas
407	7	Ailanx	Bilanx
451	26	Olivarnm	Olivaium
453	36	agtatione	agitatione
461	—	161	461
465	23	depurati nullum	depurati triti nullum
471	39	sevetur	servetur
479	5	nitrosi	nitrosae
484	25	fortis	fumantis
488	42	instillatione liquoris	instillatione nec liquoris
496	31	amploris	amplioris
539	1 et 2	maneat.	maneat,
542	37	concenaratum	concentratum
544	19	rstortam	retortam
544	35	VITIO	VITRIO
554	5	frigales	fragiles
559	10	eontundatur	contundatur
579	8	Unguentnm	Unguentum
580	32	DISGESTIVUM	DIGESTIVUM
581	34	Servi	Sevi
582	3	NEAPOLIATANUM	NEAPOLITANUM
583	13	Oleo	Olei
600	2	concisorum	concisarum